BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 F
37

6
b
3

6 8 b 33

DE ELOCV-TIONIS IMITA-TIONE AC APPARATV LIBER VNVS,

Autore D. Iac. OMPHALIO *Iuriſconſulto Clariß. nunc poſtremò accurata recognitione ab eodem emendatus, multiſq; in locis auctus, & artium præceptionibus, illuſtrißimiſq; ſententijs locupletatus,*

Adiectis ad finem eiuſdem autoris epiſtolis aliquot familiaribus.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

COLONIAE AGRIPPINAE,
In officina Birckmannica, ſumptib. Arnold. Mylij;
ANNO cIↃ IↃ XCI.
Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D.

Andreæ Munſtero, inſignis Monaſterij D. Nicolai in Brauvviler, Abbati digniſsimo Bernhardus Omphalius I. L. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM ad me veniſsẽt, Reuerende pater, patrone omnibus modis colende, nobilitate, virtute atque eruditione clariſſimi viri, Petrus Iuonius, & Andreas Hartzemius Agrippinenſes, Iuriũ Licentiati, & Imperialis cõſiſtorij apud Spirã Nemetum, Archiepiſcopaliſque Curię Colonienſis Adſeſſores & aduocati, homines mihi ſanguine & ſtudiorum ſimilitudine coniunctiſſimi, proq; vetere noſtra conſuetudine atq; amicitia, poſt iucundiſſimas collatiões, diſputationesq; mutuas habitas, parentis mihi chariſſimi defuncti piæ memorię Bibliothecam mecum eſſent ingreſſi, & ſeparatim vterque illorum ad ſuũ ſtudiũ libellos, quos

 vellet,

vellet, euolueret, inciderunt in volumen ſepoſitum & manuſcriptum epiſtolarum, quas ad ſe à doctiſſimis quibuſq; viris ſcriptas, ſed tamen in lucem nondum æditas, chariſſimus parens meus ſelegerat, & deſcribi curârat. Viderunt prætereafaſciculum maximum orationum atq; epiſtolarum, quibus parēs meus Latinè cum ſuis familiaribus agere cōſuerat, quarum aliquot ſumma cum voluptate, etiam ſtyli atq; phraſeos, vt videbatur, admiratione perlectis, cæterarū cōgerie conſpecta, ſibi perſuadebāt, parentem meum, qui non ſuſtinebat ingraueſcentē ętatem ſuā, vllo vel labore, vel inerti ocio debilitari: quin potius omnem cogitationē ac mentem, omnes ánimi motus, omnē ingenij cogitationem in ſtudijs ſcientiæ & cognitionis, & cōſilijs de rebus honeſtis, & ad bene beateq; viuendū pertinētibus, capiendis, locabat atq; figebat, parētem (inquam) meum ea mente atque intentione ſumma diligentia & aliorum, & ſuas collegiſſe epiſtolas elegantiores, vt eas aliquando

do in vſum ſtudioſorum eloquētiæ, in vulgus hominum prodire ſineret; & iudicarunt eas eiuſmodi eſſe, vt ex earū lectione, ob graue ſententiarū pondus, verborumq́; exornationem, ſtudioſi maximum fructum percipere poſſent. Hortabantur itaq; me & admonebāt, vt haſce orationes atq; epiſtolas, per ocium in vnum volumen congeſtas, æderem, & ſtudioſis communicarem. Et hoc ideo maximè, quòd arbitrarētur, ab amicis ſeu parentibus demortuis, nullam maiorem dignitatis lucem ac ſplendorem adferri, nihil efficacius aut præclari⁹ ad augendam noſtri nominis exiſtimationem, conſtitui nobis poſſe, quā quicquid illi præclarè in vita geſſerint, literis mādari, & ſi quid memoria dignum ſcripti reliquerint, in lucem edere, ac quaſi poſteritati conſecrare, vt huiuſmodi pulcherrimarū rerum ſtudijs, ingenijq́ue monimentis, illorum nominum memoria redd atur immortalis. Cætera quæ pro funere ducendo, ſepulchris faciēdis, monumētis egregijs picturis adorna

tis ponendis, mortuorum laudes atque gloriam oratione funebri proſequendo, & ſimilibus modis ad pompam & oſtentationem fieri cōſueuerunt, ducebāt, nec omnis ætatis, nec in tanta temporum conuerſione, firma ſtabiliaque, magisq́; ad exiguum temporis ſpacium, quàm poſteritatis memoriā accommodata eſſe: quippe, quòd partim etiā in ipſa funeris ductione concidant & defluant: partim ignaui hominum deſidia, illiberaliq́; temporum iniuria prorſus ſuo honore excidant: partim deniq; infida, & rebus magnis infeſta fortuna, vel belli ſæuitia, vel fatorū acerbitate, fracta atq; ſubuerſa, deleātur atq; corruant. At, quæ doctè ornateq́; de illis vel ab illis potius ſcripta extant, ea firma ſtabiliaque eſſe, ea circumſcriptos huius fluxæ noſtræ vitæ terminos, cū omni poſteritatis memoria adęquare, ea ſuſceptos noſtros labores meritorū memoria ſempiterna reddere immortales, ea per ſe ſplēdere, neq; alienis vnquam ſordibus obſoleſcere cēſebant. Eſt enim ea litera-

terarum dignitas, vt quicquid hic re rum vniuerſitatis ambitus continet, earũ regatur atque conſeruetur præſidio: nec aliã mens humana, ex omnib. naturæ beneficijs, laboris mercedẽ ſperare poſſit, præter hãc laudis, ex optimarum artium ſtudijs partæ, nobilitatẽ, quæ ſola vitæ noſtræ breuitatem, poſteritatis commemoratione compenſat. Sic ergo horũ amicorum atq; neceſſariorum prudenti & egregia commonitione inductus, &, quòd officij mei ratio, & illa, quã ſanctiſſimæ patris memoriæ debeo, pietas, hoc à me poſtulare videretur, vt illius ſcripta & lucubrationes nõdum in mediũ proditas, ederem: ne quicquã ad perpetuum eius decus, & nominis æternitatẽ deeſſet, nec quibus, tã præſtantis ingenij, & doctrinæ multiplicis expreſſa adparẽt iudicia, monimẽta interirẽt: ſic impulſus ad patris mei ſcripta familiaria, ceteraſq; lucubratiões perlegendas, colligẽdas, & vnũ in volumen cõpoſitas edẽdas, per ociũ me dedo. Cui labori dũ me accingo, ſtatim è curſu ipſo reuocauit

cauit volũtas diſertiſſimi viri Theodori Baumij Typographi, qui petiuit, vt, quoniam eum, quem de elocutionis imitatione ac apparatu librũ olim pater meus defunctus edidiſſet, denuò nouis editionibus in vulgus hominum eſſet daturus, non grauarer in finem eiuſdem aliquot epiſtolas familiares à parente conſcriptas, in gratiam iuuentutis Anglicæ, cui huius libri vſus probatur, imitationis cauſa adijcere, & totius voluminis epiſtolarum atque orationum à me deſtinatam impreſſionem tantiſper ſuſpendere, donec maiore commoditate eius editioni ſupereſſe poſſet. Cuius optimi viri, & mei amantiſſimi efflagitationi præſertim honeſtæ deeſſe nolui. Selegi itaq; ad volũtatẽ dicti Typographi, ne libellus ad tœdiũ iuuentutis nimis excreſceret, pauciſſimas à parente meo exaratas ſcribendi formas, easq;, meo quidem iudicio, accuratius conſcriptas, & in calce huius opuſculi additas: quas licet parẽs meus, antequam diem ſuũ obijſſet, non emendarit neq; reuiderit

rit

rit(vt ſanè eius correctio, & vt ita dicam, expolitio, multum illis additura fuiſſet venuſtatis atque elegantiæ) exiſtimo tamen neque iniucundas, neque infructuoſas ſtudioſis eloquẽtię fore: ex huiuſmodi enim epiſtolarum formulis ad Latinę orationis elegantiam informamur, & ex his primus eloquẽtiæ ſuccus, qui qualis initio fuerit, permagni intereſt, ebibitur. Quare, cùm meæ ſingularis in T. R. obſeruãtiæ, & gratæ animi voluntatis pro T. R. in patrẽ meum & me meoſque meritis, quæ multa & inſignia fuerunt, ſignificationem aliquã facere cupiã; & nunc, proh dolor, in ea inciderimus tempora, & communem inuidiæ peſtem, ceu luem quãdam, vt homines ex friuola, arrogãti, & inani maledicentia concreti, in laude ponant alienæ virtutis obtrectationem, & ipſi ſcribẽdi inſcij, alienis in ſcriptis dijudicãdis, teneras nimis & delicatas adhibeant aures, alienamque imbecillitatem reprehẽdere, quàm ſuam proferre induſtriam malint: obnixè rogo, reuerende pa-

ter,fautor omnibus modis colende, quia maiora hoc temporis præſtare nequeo,vt T.R.hæc quantacunque, qua ſolet benignitate accipere, non tam rem ipſam, quæ ſanè perexigua eſt,quàm offerentis voluntatem obſeruãtiamque perpetuam ſpectare, & hęc chariſſimi mei parẽtis ſtudia, laboremque meum aliqualem, aduerſus hominum iniquas iniurias defendere;& donec fructus ad maturitatem veniat,hiſce floſculis ſeſe oblectare non dedignetur. Vbi & mea, & Typographi feret commoditas, integrum volumen epiſtolarum atque orationum doctiſſimorum virorum, hucuſque nondum editarum, eloquentia ſingulari, & verborum grauitate refertarum,T.R. vel ideo dedicabo,quòd ad eas, quæ in ipſa elucent virtutes, hãc quoque accedere intelligam,quòd T.R.etiamſi maximis & grauiſſimis occupationibus nunquam ferè nõ diſtringatur,quod tamen interdum ocij ac vacui temporis datur,id in optimarum artium ſtudijs lubentiſſimè conſumat. Interim

rim vt T. R. hunc parentis mei de elocutionis apparatu & imitatione libellum, vnà cum eidem adiectis pauciſſimis epiſtolarum familiarium formulis,in ſuam tutelam atque præſidium ſuſcipiat,ſuumque Bernhardum benignè amplectatur, iterum valde rogo. Valeat T. R.

Colonia Vbiorum.XV.
Calend.Septemb.
Anno M.D.
LXXII.

LOCI AC CAPITA RERVM, QVAE IN HOC libro explicantur.

De vtilitate imitationis. pag. 1.
Imitatio qualis eſſe debeat 12.
In diſciplinis perdiſcendis adſit oportet ſpes, æmulatio & ſtudium vehemens 15.
Quibus lineamentis dictio noſtra ſit tingenda 18.
Non orationem modò ad optimorum autorum imitationem, ſed mentem quoque ad virtutum omnium exemplum eſſe componendam 22.
In ſuſcipiendo negocio pro ſua cuiq; animi corporisq́ue temperatione iudicium faciendum 38.
Non debet naturæ noſtræ mediocritas imitationis ſpem voluntatemq́; auferre 45.
Ad quorum ſimilitudinem mens noſtra atq; oratio ſit comparanda 48.
Quid ſit imitatio, & eam eſſe duplicem 72.
Quæ in orationis imitatione fugienda 74.
In orationis imitatione opus eſſe optimarum elocutionum apparatu 78.
De genere demonſtratiuo 79.
Laudandi formulæ 82. & ſeq.
Vituperationis formulæ 96. & ſeq.
Agendi gratias formulæ 112
De elocutionis cùm amplificatione, tum exornatione 116.
De affectionibus 140.
De genere deliberatiuo 144 2.

Suaden-

Suadendi & monendi 145.
Diſſuadendi 149.
Hortandi 152.
Seruire laudi atq; gloriæ 154.
Immortalitatem nominis adipiſci 161.
Laboris moleſtiam concoquere 163.
Rebus ſuis proſpicere 164.
Gratulandi 165. & 269.
Rem familiarem prodigere 167.
Infamiam contrahere 170.
Falſam laudem quærere 173.
Conciliandi & ſtudij deferendi 174.
Deferendi ſtudij clauſula aliquot 177.
Abalienandi 180.
Petendi & rogandi 182.
Commendandi 186. 189.
De conſolatione 194.
Malis affligi ibid.
Proſpera fortuna vti 196.
Animo perturbari 198.
Conſolandi 201.
Colligere animum 210.
De genere iudiciali 213.
Accuſandi 218.
In fraudem adducendi 221.
Inuehendi & calumniandi 222.
Exprobrandi & exaggerandi 226
Comminandi 230.
Bellum inferendi 231.
Defendendi 232.

Expur-

Expurgandi cum honeſta officij commendatione 234.
Loci aliquot communes exordiendi per prolepſim in genere demonſtratiuo 238.
Exordium epiſtolæ ad amicum 241.
Exordium declamationis 242.
Loci aliquot communes exordiendi in genere demonſtratiuo rerum & factorum 247.
Ratio agendi gratias 252.
Exodium generis deliberatiui 257.
Expurgandi officij ratio in exordio generis iudicialis 259.
Deprecandi 264.
Vitam agere 269.
Mortem obire 270.
De quarundam dictionum ſtructura atque iunctione 271.
De orationis compoſitione, iunctura, ſonis & numeris 279.

AD

AD CLARISS. AC CONSVLTISS. D. BERNARDVM OMPHALIVM I. L. RENERI BVDELII ELEGIA.

SI quid in humanis eſt admirabile rebus,
Debetur doctis gloria prima viris,
Qui ſtudijs operam tribuunt communibus omnem,
Caſtraq; Muſarum qualibet arte iuuant:
Hæc fuit Omphalij quondam cùm viueret vna,
Mi Bernarde, patris cura laborq; tui.
Sed non viuit adhuc qui tanta volumina iuris,
Qui tot & egregios edidit ante libros?
Eloquij princeps Cicero ſic veſcitur aura
Aetherea, doctis famaq; vita manet.
Aeditur idcirco præſens rationibus æquis,
Excuſis vicibus quattuor ante liber.
In vulgus literis concinnis exit amictus,
Hoc ſimul adiunctum commoditatis habet.
Hinc ſtudioſa cohors potis eſt decerpere flores,
Quales melliflua tempore veris apes.
Et doctis etiam ſcio complacuiſſe laborem,
Nomine quem patris filius ipſe tulit.
Millibus è multis iuuenum collegit ad vſum
Præſentes, totum fortè ſequetur opus.

AD

AD EVNDEM, FRATRESQVE RELIQVOS, PHALEVCIVM, EODEM AVCTORE.

QVantumuis animæ caro relicta
Poſtremum tulerit vale, nec extat
Hæc coniunctio, quæ ſolebat eſſe,
Quam firmam paritas amoris olim
Reddebat, tamen hoc niſi caducum.
Mens ſeu vis animi quieta gaudet
Campis Elyſiis, ſoluta prorſus
Omni triſtitia, Deoq́; viuit.
Et ſic Omphalij licet parentis
Veſtri condita ſint humo ſua oſſa,
Sedem ſpiritus occupat beatam,
Quam ſeſe Dominus ſuis daturum
Promiſit famulis in omne æuum.

DE ELOCVTIONIS IMITATIONE AC APPARATV Liber vnus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Auctore Iacobo Omphalio Andernaco Iureconſulto.

DE VTILITATE IMITATIONIS.

QVOD M. Tullius in Libris Officiorum præcipit, vt cùm grauibus ſępe communium temporum fluctibus obiecti, in medium rerũ diſcrimen deueniamus, eiuſmodi vitæ cõſtituamus rationem, cuius in perpetuitate, æquabili ac proſpera fortuna, conſtare nobis queamus: idem in paranda elocutione, quæ humanæ vitæ ſocietatiſque conciliatrix eſt, faciundum erit, vt eius certa quædam indoles tanquam idea ad eorum effingatur imitationem, quorum ſimiles in dicendo vel aliqua ingenij cum laude, vel ſine graui ſuſcepti laboris fruſtratione eſſe velimus. Nam qui neminem ex tanta Auctorum varietate, quorum diuerſa eſt ſtyli facies, diuerſa dicendi maieſtas, imitan-

Elocutio ſocietatis humanæ conciliatrix.

imitandum ſibi,aut non optimum atque ſummum proponit, eum vel praui iudicij,vel animi abiecti, puerilique deſperatione fracti eſſe neceſſe eſt:cùm nec in eligendo,quod ſequeretur,exemplo prudentiam,nec in aggrediendo elationem animi magnitudinemque ſecutus videatur.Fit enim, vt qui nulla ſimilitudine ducti,in nullo verſentur exemplo, eorum infringatur conatus, debilitetur induſtria, omniſque animorum ardor,qui rectis ſtudijs tum conſtantiam,tum dignitatem adfert, langueat atq; reſtinguatur: dum huc illuc,tanquā in magna iactatione,ſic in exemplorum varietate errantes,portu in quem ex alto inuehant, excludantur.Et qui potioribus neglectis,ad eos animū conuertunt,quorum ingenij præſtantiam ſi imitando conſequantur,ab optimo tamen atq; ab omni laude feliciſſimo aliquantò abſint, non tam rei, quæ traditur,magnitudine ab optimis deterriti videntur,quàm anguſti cuiuſdam animi imbecillitate fracti non ſumma elegiſſe:in quibus etiam præſtantia ſunt ea,quę optimis ſunt proxima. Cùm enim imitatio ſit,qua impellimur cum diligenti ratione, vt eorum, qui ingenij lumine atq; eloquentia præſtant, ſimiles in dicendo eſſe velimus, referenda ſanè ea ad optimarum artium, ac rerum cognitionem erit: quando hoc ipſum,quod ex quadam deprauata imitatione ſumitur, vitioſum haberi ſolet. Nam & Siſenna à magnis artium ſcriptoribus eſt reprehenſus, quòd magis ad Clitarchum, quàm alios ele-

In paranda eloquentia malè negligi imitationē.

os ele-

os eleganti eruditione præſtantes viros ſe effingere, illumque imitari voluerit: cùm etiam, ſi illum adſequi potuiſſet, ab optimo tamen abfuiſſet. Et Cottæ imitatio habita eſt ridicula, qui neglecto optimo dicendi genere, tum verbis, tum ſono ipſo ſubruſtico proſecutus & imitatus eſt antiquitatem. Neque in laude vnquam poſita, ſed temeraria & inconſiderata habita eſt gloriç imitatrix, popularis illa fama, quæ non virtute & rebus præclarè geſtis, ſed vulgi opinione parata cenſetur. Eſſe enim ſemper optima & cũ ſummis virtutibus cumulata debent ea, ad quorum nos imitationem effingere velimus, propterea, quòd ipſa illa imitatio proximè ad naturam accedit. Sic enim videmus immanem nonnunquam duritiem imitari patientiã: & liberos ingenium, formas, oris lineamenta, & pleroſque ſtatus ac motus effingere à parentibus, quorum etiam præceptis imbuti ad eorum conſuetudinem moreſque deducuntur. Neque deſunt, qui arbitrétur Archimeden plus valuiſſe in imitandis ſphæræ cõuerſionibus, quàm naturam in efficiendis: cùm alioquin nemo opifex imitando conſequi poſſit naturæ ſolertiam

Maxima autem cùm ingenuarum artium, tum verò ciuilis actionis laus, omniſque vitæ ratio imitatione continetur: cuius ſtudiũ adeò magnam in rebus gerendis alacritatem magnitudinemque nobis adfert, vt excellentium hominum cogitatione conformati, ad eorum omnium, quæ illuſtrem in alijs lau- *Imitationẽ omniũ magnarum rerum amplitudinem contineri.*

dem habent, ambitum cupiditatémque inflā-memur: nullaque re alia perinde ad exurgentem veræ laudis ac gloriæ amplitudinem atq; æmulatione & exemplis incitemur. Omnes enim, qui vel gloriæ iter ingredi, vel in aliqua honeſta laude verſari cupimus, his duobus maximè commouemur, æmulatione aut ſimilitudine earum rerum, quas in laude ponimus: & exemplo, quo hoc ipſum, quod fit, etiam iure fieri putamus. Declaratque vim ſuam maximè ipſa natura, cùm homines, quod facere ipſi maiore ingenio deſtituti non poſſunt, id tamē rectè, grauiter ac ſplēdidè in altero fieri iudicant. Cernebat hoc animis princeps orbisq; terrarum victor Pop. Rom. qui præſtantiſſimorum hominum, quibus ętas illa affluebat, res præclarè geſtas triumphi laude ac ſtatuis erectis ob id maximè illuſtrauit, vt exemplum iuuentus, traducta veluti in memoriam illuſtrium virorum imagine, quod in publicis priuatisque rebus imitaretur, haberet. Vt enim omnibus in rebus naturæ vis admirabilis primas tenet, in qua vniuerſa hominis excellentia & dignitas eſt collocata: qua duce, nulla in vitiorum turpitudine, aut opinionum errore hærere poterimus: propterea quòd ea cuique viuendi lex eſt, quæ homini tanquam principi animantium rationem, ſcientiam, virtutumque omnium cognitionem, beſtijs atque brutis ſuos ſenſus, ſuum attribuit munus, quæ ſtirpes quoq; voluit, vt terra altius ſe tollerent, frondeſcerent æſtate, ac fructus funderent, nuda-

nudarentur hyeme: ſic proximè ad naturam accedit imitatio, vehemens quædam impulſio,qua ad eorum,in quæ alta quadam mente intuemur,ſimilitudinem deducimur, fingimur,informamur.Cuius impulſu literarum ductus pueri, docentis vocem muſici,hominis induſtriam Simia, verba Pſitacus proferre conatur.Et tanquam ruſtici probatam experimento agriculturam in exemplum trahunt:ſic nobis magnum aliquid,atque arduū aggreſſuris prudens & ſobrius dux quidam, cuius in veſtigijs defixi animo atque cogitatione prudentiam æmulemur quaſi ſignum aliquod ſpectandum,proponi debet: vt quarum rerum gloriam ac laudem ambiamus, quibus ducibus eæ laudes comparentur, in ijs exprimendis multum & operæ & diligentiæ ponamus: vt aliorum,qui idem aliquando feliciter ſunt conati,ſucceſſu atque auſpicijs conformati, optimarum laudum ſpem viamque ingrediamur: cùm præſertim vſu venire, vt iam diximus, ſoleat, vt qui nullis inſtructi exemplis,nulla excellentioris naturæ bonitate,ceu maiore quodam numine afflati,cuius virtutis effigiem, certo volūtatis iudicio æmulentur, non vnum aliquem ſibi proponant, eos quum plurimum diligentiæ ad id,quod aggredi ſtatuiſſent, plurimū ambiguitatis,plurimum denique ſolicitudinis ſibi impoſuerint,longè tamen minus, quàm ex tanta ſtudij vehementia ſperauerint, conſequi emolumenti videamus. Nam in rebus gerendis, quarum nulla expreſſa animo eſt

In rebus agendis dux eligendus.

imago, aut quæ in ſui nos excitet æmulationem, nulla propoſita eſt ſimilitudo, grauis ſæpe & laboris & ſpei faciunda eſt fruſtratio. Et qui non vnum aliquem, in cuius phraſi atque excellentia omnes animi ſenſus fixos erectoſque detineat, imitandum ſibi proponit, is cùm alienæ phraſeos λέξιν ad ſua refert ſcripta, facilè intelligit, quàm longo interuallo à vera illa & priſtina eloquentiæ indole deiectus, in eam verborum profluentiam deuenerit, in qua nulla recti ſermonis facies, nulla antiquitatis ſecula priora referentis nota, nullum denique venuſtatis ac gratiæ veſtigium deprehendatur. Fitque eam ob cauſam, vt & gloriæ, quæ ſtyli æternitatem, tanquam vmbra corpus comitatur, fructu priuetur ampliſſimo, & ſcripta quoque illius perpetuo in ſitu & ſquallore iaceant inuiſa atque deſpecta. Cuius mei animi iudicium (ne officioſius, quàm ſimplex veritatis ratio ferat, quæſita fides exiſtimetur) vel me tacente confirmant Capellæ, Sidonij, Fulgentij, Thomæ, Scoti, cæterorumque ſcripta, adeò obſcuris & prodigioſis contaminata figuris, vt in tradendis rerum naturis atque oratione explicandis, non tam conatu, quem maximũ præſtitêre, quàm in eligendo dictionis filo, ad quod omní ſe mente componerént, iudicio caruiſſe videãtur. Itaque eadem animi egeſtas, & quædam veluti implacabilis naturæ facies, qua præcipuè laboraſſe videntur, cùm naturæ ſuæ genium propenſionemque ſecuti, neminem ſibi

Gloria ſtyli æternitatem ſequitur.

Quantam rebus obſcuritatem attulerit neglecta elocutionis imitatio.

ſibi exprimendum ſumpſerint, rerum pulchritudinem nonnihil obſcurauerunt, & eã laudis ac gloriæ amplitudinem, cuius ſtudio omnes, qui ſpe atque animo de poſteritatis fructu cogitamus, trahimur, magnopere extenuarunt. Fluit enim & extra alueum fertur inanis illa, tumida & inflata verborum volubilitas, plena pigmentis & puerili fuco, quam neque dicendi temperatio retinet, neque ducit imitatio.

Et quoniam natura, qua nihil eſſe poteſt callidius, & quæ paruis momentis multa aut effingit, aut mutat, aut detrahit, cunctis rebus magnis & præſtantibus hanc legem indixit, vt quæ in excellenti admirationis ac gloriç perpetuitate elucerent, ea nec repentè nec vniuerſa ſe profunderent, ſed leniori bus prætexta initijs, ab exemplo ſumerent exordiũ, debent illud tamen omnes, & quantum in quoque eſt, perficere, vt quaſcunque in diſciplinas animum intenderint, quo in genere cum aliquo ſtudij progreſſu ingenijque laude elaborauerint, quarum artium cupiditate flagrent, earum imaginem animo proponant inſpiciendam. Nam ſicut ſine æmulatione, ſine ſtudio, ſine ardore quodam amoris nihil quicquam vel egregium, vel laude præſtans, vel gloria illuſtre ſit: ita nulla ars liberalis ſine interprete, ſine duce, ſine aliqua exercitatione percipi poteſt: neque ſtudia quantumuis magna & vehementia nobis magnopere proſunt conſequendi ſperatum laboris fructum, niſi imagi

Omnes res magnæ ab exemplo ſumũt exordium.

nem eius ceu ideam,quā imitando nobis proponimus depingendam,iam ante animo conceperimus: aut illud, quod eò,quò intendimus,ferat & deducat,longa mentis prouiſione cognouerimus.An verò Phidias Mineruæ ſimulachrum facturus, propoſita eximia pulchritudinis ſpecie ac idea, in eaque animi ratione defixus, ad illius ſimilitudinem peniculum & manus non dirigebat? Aut Apelles & Polycletus tam admirabilem venuſtatis gratiam ſuis aſpergere imaginibus,omniumque in ſe oculos artis ipſius miraculo cōuertere potuiſſent, niſi hic ab Agelade, ille verò à Pamphilo præce ptore prima artis lineamenta ϗ μονοχρώματα accepiſſet? Non potuit ea ſine diligenti imitatione, quæ virtutis quoque æmulatio dicitur, artis perfectio eſſe. Atque refert Cicero, Heracleotem Zeuxin ſummum pingendi artificem, & cæteris omnibus artis excellentia egregiè præſtantem, cùm admirabilem Helenæ pulchritudinem pingere vellet, Crotoniatas virgines aliqua magna corporis dignitate præditas ſibi proponi iuſſiſſe, quò rectius ex viuo earum exemplo expreſſæ imaginis veritatem in nudum transferret ſimulachrū. Omnis diſciplinæ initia,omnis rectè agendi ratio, omnia vitæ præcepta ad propoſitum ſibi præſcriptum informantur. Cùm igitur veteres Latino illo ſeculo,cùm omni aliarum laudum genere florentiſſimo, tum verò præſtantiſſimorum ingeniorum copia,doctrina,ac eloquentia affiuente,animum

Phidias pictor.

Apelles, Polycletus.

Non poſſe vllius artis perfectionē ſine imitatione eſſe.

Quanto ſtudio maiorib' optimarum rerum imitatio fuerit.

mum ſuum atque mentem ad eorum, qui artis alicuius principatum tenere credebãtur, rationes hauriendas imbibendaſque traduxerint, in eamque curam atq; cogitationem incubuerint, vt Latina & Romana vſi oratione, peregrini ſermonis inſolentiam etiam in Tito Liuio eloquentiſſimo homine ab Aſinio animaduerſam tota vrbe depellerent: quanto maiore cum ſtudio nos barbari barbaro ſeculo inter Gotthos, Vandalos, Hunnos, Scythas, & Thracas nati atq; educati, curas noſtras, ſtudia, animorumque ſenſus ab omni alia cogitatione auerſi, ad præcudendam linguam applicare, eamq; exemplo propoſito, ad natiuam illam veræ Romanæque dictionis vrbem adhuc redolentis indolem componere debemus? Illi ſermonem Romanum, quem parui, lactentes, & maternis inhiantes vberibus imbiberant, intra obſtetricũ pædagogorumque complexus ac colloquia balbutiebant. Nam & Aurelia Cęſaris, quem admodum & Accia Auguſti, liberorum primam educationem omni eloquentiæ laude inſtituit, & Gracchorum eloquentiæ plurimum ſplendoris attuliſſe primam Corneliæ matris educationem Cicero ſcribit: & Lęlij, Caij filiæ Mutiarumque & Liciniarum orationem parentum elegantia tinctam à pueris fuiſſe idem commemorat. Chryſippus etiam infantis balbutiem, ne dediſcendo ſermoni aſſueſceret, prudentis nutricis eloquentia ſtatim corrigi voluit. Nobis verò tot retrò actis annis de omni latinæ locutionis poſſeſ-

Aurelia & Accia primã liberorum infantiam eloquẽtia inſtituerunt.

Cornelia mater Gracchorum.

Chryſippus.

ſione in hanc barbariem ætatis vitio, & quaſi abortientis naturæ iniuria deiectis, tota latina lingua ex mutis ſolum libris, omni dicendi audiendiq; conſuetudine ac vſu ferè ſublato, diſcenda eſt: vt qui hodie animi ſenſa dicendo efferre, de rebus magnis copioſè, diſertè, atque illuminatè dicere; ſeneſcentemque eloquentiæ laudem ab intermiſſo vſu & hominum propè obliuione vindicare, ciuilibusque reſtituere actionibus poſſit, eum non iniuria ab omni laude feliciſſimum, & quendam inter homines deum mortalem habeamus. Cùm tamen prior ætas maximam eloquentiſſimorum hominum copiã effuderit: quorum ſuccus ille naturalis nullis pigmentis oblitus, ſanguisque incorruptus & integer ad hanc vſque ætatem vel defuit, vel in paucis admodum hodie effloreſcit. Adeò multis iam annis glorioſa illa ciuitatum gubernatrix, otij ſocia, pacis ęmula, ac bene conſtitutæ Reipub. alumna eloquentia, quæ ſplendorem, quæ dignitatem, quæ admirationem habeat, quæ ſtantem deijcere, erectum ad Reipub. decus inflammamare, populi riſum, lachrymas, ſtrepitum, acclamationem, animorum permotiones quocunque incubuerit, impellere queat, optata potius, quàm ſperata fuit. Apparet igitur ex his, quæ diximus, in tanta ſeculi noſtri barbaria, & quadam recti ſermonis inopia, optimorumque Rhetorum egeſtate, neceſſariam eſſe imitationem Romanæ vocis vrbisque propriæ, in qua nihil offendi poſſit,

Eloquentia dignitas.

Neceſſaria Rom. ſermonis imitatio.

ſit,nihil diſplicere,nihil animaduerti, quod vel peregrinum, vel putidum oleat, & qua totam atque integram ſcriptionis alicuius formam exprimat. Cùm enim ſola ſit oratio nis dignitas atq; admiratio, qua reliquis omnibus animantibus egregiè præſtamus, cùm grauis & plena dignitatis ſit illa ipſa dicendi facultas, quæ, vt Cicero ait, plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſæpè ſtudia peperit: cùm denique nihil tam barbarum, tam horridum, tam incultum ſit, quod non ſplendeſcat atque illuſtretur orationis elegantia, cuius vi, in quadam hominum multitudine, & cauſarum contention vniuerſa dicentis gloria ſæpe excitatur, non oportet eius neglectam eſſe curam atque ſtudium: cùm non mediocrem, præſertim in rebus vilioribus, nobis imponamus ſolicitudinem. Quin potius nobis omni diligentia & ſtudio agendum, ipſa vt oratio, quæ lumen rebus adhibet, ratione & via procedat, omnibusque ornamentis abundet: fugiatque & reformidet, quæ inculta, tetra, aſpera & horrida habeantur. Nam vt nihil abiectius cenſeri ſolet oratione ſpinoſa, arida, exili, aſpera, horrida, antiquitatem redolente, etiam ab auribus vulgi abhorrente, neque concluſa: ita magna eſt eius orationis vis atque poteſtas, quæ grauis ſit, ſuauis, condita, liberalis, admirabilis, polita, & conſperſa quaſi verborum ſententiarumq; floribus: qua grauis ille orator inſtructus ciuitates legibus fundare &

re & ſtabilire, populum efferatum & inſolentem in officiorum religione continere, probos & claros viros laudare, nocentes & facinoroſos caſtigare, aut à flagitijs reuocare, iacentes atq; deſides hominum animos ad Reipublicæ decus, laudem atque gloriam excitare, adflictos, & in miſerrimi hominis infeſtū caſum deiectos conſolari, eaque ſalutis & doctrinæ præcepta alijs tradere poſſit, quæ cum bono publico ſunt coniuncta, & plena omnis honeſtiſſimæ dignitatis.

IMITATIO QVALIS ESSE debeat.

SEd Imitatio eſſe debet diligens, ſobria, & ęmulatione quadam mixta, ne timidi ſemper & imbecilli alienis veſtigijs innixi, nunquam excurrere, nihil inuentis addere audeamus: noſtraque cogitatio, mens atque contentio, quam aſſiduam & acerrimam ingenuarum artium magnitudo poſcit, huc referatur, id reſpiciat, vt cuius phraſin rationesque omnes imbiberimus, eum non ſolum aſſequi, ſed etiam præterire magno aliquo & laudabili conatu enitamur Nam ſola imitatione, ex qua nihil creſcit, contentum eſſe, tardi, pigri, & omnis laudis ſplendorem refugientis eſt ingenij. Neque enim vlla magna, præſtabilis, ſolida, & nullo ſeculo caſura gloria, quæ ferè de rebus nouis, inuſitatis & aliqua cum admiratione geſtis exurgit, ex imitatione ſola quæſita vnquam fuit: quando aſſecla prima ſibi vendicare non poteſt, coactus vel

Tardi eſt ingenij ſola imitatione contentum eſſe.

vel in ſecundis, vel in tertijs conſiſtere. Quã autem anguſtis circumſcriptus regionibus orbis ille & circulus omnium liberalium artium, quem Græci ob naturæ ſocietatiſque conſenſionem ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, & vix dũ medius hodie conſtaret, niſi priores illi, cùm nulla cuiuſquam diſciplinæ extarent præcepta, ſola animi magni & excelſi inductione, ſingulari induſtria, inuentione laudabili tã vberes & immortales ingenij ſui fructus, ampliſſimarumque rerum cognitionem poſteritati tradidiſſent? Spoliati nimirum maximarum artium ſcientia, optimorum exemplorũ copia, naturalium rerum cognitione, philoſophiæ myſterijs, & iucũdiſſimo illo delectationis ſenſu, quem bonæ literæ magna cum gratia & laude excitant, in quaſdam ingenij, rationis, ac prudentiæ anguſtias cogeremur. Nec ita magno diſcrimine brutis animantib. ad pabulum atque paſtum, abdominiſque delectationem abiectis homines antecelleremus, quæ nunc ſcientia ac bene dicendi facultate à maioribus tradita atque excepta ſuperamus. Maius quiddam illi, dum in rerum naturæ cauſis, officijs & conſecutionibus inquirendis nullum ſpiritum tranquillum ducerent, & excellentius etiam animo ſunt complexi, quàm ingeniorum noſtrorum acies, in tanta præſertim vel naturę humilitate, vel pigritia, quæ naſcentis laudis, exurgentiſq́; virtutis pulchritudinem corrumpit atque retũdit, videre poſſit.

ἐγκυκλοπαιδεία.

Pigritia exurgẽtem laudem retundit.

Sed tanquam illis inuentarum artium gloria,

ria,& quòd laudabili ſua induſtria ſolicitudines noſtras alleuauerint,ſumma veneratio gratiaque maxima debetur: ſic committendum nobis non erit,alienam vt diligentiam in noſtram conuertamus deſidiam: alieno beneficio,quàm noſtro labore partis opibus vti malimus. Neque enim tanta eſt in naturis hominum & ingenijs tarditas, neque tanta in rebus obſcuritas, vt nos eas acri ingenij acie, ſi modò aſpexerimus, cernere ac prouidere, & ſi conemur, facultate aſſequi, oratione expolire,vetuſtis nouitatem,nouis auctoritatem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem, ſuam rebus appellationem,ſuũ naturæ ſplendorem addere non poſſimus. Quod tamen ipſum parcè nobis & prudenter faciendum erit, non ſanè, quia non multa transferre in orationem noſtram, & vſurpare queamus: licet enim nobis, & magni iam inde ab initio bene conſtitutæ Reipub. Romanæ atque multi clariſſimi viri, ipſe quoque Demoſthenes atque Cicero idem ſibi permiſerunt:ſed partim,quod nulla in fabricandis verbis audacia,nulla in transferendis nouitas,nulla in priſcis vocabulis, reliquiſque ornamentis luxuria ſobrio & prudenti Oratori eſt permittenda:partim etiam,quod tanquam excellentes artifices,quum corporum formas atque ideas pingendo imitantur, inſigniore tamen, & veluti inuſitata pulchritudinis facie eas exprimunt, admirabili quadam nouitatis gratia aſperſa:ſic præclarius eſt multò, ita nos inuentis vti & alienis, omnia

Non oportere animos noſtros magnarum rerum deſperatione debilitari.

In fabricandis verbis audaciam abeſſe oportere.

omnia vt noſtro Marte excogitaſſe & quaſi peperiſſe videamur, & quæ ab alijs mutuati ſumus, ea omnino illuminatiora, illuſtrioraque noſtris in ſcriptis quàm in eius, à quo mutuum acceptum fuerit, conſpiciantur: vt non minor in exornando laus, quàm induſtria in inueniendo eluceſcat. Hac enim diligentia conſequemur, vt cùm plurima aliorum ex ſcriptis ad aliquem dicendi ſcribendique vſum referamus, non tam imitatio appareat, quàm laudabilis rerum exornatio quæſita videatur. Neque enim naturæ, niſi ea vitioſiſſima ſit, lege, neque ſtudiorum progreſſu, neque laboris contentione nobis interdictum eſt, quò minus, quibus poſteriores fuimus, eos curſu vel adæquemus, vel ſuperemus: vel eam conſequamur mediocritatem, quæ ſemper poſita fuit in laude atque dignitate.

Inuentis alienis quomodo vti debeamus.

IN DISCIPLINIS PERDISCENDIS *adſit oportet ſpes, æmulatio, & ſtudium vehemens.*

Spes & æmulatio duo acerrimi maximarum rerum ſtimuli.

HAnc verò facultatem non modò eos, ex quorum æmulatione ſtudioque pro pendemus, religioſè imitandi, ſed vel tranſiendi, quod optare, vel adæquandi, quod obtinere poſſumus, duo acerrimi cùm plurimarum maximarumque rerum, tum verò laudis ac gloriæ ſtimuli Spes & Aemulatio nobis dabunt. Illa enim efficit ac præſtat, vt quoniam in hoc exiguo vitæ curriculo & veluti theatro, in quod naturæ lege intro-

tromiſſi ſumus, vnum vel alterum humanæ vitæ actum ſpectaturi, nihil præter hanc laudis ac honeſtatis amplitudinem magnopere ſit expetendũ: in ea perſequenda nullo nec labore frangamur, nec debilitemur deſperatione, ac ne mortis quidem periculo ab ea depulſi, in otium atque ſocordiam traducamur. Excitat enim iacẽtes animos noſtros, & excellentium virorum cogitatione confirmat, vt ſempiternum quiddam & cum omni poſteritate adæquatum ſpectemus: nec vnquam ab earum rerum, quæ cum reipublicę ſplendore, ſalute patrię, ac nominis noſtri æternitate coniunctæ fuerint, æmulatione animum abijciamus: nec hunc ſolum, quem diligentiſſimus quisque affectat, producit ſucceſſum, ſed vniuerſa honeſti ſtudia fouet, auget, retinet. Hæc verò, niſi cum imitatione coniungatur, perire vniuerſos ſtudij noſtri conatus neceſſe eſt. Primùm enim hanc noſtro ſæculo ſterilitatis infelicitatisque damnationum atque notam inurimus, vt quum omnes ingenuæ artes cum ætate accreuerint, nullaque omnium intra ſua ſtet rudimenta, nunc demum nihil creſcat, nihil ex tam immenſo rerum complexu eruatur, quod vel eruditionem, vel vitæ augeat commoda. Nã imitatio per ſe ipſa nihil auget. Deinde quoniam adæquare, nedum præterire neminem poſſumus, cuius quidem veſtigijs nobis inſiſtendum erit, ad nullum iam eruditionis dignitatisque faſtigium contendamus. Vt hinc non dubium iudicium facere liceat, Spem & æmu-

Omnes artes cũ ætate accreuerunt.

æmulationem, duas illas præclaras pulcherrimarum rerum parentes, nullo nec tempore, nec loco à nobis eſſe dimittendas. Nihil enim egregium, nihil præclarum, nihil magnificum aſſequemur vnquam, niſi ardẽs ſtudium, flagrans æmulationis cupiditas, & ſpes magna in rebus agendis, diſcendisq; diſciplinis adſit. Vt igitur cæteris in rebus omnibus præclarè agendis, ita in paranda optimarum rerum elocutione, in conſequenda ſtyli æternitate adeſſe oportet, cùm ſpem magnam, tum verò vehementem quandam animi & incitationẽ, & æmulationem. Rectéq; à Cicerone ſcriptum eſt, diligentiam omnibus in rebus plurimum valere, hanc præcipuè colendam eſſe nobis, hanc ſemper adhibendam, hac nihil eſſe, quod nõ aſſequamur: vna enim hac virtute, omnes reliquas in dicendo virtutes contineri: etiã ipſam doctrinam parum valere, niſi ea induſtria, ſtudio, labore, diligẽtia comprobetur. Nam Demoſthenes magnus ille orator dicitur naturæ impedimenta non ſolùm diligentia, laboris contentionẽ, & induſtria ſuperaſſe, verùm etiam ad cultum & ſplendorem deduxiſſe. Et Cicero ſcribit multum ſe ſtudij ad dicendũ, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe: neq; ſibi vnquam acerrimum illud dicendi ſtudium defuiſſe. Nec vllius artis tãta videtur difficultas, quam non flagrãdi ſtudio, ſi non omninò ſuperare, ſaltem flectere, & in aliquem doctrinæ vſum deducere queamus.

Quæ in rebus præclarè agendis adeſſe oporteat.

QVIBVS LINEAMENTIS DICTIO noſtra ſit tingenda.

PErmagni tamen intereſt, quo primùm rudimento dictio noſtra imbuatur, ad cuius nos ſimilitudinem tota mente atque cogitatione quàm diligentiſſimè comparemus. Multos enim, cuius potiſſimum lineamenta imitando effingerent, magna hęſitatio tenuit, quæ & ipſa aliqua ex parte exurgentis ſtudij curſum remorata, perueniendi, quò contenderant, conatum aut impediuiſſe, aut certè retardaſſe videri poteſt, cùm tanta ſit, ſicut rerum, ita & auctorum varietas: nec poſſint res natura diuerſiſſimæ, multiplices etiam diſciplinæ, & diſſentientes inter ſe, cùm voluntates, tum animorum habitus, ingenij vnius anguſtijs aſtringi: Quādo, vt Cicero lib. 3. de Oratore inquit, magni intereſt eius, qui diſcere vult, vtrum vnum omnia, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Si enim putabit omnia poſſe penes vnum conſiſtere, ipſe quoque ad omnium nitetur facultatem, ſi is deſperabit, in paucis ſe exercebit: ipſis enim contentus erit. Sed horum ego contentionem magnis vtrimque & multis rationibus iactatam adhuc magis, quàm vllo certo conſentienteque diremptam iudicio, proptereà prudens hic remitto, quod grauis magnorum virorum ingenio atque doctrina adfluentium auctoritas multiplici eru

Nondum ſatis inter artium ſcriptores cōuenire, quo primùm rudimento dictio ſit imbuenda.

ditio

ditione inſtructa, vt ſub iudice lis hæreret, facilè impetrauerit: ſatiſque conſtet, naturam nullam eſſe, quæ non habeat in ſuo genere res complures, diſſimiles inter ſe, quæ tamen ſingulæ ſuam merentur & habent cùm laudem, tum verò dignitatem Cuius tamen admirabilis bonitas, & quædam excelſitas in hoc elucet, quod rationis vi hominem conciliet homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem.

Ad illud certè animus noſter & mens tota conuertēda, in hunc conatum voluntas noſtra & exercitatio conijcienda, primùm vt dictionem paulò vnctiorem, ac multarum rerum iucunda varietate aſperſam, & quodam venuſtatis non puerili fuco, ſed ſanguine diffuſo colore eniteſcentem, pertinaci ac vehementi legendi ſcribendique vſu nobis paremus, quando non ſolùm in paranda eloquentia, verùm etiam omni diſciplina infirma eſt artis perceptio, ſine ſumma aſſiduitate exercitationis: deinde vt eas præcipuè res, quæ vel magnitudine claræ, vel nouitate admirabiles, vel vtilitate neceſſariæ videntur, in exemplum nobis aſſumamus. Nam ipſa rerum prudens natura, quæ magnas nobis & arduas res excogitandi tanquam ſemina quædam inſeuit, quæ nos altum quiddam & excelſū ſpectantes ad imperandū, ſi rectè informatus ſit anim⁹, accōmodatiores, quā parendū, procreauit, quæ nos cœleſtis originis noſtræ memores voluit humana om̄ia leuia ducere, res humanas per *Qualis dictio paranda.*

tractatas habere, & quæcunque accidunt, tolerabilia putare: hunc quoque animis noſtris ſenſum inſeuit, vt tanquam ædificiorum, arborum, locorum; ſic quoque omnium magnarum artium, omnium excellentiũ rerum, omnium officiorum nos delectet magnitudo: ſemperque animus noſter gloriæ ac virtutis ſtimulis concitatus, ſummum quiddam, ęternum atque altiſsimum ſpectet, ne ſi earum rerum ambitu inflammetur, quas vulgus humi proſtratus non iudicio, cuius egeſtate vbique ferè laborat, ſed temerario animi impetu miratur, à naturæ ſuæ ſtatu receſſiſſe videri queat. Cuius enim ſtultitiæ eſt, ſi nullum in eo, ad quod rationes noſtras comparemus, delectum habeamus: aut etiam mediocribus nos deterioribusque tradiderimus, tam laborioſam & anxiam vnius effingendi ſolicitudinẽ nobis vt imponamus? niſi fortè in eo blandiri nobis, quod omniũ luſione irrideatur, velimus, vt parui in reb⁹ tumidi, in grandibus minuti, in tanquillis perturbati, in turbulentis remiſsi, in ſaturis ieiuni, in ieiunis pleni, in moderatis furioſi, in ſobrijs Bacchico furore correpti videamur. Cùm nihil æquè ſit naturale, atque ad rerum naturam explicandam aptè accommodata oratio: cuius hic imitationem naturæ noſtræ facilitate, & conſuetudine magis noſtra, quàm eius, quod ſuſcepimus, præſtandi facultate adducti præſcribimus.

Animus noſter omnium magnarum rerum excellentia delectatur.

Non autem obſcurum eſt, quàm multorum ſtudia, abiecta huius imitationis cura

per-

peruertat: qui cùm in magnis rerum diſcipli narumque iactationibus nullam certam ſtyli faciem nullum ſcribendi vſum exercitationemq́ue ſibi parent, vbiq; ferè prodigioſi, vbique ſpurij & abortiui ſunt, nulla in re inhærentes. Nec tamen facilè huius morbi, vbi ſemel radices egerit, inueniri poteſt remedium: quod cùm in nobis, qui ætate & eloquentis præceptoris inopia in eam veteris diſciplinæ perturbationem incidimus, vt præter vnum Boetium caſu nobis obiectum, nullum ſimus in ſcribendo ſecuti, quotidie experiamur: tum etiam in alijs animaduertimus, quorum multiplex eruditio, nullo proprio orationis filo contexta, gratiam omnem amiſit.

Abiecta imitationis cura magnos ſtudiorum progreſſus eſt remorata.

Vix enim vnquam, quæ altè inſederint, ex animo euelluntur noſtro, qui omnium earũ rerum, nedum orationis, quibus ſemel aſſuetus eſt, tanquam odoris teſta recens, in omnem vitam tenaciſſimus eſt. Vt enim lanarũ prima lineamenta, quibus ſimplex ille & natiuus candor tinctus eſt, vix vnquam elui poſſunt: ſic dictionis indoles, quam ſemel animis noſtris impreſſimus, vbique ſeſe offert atque oſtendit. Quò maiore diligentia, ſtudio & induſtria in eo omnis ingenij ac imitationis neruos intendere debemus, vt quod in omni laude perfectiſſimum eſt, ad illud orationem noſtram atque mentem comparemus. Proprium enim eſt animi magni atque excelſi, cùm in literarũ ſtudijs nullis nec animorum permotionibus, nec fortunæ ſuc-

Sententia Horatij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cumbere:tum verò eas res magnopere conſectari, quarum ſplendor omnis atque dignitas cum Reipublicæ decore eſt coniuncta. Vt enim expetendarum genera diuerſa ſunt, quorum alia non vllius emolumenti ambitione, ſed ſua nos dignitate allectos permouent, veluti optimarum rerum ſcientia, virtus, & Reipublicæ ſtudium: alia nos in priuatam vtilitatem impellũt: alia verò nos in ciuilis vitæ ſocietatẽ inducunt: ita vt quæque res optimæ erunt, ſic eæ nobis præcipuè erunt expetendæ, atque ad imitationem referendæ: etiam ipſis nobis perſuadendum, nihil in omni vita, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, & animi corporiſque expletum virtutibus, nobis magnopere eſſe expetendum.

NON ORATIONEM MODO AD *optimorum auctorum imitationem, ſed mentem quoque ad virtutum omnium exemplum eſſe componendam.*

Oratio ſenſuum index. PRincipiò animo complectenda magnitudo, vtilitas ac vniuerſa eius rei natura, ad quam orationem mentemq; noſtram componere conamur, noſtra vt oratio, quæ ſenſuum noſtrorum, voluntatis animique index eſt, moreſque dicentis effingit, non ſolùm omni verborum maieſtate, ac ſententiarum grauitate, omni ſplendore, omni vetuſtatis exornationumque gratia colora

orata ſit, & expolita, ſed prudentiam, cuius præclara, vt cæterarum virtutum omnium extant apud inſignes rerum artiumque ſcriptores exempla, animi magnitudinem, auctoritatem admirationemque habeat. Eſt enim, vt Cicero exiſtimat, eloquentia nihil aliud, niſi copiosè loquens ſapientia, & vna quædam de ſummis virtutibus, quæ vrbanis, pacatiſque rebus primas, iuris verò ſcientia ſecundas apud populum Romanum olim tenuit. Et cùm animorum ſenſus omnis, & vitæ dignitas in oratione eluceat, qua mentis conceptum dicendo inter nos explicamus, noſtramque de rebus magnis atque ad Reipublicæ decus pertinentibus ſententiam pronunciamus, non conuenit eam meretricio fuco, & puerili aucupio, verborumque lenocinijs potius, quàm multiplici laudandarum artium cognitione, ſententiarum pondere, concilij admiratione ac prudentia tinctam atque informatam eſſe. Nam tanquam tinnitu ærea vaſa, ſic oratione cuiuſque animi voluntas cognoſcitur. Quæ ſi ſobria, liberalis, pudica, honeſta ſit ac prudens, adæquabitur cum vera eloquentia, quam veteres olim, cùm nullum adhuc linguæ & cordis diſſidium extaret, nulla diſciplinarum diuortia inducta eſſent, ſapientiam vocauerunt. Quod ſi inuerecundam verborum iactationem habeat, plena iræ, ſeditionis atque calumniæ, perdit non ſolùm eã, quã ex ciuili & populari laude habitura fuerat

Linguæ & cordis diſſidium.

Eloquentia olim appellata ſapientia.

Orationem ſobriam eſſe oportere.

fuerat gratiam, verùm etiam dignitatem omnem amittit. Quo vitio, & præcipiti amentia, libidinoſoq; furore ij præcipuè obſtricti ſæuiunt: qui in optimorum auctorum lectione, neglectis omniũ virtutum exẽplis, quibus præcipuè mens humana ad vitæ dignitatem informatur, eas dicendi formas colligunt, quibus optimum quemque procaciter atque ignominiosè ad inimicitiam prouocent, dignitatem labefactent, virtutem denique calumnijs oppreſſam extinguant: vt quoniã nulla ſua induſtria, nulla vitæ honeſtate, cuius inopes ſunt ac egentes, ad altiorem dignitatis gradum conſcendere nequeant, in laude ponant virtutis alienæ obtrectationem. Cùm tamen nihil magis humile, magis abiectum, magis ſeruile ex omni rerum deformitate cenſeri poſſit, quàm ex laude aliena ægrotare, propterea quod virtutis comes ſit inuidia, quæ etiam bonos inſectatur: nec quicquam tam ſit contra naturam, quàm eloquentiam, & orationem, quæ à natura ad res illuſtrandas & hominum ſalutem, conſeruationemq́ue ciuilis ſocietatis data eſt, in alterius contemptionem, laudis & dignitatis alienæ diuexationem & conſpurcationem conuertere velle. Quo ipſo vitio nulla peſtis pernicioſior eſſe poteſt, quãdo ſermo impurus, morum quoq; integritatem violat atq; corrumpit. In omni autẽ vita atque actione meminiſſe debemus præcepti Ciceronis, vt prouideamus, ne ſermo noſter, qui mentis eſt interpres, vitium aliquod indicet

Illiberaliter eos facere, qui eloquentiæ bonis abutuntur.

dicet

dicet ineſſe moribus: quod tum euenire ſolet, cùm maledicēdi cupiditate commoti de abſentibus detrahendi, deformandiq́ue cauſa, ſeuerè & contumelioſè dicimus, aut alijs conuitia facimus. Fit enim natura, vt bonorũ virorum mentes magis eorum maledicentia offendantur, qui aliena flagitia apertè, & iniurioſè dicunt, quàm eorum vitijs, qui ſcelere ſe obſtringunt. Qui enim alijs maledicũt, ij naturæ ſuæ deprauationem dirigunt, vt hoc magis morbo & animi vitio, quàm com monendi cauſa facere conuincantur.

Conuertenda igitur in laudandiſſimarum rerũ auctorumq; imitatione, quæ æmulatione quadā ſit coniuncta, tota mens, omnis animi cōmentatio, vniuerſi deniq; ſenſus ad eas virtutes, conſilia, iudicia, ac ſententiarum lumina, quæ in illis explendeſcunt, vt iuuentus animo concipiat, quanta maioribus noſtris in rebus gerendis, cùm celeritas, tum fidei, quanta turbulentis ſæpè in rebus & communium temporum perturbationibus moderatio, quanta pro patriæ incolumitate propugnatio, quanta in conſilijs de republica capiendis dignitas, quanta in periculis à Repub. propulſandis animi magnitudo, quanta in ſententijs ferendis auctoritas, quanta in commodis publicis prouehendis grati animi beneuolentia, quàm omnia denique ad nullam priuatam nominis commendationem officijq; gratiam, ſed Reipub. decus, ciuium defenſionem, patriæ gloriam ac ſplendorem retulerint, quàm vbique ſer-

Decorum.

uatum decorum illud, quod Græcis τὸ πρέπον appellatur. in quo omnis virtutis pulchritudo, omnis vitæ dignitas, omnis conſiliorũ magnitudo quodã quaſi pulchritudinis lumine relucet. His exemplis informata mens humana non iam animum ſolùm eloquentiæ maieſtate, verùm etiam magnarum quoque virtutum formis implet, atque exornat, quarum ſtudia excitata, ad omnem laudis pulchritudinem ingenijq́ue gloriam magnis & rectis ſtudijs contendit: non huius lucis iucunditate, non populi ſuffragatione, non præſentis laudis prædicatione atque nobilitate, non illa denique populari aura, quæ vana ſæpe atque falſa iuſtæ laudis pulchritudinem atque ſplendorem corrumpit, contenta: ſed nominis ſui gloriam rerumq́ue geſtarum magnitudinem ad poſteritatis memoriam, conſenſionem, admirationemq́ue traducere conatur. Quare cùm imitationis, quæ frequentiſsimæ ſunt, præceptiones explicemus, excutienda erit intelligentia atque excitanda animaduerſio: vt quoniam multæ, magnæ & admirabiles ſunt in bonis auctoribus virtutes, lateantq́; quędam etiam vitia virtutibus cognata, certa animi ratione ſpectemus, quæ potiſsimùm in exęmplũ tueri, ad quorum imitationẽ infantiam noſtram ingenijq́ue exiguitatem conferre atque traducere conueniat. Cuius rei deliberatio non magnis implicata eſt erroribus: quoniam vitia, quæ in illis vel pau-

Popularis aura iuſtam ſæpe laudem corrumpit.

Diligenter peruidendũ, quæ nos in imitatione tueri oporteat.

pauca admodum deprehenduntur, vel magnis compenſantur virtutibus, vitari facilè ab eo poſſunt, qui mediocrem in legendis præſtantiſsimorum hominum ſcriptis diligentiam iudiciumque adhibuerit: & virtus eſt nulla, cuius pulchritudine imbui ſtatim, ac ſemper animus noſter non debeat. Sit igitur hæc conſilij moderatio, vt omni cogitatione, mente atque ſenſibus proſpiciamus, qua fide, qua gratia, qua auctoritate graues illi atque excellentes adminiſtrandarum vrbium artifices, eloquentiam pulcherrimum naturæ munus non ad perniciem ciuium, niſi hoc Reipublicæ dignitas atque ſalus poſtulauerit, ſed ad communium fortunarum propugnationem, patriæque ſplendorẽ conuerterint, quàmvix magnis atque iuſtis, neceſſarijsq́; de cauſis ad eorum accuſationem pertracti venerint, quorum profuſa nequitia, furor libidinoſus, mens ſcelere imbuta flagitijsque obſtricta, nullis legibus contineri poterat. Indicat hoc ſummus orator Cicero, Verrem accuſaturus, quum diligenti admodum exordio ad officij ſui commendationem facto, pluribus ſe excuſans, cauſam adfert, quamobrem hominem flagitioſiſsimum in criminationem adduxerit: Si quis veſtrum, inquit, Iudices, aut "
eorũ, qui adſunt, fortè miratur, me, q̃ tot an- "
nos in cauſis iudicijsq́; publicis ita ſim ver- "
ſatus, vt defenderim multos, læſerim nemi- "
nem, ſubitò nunc mutata voluntate ad accu- "
ſandũ deſcendere, is, ſi mei conſilij cauſam, "
ratio-

„ rationemq́ue cognouerit:vnà & id quod fa-
„ cio probabit,& in hac cauſa profectò nemi-
„ nem mihi eſſe præponendum actorem puta-
„ bit.Cùm quæſtor in Sicilia fuiſſem,Iudices:
„ itaq́; ex ea prouincia deceſſiſſem, vt Siculis
„ omnibus iucundam diuturnamq́ue memo-
„ riam quæſturæ nominiſq́; mei relinquerem,
„ factum eſt,vti cùm ſummum in veteribus pa
„ tronis multis, tum nonnullum etiam in me
„ præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe ar-
„ bitrarentur. Qui nunc populati,atque vexa-
„ ti,cuncti ad me publicè ſæpè venerũt,vt ſua-
„ rum fortunarum omniũ cauſam, defenſionẽ-
„ q́ue ſuſciperem:me ſæpe eſſe pollicitum,ſæ-
„ pè oſtendiſſe dicebant,ſi quod tempus acci-
„ diſſet,quo tempore aliquid à me requirerẽt,
„ commodis eorum me non defuturum,veniſ-
„ ſe tempus aiebant:non iam vt commoda ſua,
„ ſed vt vitam ſalutemq́ue totius prouinciæ
„ defenderem,ſeſe iam ne deos quidem in ſuis
„ vrbibus,ad quos confugerent,habere : quod
„ eorũ ſimulachra ſanctiſsima C.Verres ex de-
„ lubris religioſiſsimis ſuſtuliſſet.Quas res lu-
„ xuries in flagitijs, crudelitas in ſupplicijs,a-
„ uaritia in rapinis,ſuperbia in cõtumelijs effi
„ cere potuiſſet,eas omnes ſeſe hoc vno prętо-
„ re per triennium pertuliſſe:rogare,& orare,
„ ne illos ſupplices aſpernarer,quos me inco-
„ lumi nemini ſupplices eſſe oporteret. Tuli
„ grauiter & acerbè,Iudices,in eum me locum
„ adductum,vt aut eos homines ſpes falleret,
„ qui opem à me atque auxilium petijſſent,aut
qui me ad defendendos homines ab ineunte
ado-

adoleſcentia dediſſem, tempore atque officio coactus, ad accuſandum traduceret. Dicebam habere eos auctorem Q. Cæcilium: qui præſertim quæſtor in eadem prouincia poſt me quæſtorem fuiſſet. Quo ego adiumēto ſperabam hanc à me moleſtiam poſſe dimoueri, id mihi erat aduerſarium maximè. Nam illi multò mihi hoc facilius remiſiſſent, ſi iſtum non noſſent: aut ſi iſte apud eos quæſtor non fuiſſet. Adductus ſum, Iudices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoq́ue maiorum, vt onus hoc laboris, atque officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, Iudices, conſolatur: quod hæc, quæ videtur eſſe accuſatio mea, non potius accuſatio, quàm defenſio eſt exiſtimanda. Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam. Quamobrem, ſi mihi vnus eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo videor, & non omnino a defendendis hominibus ſubleuandiſq́ue diſcedere. Quòd ſi hanc cauſam tam idoneam, tam illuſtrem, tam grauem non haberem, ſi aut hoc à me Siculi non petiſſent: aut mihi cum Siculis cauſa tantæ neceſſitudinis non intercederet: & hoc, quod facio, me Reipublicæ cauſa facere profiterer, vt homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus, cuius furta, atque flagitia nō in Sicilia ſolùm, ſed in Achaia, Aſia, Cilicia, Pamphilia, Romæ

deniq;

" denique ante oculos omnium maxima, tur-
" piſſimaq́; noſcemus,me agente in iudiciũ vo
" caretur:quis tandem eſſet, qui meũ factũ aut
" conſiliũ poſſet reprehendere? Quid eſt,proh
" Deûm hominumq́; fidẽ,in quo ego Reipubli
" cę plus hoc tẽpore prodeſſe poſſim?quid eſt,
" quod aut pop.Ro.gratius eſſe debeat, aut ſo-
" cijs, exteriſq́; nationibus optatiꝰ eſſe poſſit,
" aut ſaluti fortuniſq́; omnium magis accom-
" modatũ ſit?Populatę,vexatæ, funditus euer-
" ſæ prouinciæ, ſocij ſtipendiarijq́ue Populi
" Romani afflicti, miſeri, iam non ſalutis ſpẽ,
" ſed exitij ſolatium quærunt.Qui iudicia ma-
" nere apud ordinem Senatoriũ volunt, que-
" runtur accuſatores ſe idoneos non habere:
" Qui accuſare poſſunt, iudiciorum ſeuerita-
" tem deſiderant. Populus Romanus interea,
" tametſi multis incommodis difficultatibus-
" que affectus eſt: tamen nihil æquè in Repu-
" blica,atque illam veterem iudiciorum vim,
" grauitatemq́; requirit.Iudiciorum deſiderio
" Tribunitia poteſtas efflagitata eſt. Iudiciorũ
" leuitate ordo quoque alius ad res iudicãdas
" poſtulatur: iudicum culpa atque dedecore
" etiam Cenſorium nomen, quod aſperius an-
" tea populo videri ſolebat, id nunc poſcitur,
" id iam populare,atque plauſibile factum eſt.
" In hac libidine hominum nocentiſſimorum,
" in populi Romani quotidiana querimonia,
" iudiciorum infamia,totius ordinis offenſio-
" ne: cùm hoc vnum his tot incommodis re-
" medium eſſe arbitrarer, vt homines idonei,
" atque integri cauſam Reipublicæ legumq́ue
ſuſci-

ſuſciperent: fateor me ſalutis omnium cau- „
ſa, ad eam partem acceſſiſſe Reipublicæ „
ſubleuandæ, quæ maximè laboraret. Quis „
hic tam omnis humanitatis expers, ita ab omni recti iudicij ſenſu relictus, qui non ſtatim ac religiosè hanc Ciceronis modeſtiam, pietatem, fidem, officiorum religionem, non modò imitari, ſed etiam venerari ambiat? Duri eſt hominis, vel potius pecudis immanis eloquentia, quam natura homini ad ſalutem, ac vitæ, dignitatiſque propugnationem dedit, capitis ac fortunarum omnium periculum calamitoſo homini, atque in miſerrimi mortalis caſum deturbato creare velle, niſi fortè eiuſmodi accuſatio iudiciumque Reipublicæ cauſa conflatum eſſe videatur. Quare vt magna eſt admiratio hominis illuminatè ſapienterque dicentis, quē qui audiunt, tanto interuallo præſtare cæteris exiſtimant, quantò homines brutis ac beluis: ſi oratione modeſtiæ grauitate miſta, nihil admirabilius dici fingiq; poteſt. Atq; hac de cauſa Pericles optare ſolere cōmemoratur, ne quod ſibi verbum in mentem veniret, quod multitudinis animos offenderet. Nullius enim rei diuturnior eſt memoria, quàm violatæ oppreſſæq; dignitatis: nec aliud eſt vehementius ad amicitias diſſuendas extinguendamq; ciuilis vitæ ſocietatem, quā petulans ac maledica lingua, quaſi ſeditionis flabellū. Adhibeamus igitur nobis hāc excellētiū virorū moderationē, ne eloquentia vitio temerè, & alterius in perniciem abutamur.

Modeſta oratione nihil admirabili⁹ fingi poteſt.

Pericles.

Oppreſſæ dignitatis diuturna eſt memoria.

Iam verò magnam ciuilibus in rebus ac bellicis admirationem, magnamq; gloriam ſplendoremque excitat animus fortis, ac conſilio præſidentis magnitudo: cuius ſepti præſidio, nec proſperis rebus ad voluntatem noſtram affluentibus inſolentius efferimur, nec affligimur aduerſo ſæuientis in nos fortunæ flatu atque temeritate de gradu deiecti: ſed pari ſemper moderatione res humanas pertractatas habemus, nihil non antequam euenerit, omninò euenire poſſe exiſtimantes.

Præclara omnium virtutū exempla in Ciceronis ſcriptis extare.

Cuius quod clarius in quoquā, quàm in Cicerone (hunc enim ante omnia imitandum eſſe iubemus, eoq; libentiùs ab eodem ſumimus argumenta) eſſe poteſt exemplum? Qui cùm non dubium haberet, quantis ſe inuidiæ tempeſtatibus, ſi minus in præſens tempus, recenti adhuc, & multorum pectora effodiente memoria tam crudelis & immanis coniurationis, at ſaltem in futura tēpora obijceret: nullo tamē priuati periculi metu debilitat⁹, furentem audacia, & patriæ cōflagrationem atque ſcelus anhelantem Catilinam, incredibili quadam diligentia circumcluſum ad Senatum pertraxit, pertractum conuicit, conuictum fugę ac ſolicitudini mandauit. Et cuius furorem effrenata iactatum audacia, nec maiorū dignitas frangere, nec à flagitio patriæ pietas, nec à præcipite amentia ratio potuit auocare, eum ſola orationis vehementia diſruptum vrbe eiecit. Nec mitius deinde, nulla priuata læſus iniuria, ſed communi voluntate virtutis permotus, in cæteros Patritios homi-

homines eiuſdem coniurationis affines animaduertit: quos inflammatione vrbem, cæde ac ſanguine ciues, populationib⁹ agros, exitio Rempublicam, direptionibus Deorũ fana ac templa, vniuerſam denique Italiã vaſtitate, ceu quodam diluuio euertere atque extinguere conatos, ſtrangulari inter fœdiſſimas naturæ ſuæ ſordes iuſsit. Et quod omnem omnium admirationem excedit, cùm intelligeret illos Reipublicæ fluctus à communi peſte depulſos in ſuam pernitiem aliquando redũdaturos, propterea, quòd miſera & inauſpicata foret adminiſtrandæ vrbis eius conditio, in qua diligẽtia ſimultàtis plena eſſet, negligentia reprçhenſionis, ſecuritas periculi & calamitatis plena, poſſe etiam ſupplicij lenitate inuidiæ acerbitatem leniri: maluit tamen incluſum in Reipublicæ viſceribus periculum in ſuas ceruices ac ſalutis vulnerationem conuertere, quàm impendentibus coniurationis exagitatæ magis, quàm extinctæ tempeſtatibus vel cedere, vel patriæ periclitanti deeſſe. Magni erat & verè excelſi animi, ſi Reipublicæ partes omnes amplecti, nulla vt in parte conuelli poſſe viderentur. Qualem animum, ſi exemplo Marci Tullij Ciceronis prouocati, qui rebus bene feliciterque gerendis hodie proponuntur, ſibi induerent; haberemus tranquilliorem Rempublicam, quæ hodie miſerandis errori bus ac diſsidijs conuulſa in ſuam ipſius perniciem præceps abit.

Quanta animi magnitudine coniurationem Catilinariam Cicero extinxit.

Sed ſunt aliæ quoque virtutes, quæ animos

noſtros honeſti ſpecie indnũt,veluti vitę morumque innocentia, in qua præcipua conſilij moderatio,vitæ dignitas,prudẽtiæ altitudo conſiſtit: quando Fabio Quintiliano referente graui morum informatore,nihil tam occupatum eſt, tam multiforme, tot ac tam varijs affectibus conciſum atque laceratum, quàm mala mens. Nam & cùm inſidiatur,ſpe, curis,labore diſtringitur: & iam cùm ſceleris compos fuerit,ſolicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur: vt mihi ſanè hoc verè videar dicturus, nullũ in Philoſophorum libris, nullum in hiſtorijs virtutis exemplum eſſe, cuius nõ effigies ac ſimulachrum in Ciceronis extet ſcriptis. Ex quo illud ſequitur, Ciceronis lectionem non ſolùm ad eloquentiam parandam, ſed mores etiam inſtituendos in primis, vtilem, & penè neceſſariam eſſe.

Mentis male incõmoda.

Prudentia.

Poſſũ hic quoq; multis oſtendere, quàm ad mirabilem illis prudentiã propenſa naturæ benignitas cõceſſerit,quæ vt propria naturę humanæ eſt:ſic præcipuè in veri cognitione cõſiſtit:in qua auctore M.T.Cicerone, omnis cogitatio motusq; animi,aut in cõſilijs capiẽdis de reb⁹ honeſtis & pertinẽtibus ad bene beateq; viuendũ, aut ſtudijs cognitionis ſciẽtiæq;verſatur. Sed mihi ſatis erit ad excitandam animaduerſionem rem paucis notaſſe.

Quibus virtutib⁹ maiores ſempiternam ſibi laudem, ciuiumq; beneuolentiam cõcilianerint

Incumbendũ verò aliquantò magis in hãc curam & cõgitationem, vt obſeruemus, quibus potiſſimum artibus excellentiſſimi viri, in patria inuidiæ ac inſidiarum pleniſſima,

non

non ſolùm grauem nominis ac fortunæ oppreſſionem periculumque declinauerint, ſed ciuium ſibi animos memoria officij deuinxerint ſempiterna. Coniectura autem augurari licet, has fuiſſe artes, quæ in ipſis authorũ lectionibus animaduertuntur, & à Cicerone quoque libro officiorum ſecundo enumerantur: Singularis quædam vitæ morumque modeſtia, pietas in parẽtes, & in ſuos beneuolentia, puerilis inſtitutio inter viros ab omni honeſtate ac laude feliciſſimos, excellentes & admirabiles virtutes, animus excelſus & magnus, egregias, laudabiles, præſtantes res ambiẽs, humilia & ſordida omnia ſpernens, opinio iuſtitiæ, æquitatis & liberalitatis, qua populi animus præcipuè ad gratiam, fauorem, ſuffragationemq́; pellicitur, beneficia in ciues, voluntas, & eiuſmodi pleraq; alia, quæ diligens lector deuoto animo obſeruans, tota ſe mente ac voluntate in hanc cogitationem conijciet, vt ſibi omnia hæc excellentium virtutum ornamenta in exemplum proponat.

Prudens prætereo, ne liber nimiũ excreſcat, quãtus illis pudor, quanta animi confuſi modeſtia, quanta verecundia initio dicendi fuerit. Vt quoniam varij iudiciorum euentus, inopinat⁹ conſiliorum exitus, vulgi opinio, iudicantium incertæ ſententiæ, magnam dicendi inijcerent ſolicitudinem ac perturbationem, non cõmitterent, vt audaci ac temeraria fiducia cauſsã ſibi ꝓbaſſe viderẽtur. Hinc illa ornãdi modeſta principia, ϰ̀ προλή-

" ſtus vt in oratione pro A.Cluentio:Semper e-
" quidem magno cum metu incipio dicere:
" quotieſcũq; dico,toties mihi videor in iudi-
" cium venire non ingenij ſolùm, ſed etiam
virtutis atque officij:ne aut id profiteri vide
ar,quod non poſſum implere,quod eſt impu
dentię:aut id nõ efficere,quod poſſum,quod
eſt perfidiæ aut negligẽtiæ:tum verò ita ſum
perturbatus,vt omnia timerem, ſi nihil di-
" xiſſem,ne impudẽtiſsimus exiſtimarer.Item
" pro Milone,& pro rege Deiotaro ad Cæſa-
" rem:Cùm in omnibus,inquit,cauſis grauio-
" ribus,C.Cæſar,initio dicendi cõmoueri ſo-
" leam vehementiùs, quàm videtur vel vſus,
" vel ætas mea poſtulare:tum hac in cauſa ita
" me multa perturbant,vt quantum mea fides
" ſtudij mihi afferat ad ſalutem regis Deiotari
" defendendam,tantum facultatis timor detra
" hat,&c.Et alibi:Equidem,inquit, & in vobis
" animaduertere ſoleo,& in me ipſo ſępè ex-
" perior:vt exalbeſcam in principijs dicendi,
" & tota mente atque omnibus artubus con-
" tremiſcam. Quòd ſi quis conſiliorum altitu-
dinem,varium ac multiplicem ciuilium re-
rum vſum,argumentorum inuentionem,di-
ſpoſitionis prudentiam ad animi iudicium
referre velit,habet earum rerum omnium
apud Ciceronem cùm paſsim exemplũ, tum
verò in oratione pro Cluentio:in qua dubi-
tes quod conſilium prudentius,quod firmi-
us argumentum, quæ ſubtilior locorum diſ-
poſitio fuerit. Vix enim dici,oratione ne q; ex-
primi à quoquam poteſt, quanta cùm fide,
gratia

Quanta modeſtia omnibus in rebus fuerint vſi veteres.

gratia ac pietate Saſſiæ Cluentij matri, cuius atrox criminatio valdè premebat Cluentium, matris tamen honorificè attribuerit, ne naturæ beneficio abuſus, pietatis religionē abieciſſe videri poſſit, cùm nihilominus magna audientium conſenſione fidem ei vniuerſam detraxerit: vt planè credas Ciceronem ſtudij vehementia, inuentionis altitudine, diſponendi artē, atque magna quadam eloquentiç, ingenij, iudicij felicitate tenebras iudicum cognitioni ſuffudiſſe: & quocunq; oratio incubuerit, eò Iudicum voluntatem de flexam eſſe. Hæc paucis annotare volui, vt puerorum inquiſitionē exemplis iuuarem.

Magno dicendi artificio Ciceronē in oratione pro A. Cluentio vſum fuiſſe.

Atque his omnibus ſuccedit diligens animaduerſio, vt alto animi iudicio peruideamus, quàm prudenter maiores illi toti à priuato rei familiaris ſtudio ad publicum emolumentum conuerſi in publicis conſultationibus cum Reipub. dignitate coniunctis honeſtum falſæ vtilitati duxerint anteponendum. Blanditur enim vtilitas honeſto, & ipſa vtilitatis ſpes ſæpè efficit, vt mens humana cæca ambitione euerſa honeſtatem vtilitati poſtponat. Fefellit hoc Cyrſilum quendam qui cùm pro animi ſententiæque ſuæ libertate Athenienſibus ſuaſiſſet, in vrbe vt ſe tutò retinerent, in eamque Xerxem reciperent, ibi belli metum atque euentum ſpectaturi, vbi mori honeſtum eſſet, lapidibus cum vniuerſa familia obrutus eſt. Ad has igitur laudatiſſimas excellentium virorum virtutes, iuuentus ad omnem ingenij laudem nata

Omnia à maioribus ad Reipub. dignitatē relata eſſe.

totam mentem, animum, ſenſus & cogitationem conuertat, easque in vitæ exemplum ſibi traducat, vt ex tanta optimorum auctorũ lectione non linguam ſolùm præcudiſſe, ſed animum quoque illuſtri omnium virtutum genere imbuiſſe atque informaſſe videatur. Obſcura enim, illiberalis, & perniciosa eſt omnis eloquentia, quæ cum animi innocentia, vitæ dignitate, optimarumque virtutum ſtudijs atque laude, pugnat. Nam & artes ingenuæ malè diſcuntur ſine virtutibus & moribus bonis. Et Cicero vitioſam eorum Philoſophiam, & quandam tanquám ſcientiæ oſtentationem, non vllam vitæ legem eſſe exiſtimat, qui non ita morati, ita animo & vita ſunt conſtituti, vt ratio & dignitas poſtulat. Neque vlla eſſe poteſt eius hominis eloquentia vel grata hominibus, vel vlla admiratione digna, quæ peſſimis animi vitijs conſpurcatur.

IN SVSCIPIENDO NEGOTIO PRO ſua cuique animi corporiſqúe temperatione iudicium eſſe faciendum.

IN omnibus rebus gerendis, quæ cum aliqua & noſtra & Reipub. dignitate ſunt cõiunctæ, diligentẽ præparationẽ adhibere debem⁹, vt, quarũ in rerũ laude, vel corporis viribus, vel animi induſtria colligenda totũ animum cogitationemque ponimus, in illis; ſine vlla ſtudiorum, vel offenſione, vel ſuſcepti laboris fruſtratione conſtare nobis queamus: ne vel propter ignauiam, quod aſſe-

aſſequi poterimus, puerili deſperatione debilitati abijciamus: vel cupiditate nimia elati, eas res ſuſcipiamus, quarũ magnitudini conatus noſter nõ ſit ſuffecturus. Illud enim anguſti & parui, hoc verò audacis & cõfidentis eſt animi: non tamen, vt mea fert opinio, omnino contemnendi. Nam facere, quod non peſſimè facias, etiam ſi reliquo ſucceſſu omni deſtituaris, audacis tamen conatus, qui arduis in rebus pro virtute habetur, & voluntatis eſt honeſtæ. Neque enim Phaetonta fulminis ictu patrio curru excuſſum ſicut ſpes magni & egregij facinoris fefellit: ita & excelſi conatus gloria non illum eſt ſecuta: vindicatur enim ab omni obliuionis iniuria, noto hoc epitaphio:

In arduis rebus conatus pro virtute habetur

Hic ſitus eſt Phaeton, currus auriga paterni,
Quem ſi non tenuit, magis tamen excidit auſis.

Nec vnquam fortes magniq; conatus ſua caruêre laude. Non autẽ facere, quod optimè poſſis, aut eum curſum, quem tenere ſine graui perturbatione queas, non tranſcurrere, cùm nihil ferè humanæ naturæ, niſi quod ipſa negligat, vel difficile ſit, vel inimitabile, fracti eſt animi, mollis, & ſupra modum effœminati: quando nemo, niſi naturæ prorſus implacabilis, repertus eſt vnquã, qui ſtudio nihil ſit conſecutus. Excitanda igitur prima hæc animaduerſio, vt quanta res ſit illa, quam efficere velimus, ſolicita & longa animi prouiſione expendamus, noſtram in conſilio facultatem habeamus: ne vel maior à nobis, vel minor cura, diligẽtia, opera, quã rei magnitudo poſtulat, ſuſcipiatur: ſed

Magnã ſemper laus fortibus conatibus incubuit

Omnis actio negligentia & temeritate debet vacare.

vniuerſa vitæ noſtræ ratio,nedum ciuilis actio,ſic inſtituatur,õni vt temeritatis &negligentiæ culpa vacet.Videmur enim ipſi ſtudium noſtrum abieciſſe, cùm naturæ noſtræ genium propenſionemq́ue, aut omninò non obſeruamus, aut ſtudijs frangimus diuerſis. Quæ ſi non optima contingat,quod fieri ſemper non poteſt(Præſtantia enim quę ſunt,eadem ſolent eſſe perrara) poterit, vt reliqua omnia naturæ beneficia, & arte corrigi, & ſtudio emendari,in eamq́ue duci mediocritatem, in qua ſæpiſsimè virtus laudata fuit. Eſt enim, vt ait ſapientiſsimus Poëta, quodam prodire tenus, ſi non datur vltra. Altiuſq́ue ibunt,qui ad ſumma cõtendunt. Contra vniuerſam contendere naturam tam eſt ſtultum, quàm velle cum ratione inſanire. Fregeris enim citius prorſuſq́ue extinxeris naturæ ὁρμὴν, & impetus illos celeres, quam in vniuerſum immutâris :aut eò conuerteris, à quo tota eſt abhorrens. An non vehementer abſurdum eſt, cùm tantæ ſint tanquam corporis diſsimilitudines, ſic etiam animorum varietates innumerabiles, ſuaq́ue cunctis impreſſa ſit idea quædam & animi impetus, cuius vî ad alia incitamur, & magno ferimur conatu, ab alijs tanquam ſcopulis & pernitie non abducimur: vnius tamen velle ingenij iudicio ceu regula quadam omniũ naturas metiri? Aut vnum omnibus etiam diuerſiſsimis attribuere munus, cũ ſua cunctis & ſingulis ipſa natura deſignauerit præclara munera, ad quæ ſuo quiſq; genio, ſua propen-

propenſione, ſua voluntate, nullis magiſtrorum præceptis fertur? Nihil profectò quod inuita, vt aiunt, Minerua facimus, rectè vnquã nobis ſucceſſerit. Adeo omnibus in rebus magnã vim habet natura, vt ea, ſi bona ſit, ad omnem laudis gloriam per ſe ipſa valeat, nullis externis auxilijs adiuta. Si nulla ſit, aut cum eo pugnans, ad quod cõuertitur, etiam hoc ipſum, cui faciũdo deſtinata fuerat, deſerendo, cætera omnia faciat imbecilliora: vt rectè præcepiſſe in epiſtolis videatur Horatius:

Non eſſe contra vniuerſam naturæ vim contendendum.

Tu nihil inuita dices facieſq; Minerua.

Non enim in omnes omnia conueniunt, ſed ſuo quiſque ſtudio maximè ducitur. Et multæ in hominum naturis ſunt diſsimilitudines: quorum alij gloriæ ſeruiunt, alij pecuniæ, alij libidinoſi aut iracundi, aut ſuperbi, aut optimarum artium cõtemptores: pauci autem, qui poſteritatis ſenſu commoti, rerum naturam ſtudiosè intueantur; quod proprium philoſophorum eſt; ſed ſuum cuique pulchrũ videtur. Neq; permulti ſunt, qui vel intelligunt, vel diligenter obſeruant, quò ſua quenq; natura maximè ferre videatur, cui tamen magis ſeruiendum, quàm illi repugnandum, ne aduerſante natura id ſequamur, cuius aſſequendi ſpes ſit nulla.

Vt enim Simia vehementer ridicula eſt, quoties hominis perſonam ſibi imponere, humanamq; imitari naturam ſtudet, nec tamẽ aliud eſſe quàm Simia poteſt: ita abſurdè

faciunt & ineptè, qui ab eo, quò naturæ ſuæ impetu feruntur, deſciſcentes, eiuſmodi quoddã tentare periculosè conantur, à quo natura abhorrent. Perdunt enim eam naturæ vim atque gratiam, quam aſſecuturi, ſi cõſtitiſſent, videbantur: & dum nihil agere rectius poſſunt, peioribus incumbant neceſſe eſt. Ad quas artes aptiſsimi erimus in his, inquit Cicero, potiſsimùm elaborabimus. Sin aliquando neceſsitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt ea ſi non decorè, at quã minimè indecorè facere poſſimus. Nec tam nobis enitendum eſt, vt bona, quæ nobis data nõ ſunt, ſequamur, quàm vt vitia fugiamus. Nã ſicut in ſaniæ cuiuſdam eſt magnis ad id conatibus contendere, quod effici nõ poſsit: ita ſtultitiæ, ab eo, quo quiſque eminet, in aliud, ad quod minùs ſit idoneus, detrudi. Nocet huius temeritatis audax conatus non minùs ſtudijs rectis, quàm moribus bonis, quãdo id decere neminẽ poteſt, à natura ꝙ ſit diuerſum: nec acrẽ ſe virtutum vitiorumq; iudicem præbet, qui ipſe ſibi nec cognitus ſit, nec ſuum expendat ingenium. Noſcat ſuam quiſque naturam & ingenium, quod ad diſcendum vim adfert maximam, vt cõtemplatione expendat quid habeat ſui: & quæ vitioſa ſunt, arte & moderatione corrigat, conſideretq; ſemper, quid deceat: quid naturæ, quid perſonæ, quid tempori ſit aptum, nec in vniuerſum naturæ ſuæ repugnet, nec quicquam (vt dictum eſt) tentet,

Prudens conſilium ſtudij informandi.

ſet,quod aſſequi nõ queat. Prima igitur meditatio,diligentia,animiq́; prouiſio adhibeatur,vt noſtri nobis ingenij naturæq́; ratio conſtare queat: vt ſi liberaliori ſimus natura,& ſpes aliqua affulgeat, ad ſumma omnia, quæ vel ſtudij vehemẽtia, vel animi magnitudine parantur, prouehi nos poſſe, ad ea magnis & rectis ſtudijs contendamus, nulla legendi, dicendi ac ſcribendi virtute omiſſa: ne vel naturæ defuiſſe noſtræ, vel à tanti boni felicitate otio abſtracti, aut voluptate auocati,aut ſomno retardati videamur. Sin videbimus, cùm omnia ſumma fecerimus, aut plus etiam contenderimus, quàm vel vſus,vel ratio noſtra ferat,nihil præter mediocrẽ quẽdã,&tẽperatũ honoris ac vitæ ſtatum aſſecuturi,non maiorem nobis ſolicitudinem,quàm ferre nos poſſe intelligim⁹, ipſi imponemus: contenti aliqua nos laude præter cæteros eminere: quando non omnibus, vt eſt in prouerbio, contingit adire Corinthũ.Quòd ſi prorſus abſurdi & inepti ad eas artes ſim⁹,quarũ iacta fortaſsis erũt fundamẽta aliqua, trãsferend⁹ ad aliud ſtudiũ anim⁹, in quo magis noſtra conualeſcit natura: vt quoniã citharœdi eſſe nõ queam⁹,aulœdi ſimus:vt,quæ nobis data ſunt bona,quantũuis mediocria, ea cura & induſtria augeamus. Vſus hac moderatione Alabadenſis Apollonius, qui cùm mercede conductus in ſcholis publicis Rhetoricen profiteretur, non ſuſtinuit eos, quos iudicabat,propter ingenij tarditatẽ,implacabilẽmq́; naturæ indolẽ

Alabadenſis Apollonius.

oratores

oratores euadere non poſſe,ſtudia ſua in diſcendis Rhetoricis malè collocare, transferebatq́; eiuſmodi ad alias diſciplinas, quibus illi magis apti videbãtur:ita eũ,qui optimi oratoris ſpẽ ingreſſus eſſet à ſua cohortatione non deſeruit:& qui aliquid potuerit, excellentiore ingenij vi deſtitutus,ad meliorá magiſq́; propria euexit. Cuius exẽplũ ſi noſtri docẽdi Magiſtri, quibus puerorũ ætas vbiq; ferè felicius educta,quã bene exculta, informãda committitur, imitandũ ſibi aſſumerẽt, cerneremus propediẽ maximã vim optimorũ ingeniorũ,quæ nũc deſerta atq; indigniſſimè neglecta,vix vnquã ad veram vberemq́; ingenij frugem ſunt peruentura.Intermiſſus enim ille,aut potius Scholis exploſus ſtudiorum delectus,quid affert,præter infelicem ingeniorum confuſionem? Dum hiſtoriæ,aut ſolutæ orationi aptus puer carminis ſeruitute frangitur,alius poetico afflatus ſpiritu oratione libera diſſoluitur:nihil deniq; intra ſuos naturæ fines conſiſtere permittitur:omnia confunduntur, turbantur, obteruntur inſano & infelici ſtudiorum conatu. Cicero ſanè libro tertio de oratore commonet,ijs, qui inſtituunt aliquem atque erudiunt, diligentiſſimè videndum, quò ſua quenque natura maximè ferre videatur,vt ea duce, quò quiſque intendit, eò & rectiùs & citiùs perueniat.Quare res arduas aggreſſuri omnia diligenter circũſpiciamus,vireſq́; noſtras periclitemur,vt ſicut architecti pro loci natura aut magnas,aut humiles collocãt ſubſtructiones,

nes, ita nos etiam virium noſtrarum temperationem ſecuri, nec maiora, nec minora, quàm ſuſtinere ac ferre facultas queat noſtra, ſuſcipiamus, adhibeamusque ad res tam conſiderandas, quàm gerendas & tempus & diligentiam.

NON DEBET NATVRAE MEDIOcritas imitationis ſpem voluntatemque auferre.

COmmittendum non erit, vt eorum, qui ſe eloquentiæ ac magnarum artium ſtudio dediderunt, ſi naturę illa & ingenij vis excellens, & quædam altitudo fortè non adſit, idcirco ſpes auferatur, aut infringatur conatus, aut denique induſtria langueſcat. Neque illud etiam permouere eos atque à ſtudij decurſu abſtrahere debet, quòd non parùm multos, qui ita ad omnem laudis pulchritudinem informati fuerint, vt quibus illa artibus pararetur in ijs animum intenderint, nullo vel ſtudio, vel tempore dimiſſo, tanti tamen ſucceſſus ſpes fuerit fruſtrata. Quin potiꝰ eò magis enitamur, vt quoniam optimus maximus Chriſtus vni homini, vt ſublime corpus & erectum, cùm cætera animalia pronis corporibus humū ſpectent; ita & animum altum atque excelſum dederit, ad maximarum rerum inquiſitionem atque honeſtatem, mentem animique commentationem traducamus: cōgitemusque nihil tam durum, tam arduum; tàm difficile eſſe;

eſſe,quod non labor molliat,atque vincat induſtria.Cùm etiam, qui omnem omnium opinionem ſuperauerint,tnedum eos,quos auctores ad ingrediendam ſtudij artiſque ſuæ rationem habuerint,plerique commemorétur, vt Phidias, Polycletus & Apelles, quorum prior Elado ſculpendis,ille Ageladi depingendis ſimulachris,hic verò Pãphilo prçceptore egregiè antecelluit. Nihil.n.eſt tam languidi animi,tã eneruati,quã vulgares res ſectari,excellẽtes & ſingulares virtutes,propter animi imbecillitatem aut abijcere, aut deſperare.Non Ciceronem à ſcribendo pulcherrimos,illos de Oratore,libros deterruit magnitudo eius oratoris,qui omnium maximarum artium peritus eſſet, & qualẽ adhuc nulla ætas vidiſſet. Non Veneris pulchritudo, quam inchoatam Apelles reliquit,à pictura cæteros auocauit. Non Plato veritus eſt eiuſmodi Remp. oratione inſtituere, cuiꝰ ne vmbra quidem extaret. Nõ Homerum admirabilis Orphei induſtria & ſublimitas, quò minus edito laudabili Poëmate de Cerere,Orphei maieſtatẽ exprimeret, deterruit. Et cùm pueri toties in terra graui corporis vitæque offenſione ex alto ſæpè gradu precipitati,ad ſuperiora tamẽ conſcendere conẽtur,nos magnis excellentiũ virorũ exẽplis inſtructi diuinã illã Ciceronis cõpoſitionẽ imitari nulla ex parte conabimur? quã ſi nõ adæquemus, meliorem tamen ſequi non poterimus.Nõ enim minus illuſtre eſt, Ciceronem imitari, quàm glorioſum reliquos adæquare,

Non eſſe excellentium virtutũ ſtudia propter animi imbecillitatem abijcienda.

quare,vel etiam ſuperare. Aemulatio modò abhibeatur,& ſpes bona,quæ magna ſequentem fulcit,ſperatamq; ad dignitatem prouehit:præcipuè autem trãquillitas animi ab omnibus angoribus & ægritudine vacui quæ ſtudijs adfert tum magnitudinẽ,tũ cõſtantiã, Si cui à natura ſint minora data,quàm vt ſumma & præſtantiſſima quæq; induſtria ſua adſequi queat,is,quod habeat & præſtare poſſit eo modicè & ſplẽdidè, aut ſaltem ſic vtetur, vt ne dedeceat. Omnia enim nobis, qui res excelſas & magnas expetimur, qui aliquo gloriæ ſenſu ducimus,& poſteritatis memoria commouemur, decet omnia experiri: & in magnarum artium diſciplinis tantum nobis ſumere,quantum opus ſit: & ſi maiore ingenij vi deſtituamur, eũ tamen tenere curſũ,quem poterimus:quando ab ipſa illa rerũ natura nihil nobis in vniuerſum eſt dignitatum:neque parùm multi fuerint,qui naturę, ſiue tarditatem,ſiue vitium,aut laboris contentione, aut meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt. Quærendi tantùm eius, quod optimum ſit, adhibeatur diligentia:cuius defatigatio omnis turpis eſt & repræhẽdenda:etiam indecorum, non ſuſcipere res actioneſque honeſtas, aut ſuſceptas laboris fuga deponere.Nec deterreri nos, qui ad labores nati ſumus oportet, ſi tardior ſtudiorum ſit vel progreſſus, vel etiam ſucceſſus, quã rationes noſtrę ferãt:propterea quòd natura ſit,vt omnium magnarum rerum principia parua ſint,neque in vniuerſum ſe profũdant;

Vtilis præceptio.

dant,neque repentè euolent:ſed tanquam leuioribus principijs præcepta,ſuis progreſſionibus vſa augeantur atque amplificentur.

AD QVORVM SIMILITVDINEM *mens noſtra atque oratio ſit comparanda.*

PRoponitur hîc ardua,& grauis,& magnis doctiſſimorum ingeniorum diſceptationibus iactata quæſtio: ad cuius potiſſimùm,ex tanta optimorum auctorum copia,ſimilitudinem orationem noſtram, atq; mentē informemus? Cuius ἴσως obſcuram difficultatem,quæ præclara ingenia, ingenti animorum contentione miſerè defatigauit, etſi vix eius eſt hominis explicare, qui mediocrem literarum vſum ad erudiendam iuuentutem adferre cupiat,ne tamen rei ipſius,quam ſemel ſuſcepi, magnitudine debilitatus,non ſolùm conatum, ſed ſpem quoq; perueniendi,quò poſſum imbecillus videar abieciſſe, referam hic paucis admodum ea, quæ in hanc ſententiam à magnis & præclaris viris ſunt ſcripta, interpoſiturus etiam meum de hac re iudicium,quod tamen verecundè & libenter ſum ad aliorum rationes conformaturus:quò minus mihi in hac ingenij mei tenuitate videri poſſim quidquam arroganter aſſumpſiſſe.

Sunt enim magni & graues auctores, in quorum eſt numero, præter Fabium Quin. cæteroſque,Franciſcus Picus Mirandula,cu-

ius

ius nuper morte, quā fatorum inuidia intem peſtiuè præuertit, grauem omnes liberales diſciplinæ acceperunt iacturam: qui hanc magna animorum contentione ac fide opinionem confirment, omnes ex æquo bonos, nō vnum aliquem imitandum eſſe. Ad eamque probandam has adferunt rationes: Quòd ſuū vnuſquiſque genium, ſuam quiſque naturæ habeat propenſionem, qua ad earum rerum ambitum, ad quas naturâ factus ſit, impellatur: ſua cuique idea & ἴξις ſit impreſſa, cuius celeribus motibus ad aliud voluntate feratur, ab alio verò abducatur. Non enim putāt naturæ benignitate conceſſum eſſe, ſuam quiſque vt naturam frangat ac violet, alienā infeliciter imitatus, tanquam ridicula Simia abſurda & ludibria ad morum imitationem ſibi proponens. Cùm præſertim naturæ fœcunditas non vni omnia, ſed ſua cunctis præclara diſtribuerit munera, quæ in vnum aliquem tranſferri nequeant, vel, vt Cicero ait, nihil ipſa illa natura in ſimplici genere omni ex parte perfectum atque beatum expoliuerit, tanquā cæteris non ſit habitura, quod largiatur, ſi vni omnia largiatur. Imitandā igitur eſſe cuiuſque naturæ indolem, & animo impreſſam ideam: cuius ea vis ſit, ea maieſtas, vt Ciceroni Demoſthenes magnus & admirabilis totius Græcię orator, non per omnia ſatisfecerit: vt ipſe quoq; Cicero cùm ſe tota mente atque cogitatione ad effingendum Demoſthenem referebat, proprium naturæ ſuæ habitum non potuerit diſſimulare,

Franciſcus Picus Mirā dula.

Natura ſua cunctis diſtribuiſſe creditur munera.

Ciceroni Demoſthenes non ſatisfecit.

qui,tanquam corpus vmbra, perpetuò nos ſe quitur. Itaque ex tanto ſcriptorum numero neminem alteri per omnia ſimilem eſſe,& eundem etiam hominem,vt Plato, vt Ariſtoteles,vt omnes Peripatetici ſenſerunt, propter animorum permotiones adeò ſibi diſſimilé eſſe,vt ſi idem argumenti genus, quod paulò ante oratione complexus fuerit,explicare ſtylo debeat,diuersâ omninò verborũ,rerũq; diſpoſitionem ſequatur.Cùm etiam reliquis in rebus hanc imitabilem naturę vim cernamus,vt quamuis idem ſignum in eandem imprimatur ceram,apparere tamen proprium quiddam,vt aliud ſignum grauius, aliud altius, aliud verò lenius impreſſum videatur. Alij verò ob id vnũ tantùm Ciceronem iuuentuti imitandum proponi non debere confingunt,quod eius effingendi vehementi quodã & pertinaci ſtudio omnibus cæteris bonis diſciplinis,omni ingenuarum artium traditioni, fucus, & veluti lenocinium adſpergatur,dum in procudenda lingua, cuius tã grauem animo ſuſtinemus ſolicitudinem. Ciceronis verba admirabili copia vincta atq; ſplendida,incredibili quodam ſtudiò affectamus,cæſa metimur, abrupta & hiulca cõponimus,interſpirationes effugimus,circuitus animaduertimus,numerorum deniq; collocationẽ memoriæ mandamus: nullum verò in pulcherrimarum rerum ingenuarumq; artium cognitione adſequenda ſtudium ponamus,quarum tamen pulchritudine ſic oratio veſtitur, vt ſine ea ſterilis, manca, inanis, & pro-

& profuſa eſt omnis verborum volubilitas, & gratia,& audientium admiratione carens.

Quæ ſint cauſæ, quã-obrem Cicero non omnibus credatur imitandus eſſe.

Neque tamen hanc eſſe putant ſolùm miſeram, abiectam, & infelicem vnius hominis exprimendi ſeruitutem, ſed duo etiam maxima omnium magnarum artium impedimenta, & veluti vitia inde oriri. Quorum primũ eſt: quòd quamuis inimitabilem illam Ciceronis φράσιν & ſtyli temperationem, immortalisque ingenij fœcunditatem, ſtudij vehementia, laboris immenſi magnitudine, animique contentione imitari conemur, ſperemusque fore aliquando, vt tot annis vnius in Ciceronis ſcriptis verſati, animorum ſenſa ac voluntates Ciceroniana λέξει proferamus: nõ tamẽ nos poſſe, propter ingeniorũ multiplices & diuerſiſſimas ἕξεις atq; ideam, cui⁹ propriam cuiq; vim natura indicuit, eandem, quæ in Cicerone præcipuè commendatur, inuentionem conſequi: non eandem argumentorum, non locorum communium, non digreſſionum, non ἐπιχειρημάτων, non ſententiarum οἰκονομίαν animo complecti: aut illam retinere memoriam & pronunciationem, quæ duo propria naturæ ſunt munera. ſed nec ſperandam quidem eam, quæ vnius Ciceronis diuino ingenio, admirabili Deorum benignitate comprehenſa fuit, compoſitionis felicitatem cuiquã mortalium eſſe: quando ex tot hominum millibus nullus alteri vel aliqua ſimilitudinis forma æqualis fuit. Sed ſuã vnuſquiſq; ſtyli moderationẽ, ſuam phraſin, vel floridã, vnctã, carne & neruis veſtitam,

Memoria & pronunciatio, duo propria naturæ munera.

veſtitam, vel aridam, tumidam, inflatam, ieiunam, exilem, ſiccam præ ſe tuliſſe videtur. Exẽplo eſſe Ciceronẽ, Cæſarem, Cæliũ Caluum, Seruium Sulpitium, Domitium Afrũ, Iulium Africanum, Trachallum, Vibiũ Criſpum, Brutum, Cornelium Celſum, cæteroſq́ue, quorum vt inſignis in Reipublicæ adminiſtratione, in Senatus populiq́ue concionibus ac ciuilibus in rebus floruit eloquẽtia: ita plerique omnes varia atque diuerſa orationis forma ſunt vſi, nulla prorſus vt

C. Iulius Cæſar. appareat ſimilitudo. Nã C. Iulius Cæſar vehementi dictionis acumine atque cõcitatione, qua forenſibus in cauſsis vſus dicitur (nã in cõmentarijs orationis ornatum detraxit, venuſta quidem, ſed tamen nuda vſus dictione) Ciceronem adæquaturus videbatur, ſi ciuilibus actionibus, non etiam ciuili diſsidio

Cælius. vacaſſet. Cælius natura petulans, & ſanguinis humani auidus, eloquentiæ bona ad ſalutis & fortunæ humanæ propugnationem à dijs immortalibus conceſſa, in perniciem & fraudem calamitoſorum hominũm conuertit, ardens in accuſationibus, ſed tamen

Caluus. non inurban⁹. Calui ſancta, grauis & expolita oratio multũ venerationis apud popu-

Seruius. lum Rom. eſt conſecuta. Seruius, ob laudabilem rerum inuentionem præcipuè prædica-

Domitius Afer. tur. Domitius Afer verborũ artificio. Iulius Africanus dicendi concitatione & verborũ

Iulius Africanus. cura, quæ in illo, tanquam nimia eſt reprænenſa, benignam ingenij famam ſunt conſe-

Trachallus. cuti. Trachallus ſublimis & apertus fuit: quemad-

[qu]emadmodum compoſitus & delectationi [na]tus Vibius Criſpus. Brutus magna ingenij [la]ude in grauibus ciuilium rerum permotio[ni]bus, ponderi maximarum rerum ſufficere [po]tuit. Cornelium Celſum orationis pro[pr]ietate, gratia, ac breuitate oblectatum [fu]iſſe indicant libri, quos de Re Medica ſcri[pt]os poſteritati reliquit: ſolus fere latinus [m]edicus: quem tamen non infeliciter expri[m]ere videtur Io. Guinterius eximius medē[di] artifex, & omnium laudandarum artium [d]octiſsimus. Quantam igitur hîc videmus [in]geniorum diſsimilitudinem? ſuam ſcili[ce]t quiſque naturæ indolem, ſuum ingeniū, [ſu]am naturæ propenſionem imitatur.

Vibius Criſpus.
Brutus.
Cornelius Celſus.

Alterum eſt, quòd ſi vnum Ciceronem [n]aturalem & legitimum exiſtimemus, pro[pt]erea quòd eius perfectiſsima eſt eloquen[ti]a, neceſſe igitur nos habere, vt cæteros om[ne]s, graues & magnos auctores, Plautum, [T]erentium, Cæſarem, Hortenſium, & Fa[bi]um Quinti. abortiuos & ſpurios eſſe [p]rofiteamur: qua iniuriæ illiberalitate ex[ce]llentes illi viri, & ingenij gloria immor[ta]les prorſus ſunt indigniſsimi.

Altera cauſa, quamobrem non vnus Cicero videatur imitandus eſſe.

Sunt etiam, qui multis & magnis in[ſt]ructi argumentis, optimos auctores ſtas[ti]m & ſemper ſine vllo delectu euoluen[d]os ſuadeant: propterea quòd ipſe Cicero [n]on vnum ſibi ad informandum orationis [ſti]lum propoſuit, ſed vim Demoſthenis, [c]opiam Platonis, iucunditatemque Iſo-

Tertia cauſa.

cratis, rara ingenij felicitate fuerit conſecutus. Et tanquam varij ſunt animi, corporis ac voluntatis, habitus, ita varios quoque auctores eſſe in ſuo quenque genere probatos: vt omnium conſenſione conueniat, eiuſmodi quandam in conſilio habendam eſſe rationẽ, vt cùm non vnum aliquem, quem imitemur, elegerimus, compoſitio tamen noſtra, ſit pura, æqualiter fluens, concitata, vel temperata. Angelus Politianus vir intelligens & eloquentiæ etiam ſtudioſus, &, vt ego quidem iudico, admirabili dicendi gratia affluens, quòd illam Ciceronianæ λέξεως faciem, indolem atque ideam leui deſperatione fractus, conſequi ſe poſſe nullo conſideret modo, Ciceronem vnum imitandum non eſſe, edita, quam hîc adſcripſi, Epiſtola parùm prudenter præcepiſſe videtur.

Angelus Politianus.

ANGELVS POLITIANVS
Paulo Corteſio ſuo
S. P. D.

» REMITTO epiſtolas diligentia tua col-
» lectas: in quibus legendis, vt liberè di-
» cam, pudet & bonas horas collocaſſe. Nam
» & præter omninò paucas, minimè dignæ
» ſunt, quæ vel à docto aliquo lectæ, vel à te
» collectæ dicantur. Quas probem, quas
» rurſus improbem, non explico. Nolo ſi-
» bi quiſquam vel placeat in his, auctore me,
» vel diſpliceat. Eſt in quo tamen à te diſ-
» ſentiam de ſtylo nonnihil. Non etiam
» probare ſoles, & accepi, niſi qui lineamenta

Cice-

Ciceronis effingat.Mihi verò longè honeſti- „
orTauri facies,vel Leonis,quàm Simiæ vide „
tur: quæ tamen homini ſimilior eſt. Nec ij, „
qui principatum tenuiſſe credũtur, eloquẽ- „
tiæ ſimiles inter ſe, quod Seneca prodidit, „
fuerunt. Ridentur à Quintiliano qui ſe ger- „
manos Ciceronis putabant, quòd his verbis „
periodum clauderent,eſſe videantur. Incla- „
mat Horatius imitatores, ac nihil aliud, quã „
imitatores. Mihi certè, quicunque tantùm „
componunt ex imitatione, ſimiles eſſe vel „
Pſittaco vel Picæ videntur, proferentibus „
quæ non intelligunt.Carent enim,quæ ſcri- „
bunt iſti,viribus & vita, carent actu, carent „
affectu,carẽt indole,iacẽt,dormiunt, ſtertũt. „
Nihil ibi verũ,nihil ſolidum, nihil efficax. „
Non exprimis (inquit aliquis) Ciceronem, „
quid tum?non enim ſum Cicero:me tamen, „
vt opinor,exprimo. Sunt quidam præterea, „
mi Paule,qui ſtylũ,quaſi panem fruſtulatim „
mendicãt:nec ex die ſolũ viuunt,ſed & in di „
em:tũ niſi liber ille preſtò ſit,ex quo q̃d ex- „
cerpant, colligere tria verba nõ poſſunt.Sed „
hęc ipſa quoq;, vel indocta iũctura,vel bar- „
baria inhoneſta contaminant. Horum igitur „
oratio ſemper tremula,vacillans,infirma,vi „
delicet malè curata, malè paſta:quos ferre „
profectò non poſſum: iudicare quoq; de do- „
ctis impudenter audentes, hoc eſt,de illis, „
quorum ſtylum recondita eruditio, multi- „
plex lectio, longiſsimus vſus diu quaſi fer- „
mentauit.Sed vt ad te redeã,Paule,quẽ peni- „
tus amo,cui multũ debeo,cuiꝰ ingenio pluri „

" mum tribuo, quæſo, ne ſuperſtitione iſta te
" alliges, vt nihil delectet, quod tuũ planè ſit: &
" vt oculos à Cicerone nunquã deijcias: ſed cũ
" Ciceronem, cùm bonos alios multùm diu-
" que legeris, contrìueris, edjdiceris, concoxe-
" ris, & rerum multarum cognitione pectus
" impleueris, ac iam cõponere ipſe aliquid pa-
" rabis, tum demum velim, quod dicitur, ſine
" cortice nates: atque ipſe tibi aliquando ſis in
" conſilio, ſolicitudinemq; illam moroſam ni
" mis & anxiam deponas effingendi Ciceronẽ:
" tuas deniq; vires vniuerſas pericliteris. Nã
" qui tantùm ridicula iſta, quæ vocatis linea-
" menta, contemplantur attoniti: nec illa ipſa,
" mihi crede, ſatis repræſentant, & impetum
" quodammodo retardant ingenij ſui: curren-
" tique velut obſtant, & (vt vtar Plautino ver-
" bo) remoram faciunt. Sed vt bene currere nõ
" poteſt, qui pedem ponere ſtudet in alienis tã
" tùm veſtigijs: ita nec bene ſcribere, qui, tan-
" quam de præſcripto, nõ audet ęgredi. Poſtre-
" mò ſcias, infelicis eſſe ingenij, nihil à ſe pro-
" mere, ſemper imitari. Vale.

Refutatio eorum, quæ propoſita ſunt.

Sunt pleraq; alia multa in hanc ſententiam ſcripta, quæ ego, quoniam longiorem deſiderant orationem, ſummatim hic perſcribere volui, vt ſi mea hæc oratio informãdis ſtudijs profuerit, iudicium meum de aliorum ſententijs feciſſe, nullius autem vel dignitatem violaſſe, vel debitum magnis præſertim & claris hominibus honorem videar detraxiſſe. Fieri enim poteſt, vt cùm animi mei ſenſus cum eorum ſcriptis diſſentiãt, ipſi non

malò

malè iudicent. Sed tamen quæro, cùm ſua cuique ἕξις, & celeres, vt illi aiunt, motus ſint impreſſi, quorum vi humana mens vnius alicuius rei effingendæ ſtudio præcipuè flagrat: & cùm pro ſuo quiſque genio animique inductione certam ſtyli temperationem eligere poſſit, quæ cauſa ſit, quamobrem eius dictionem, quæ omnium laudatiſſima eſt, potiùs, quàm infimi cuiuſdam ieiunũ, aridum, ſqualidum, ſine ſanguine, ſine carne, ſine neruis ſtylum quiſquam in imitationem ſibi proponat. Vt enim ipſam, quæ in vnoquoque eſt, naturam exprimere perfectè non poſſumus: ſic tamen conſilium, id eſt, eam prudẽtiæ voluntatisq; rationem, quæ ex natura proficiſcitur, ſequi, integrũ nobis erit, vt quęcunq; in ſingulis cauſarum generibus, vel Ciceroni, vel Virgilio crebrò vſurpata fuiſſe animaduerterimus, ea in ſimili argumento explicando ſpectemus, imitemur, effingamus.

Aut ſi vnum aliquem, vt illi diſputãt, propter naturæ diuerſitatem & habitum diſſimilem exprimere nequeamus, cuius eſt dementiæ tanta laboris contentione, & graui etiam valetudinis periculo, omnes auctores euoluere velle? Nam anguſti eſt animi, nulloque conſilio pręfidentis, cùm id, quod omnium perfectiſſimum præſtantiſſimumq; in ſuo ſit genere, imitando cõſequi poſſit, idem hoc turpi inertia, & quadam veri iudicij egeſtate aut negligere, aut non omnibus imitandum proponere. Et ſuperſtitioſæ, vanæ, & infelicis eſt operæ, cùm eius in dicendo reprę- *Conſilium nos cuiuſq; non naturam ſequi expriméreq; poſſe.*

ſentare dictionem poterimus, qui omnium perfectiſſimus ſit & habeatur, velle infinito labore omnes artium ſcriptores, quibus perlegendis ætas hominis non ſit ſuffectura, formandi ſtyli elocutioniſq; parandæ cauſa euoluere atq; decoquere. Maneat igitur iſtud in oratione mea oſtenſum, vt in comparãdo & informando orationis filo ingenij noſtri atque naturæ vim vniuerſam ad illum imitãdum conuertamus, qui vnus omnium virtutum exempla, omnium figurarum exornationes, compoſitioniſque gratiam atque venuſtatem optimè expreſſit.

Ad Ciceronẽ exprimẽdum omnis noſtra induſtria conuertenda.

Nam, quòd vnius Ciceronis lectione fieri comminiſcuntur, vt bonę ac liberales omnes diſciplinæ, omnes ingenuæ artes, ſuo vſu, ſuo honore, ſua ſpolientur veneratione: hoc prorſus abſurdum & planè puerile, maximè in paranda elocutione & eloquentia: quæ, vt hominis decus eſt ingeniũ, ita ea ingenij lumen cẽſetur, mihi videtur. Quæ enim artium omnium ex illo circulo & orbe ſcientiarum, quem ἐγκυκλοπαιδείαν vocari diximus, quam non maiore animi prudentia, maiore iudicij altitudine, eloquentia floridiore, non ſolùm Cicero ipſe tradiderit, ſed etiam illuſtrauerit? Vt mihi ſimplicẽ veritatis fidẽ ſecuto, verè hoc videar apꝓbare, Ciceronis beneficio ingenuarũ artiũ diſciplinarumq; ſtudia, quæ aut noſtro ſeculo incognita, aut quoniã malè è Gręco in Latinũ ſermonẽ verſa erãt, exploſa ſcholis omnibꝰ fuiſsẽt, illuſtri excitata eſſe gratia, & publicũ in vſum relata

Quòd

Quòd verò ex Ciceronis imitatione duo abſurdiſſima naſci vitia procaci calumniandi temeritate confingant, quòd ſcilicet ſolus Cicero legitimus naturæ partus ſit, cæteri omnes illegitimi & ſpurij habeantur: quis non, planè ſtipes, vel ſenſus cõmunis inops, ſtatim intelligat, hoc quàm ſit ridiculũ & ex triuio ſumptum conuitium? Nam auctores omnes, quorũ lectio balbutientis linguæ lubricum liberali orationis flexu corrigit: vel morum ac vitæ auget dignitatem: vel rerum omnium cauſas, originem, cõſecutiones perdocet, non ſolùm legendos eſſe, ſed, quantum in quoquã eſt, aliqua etiam ex parte ediſcendos, publicus orbis conſenſus confirmauit. Quando iam olim magna cũ admiratiõe sũt lecti, & poſteritas quoque, cùm propter ſtyli æternitatem, tum verò multarum maximarumque rerum pulchritudinem, & fœcundam exemplorum vbertatem deuotis animis leget, atteret, perdiſcet. Sed vt ſtudioſè legendi erunt omnes, ſic tamen non omnes, quod fieri non poteſt, in paranda elocutione erũt imitandi. Si enim hanc vulgi opinionẽ magnis erroribus implicatam, & quæ eruditiſſimis vix rationibus ex eorum auelli animis poteſt, maximè illis concedamus, vt ſcilicet artiũ ſcriptores omnes legendi ſint, omnes imitandi, quæ per deũ immortalem, tanta in quoquam mortalium ſtudij vehemẽtia, quæ tanta ingenij fœcunditas, quæ tanta naturæ bonitas, curæ, lucubrationũ, induſtrię & omnis denique miſeriæ, quam plurimam habet

Auctores omnes legẽdi quidẽ erũt, non tamen imitandi.

Feruens literarum ſtudium plurimam habet miſeriam.

habet feruens literarum ſtudium, patientia & indefeſſa gnauitas, inoffenſusque conatus vllus eſſe poteſt, vt cum acri & vehementi naturæ incitatione in ſummi alicuius indolem atque ἐξιν æmulatione adæquandam, tam laborioſè incumbamus: nec tamen queamus, niſi multorum annorum ſtudiorumque decurſu, quandam velut ſtyli faciem aſſequi, aut eum ipſum exprimere, quem per omnia imitari, æmulari, & pari dictionis collocatione præſentare conamur, velle tamẽ, quod ſperari à nemine poſſit, omnes imitari. An non omnes imitamur, legimus, atterimus, euoluimus, ediſcimus, Ciceronem cùm imitamur? Cùm enim eum imitemur, qui raro naturæ miraculo, & inaudita ingenij felicitate, ſtudiorum auſpicijs atque ſucceſſu quod ſinguli vix magno animorum conatu cõſecuti vidẽtur, id vnus vniuersù in ſe cõuertit, omnes iam legim⁹, omnes imitamur? Hũc igitur qui officioſa æmulatione, & propenſa animi inductione in exemplum eloquentiæ, conſilij, prudentiæ, dignitatis, ac virtutum deniq; omnium ſibi præponet, omnes (vt ſæpè idem repetam) iam legit, omnes eſt imitatus. Vt enim abſurdè ridiculum eſt, & omnium illuſione digniſſimum, cùm domi hortum habeas, qui herbarum, arborum, fructuũ, florum, earum denique rerum omnium, quę vel ad hominis vitam, vel afflictam valetudinẽ, longa & vehementi morbi ſæuitia fractam, colligendam pertinent, vbertate & copia diffluat: malle tamen, relicto tam felici com-

pendio, omnes vrbis partes, regionum loca perreptare, vt quas domi habeas herbarum & fructuum diuitias, eas ingēti & infeliciſſima laboris fruſtratione peregrè quærere: ſic inſaniæ propemodum eſt, quæ in vnius Ciceronis lectione feliciſſimo ſtudij ſucceſſu aſſequi poſſis, fruſtrà in omnibus alijs auctoribus inquirere. Ciceronis igitur lectione adeò ſuus optimis & excellentibus artium ſcriptoribus honos, dignitas, exiſtimatio, auctoritas non decreſcit, vt illuſtri etiam laudis ſplendore exornetur. Nec ſpurij ac illegitimi partus præter Ciceronem cæteri erūt omnes, ſed in ſuo quiſque genere præſtans, copioſus, acer, concitatus, dulcis, iucundus, remiſſus erit, & omni eruditionis, ingenij, induſtriæ gloria illuſtris: quorum omnium virtutes, quoniam in ſcriptis ſuis exprimit Cicero, non videbitur in paranda dictione cæterorum lectione magnopere egere, qui rectè hunc fuerit conſecutus.

Simili verò dementia, cupidè & inuidiosè hanc quoq; repræhenſionem obijciūt: quòd, quamuis ſtyli faciem, compoſitionisque temperationem adæquemus, inuentionis tamen, argumentorum & ἐπιχειρημάτων; cæterarumq; Rhetorices exornationum οἰκονομίαν nec intelligere ſatis, nec imitari nos poſſe. Quod in parte quidem verum eſt, propterea quod nouæ, inauditæ exurgentesque cauſarum ciuilium controuerſiæ nouam deſiderant diſpoſitionem, nouam locorum collocationē. Sed, meo quidem iudicio, qui Ciceronis admirabilem,

Nulla eſt cauſa, cuius non extet in Ciceronis ſcriptis exẽplum.

bilem,variam,temporis ac loci,rerumq́;occaſióni accõmodatam οἰκονομίαν animo cognitã atq; pertractatam habet: non erit,intellecta cauſæ natura,de diſpoſitione admodùm ſolicitus.Vix enim eiuſmodi thema incidit, cui⁹ nó exẽplũ,apud ſummũ illũciuiliũ cõtrouerſiarũ diſceptatorẽ prudentiſſimũ reperiatur.

Quod autem,ex prioris ætatis præſtantiſſimorum oratorum copia affluentis hominibus neminem alteri ſimilem fuiſſe,puerili ludibrio comminiſcantur, mirum videri non debet. Qui enim nullum,ad cuius effigiẽ atque formam ſe componat,elegerit, cui ſimilis,niſi vni ſibi,eſſe potuit?Iacent igitur diſſentientium rationes nullis argumentis aut ſignis confirmatæ,& tanquam ſcopæ diſſolutæ,nec vim habent aliquam, nec conſenſionem. Et quemadmodum hæc, quæ diximus, non multum habent dubitationis in parãda eloquentia,vt Ciceronis eloquẽtiſſimi Oratoris ſcripta nobis ſumamus imitanda:ita tamen alij ſcriptores,in ſuo ſcribẽdi ac docẽdi genere,ideo quoque legendi erũt diligenter, vt magnarum optimarumque rerum argumenta atque loci,de quibus dicturi ſumus, nobis ſint parati .Fit enim, vt alius in vno aliquo doctrinæ,præſtantiſſimarumque artium genere cæteris egregiè antecellat: neque tanta ſit naturæ infœcunditas, & quædam tanquam effœta ſterilitas, vt vni omnia ſua, tanquam nihil,quod alijs largiri poſſit, habitura velit cõcedere:nec quicquã in ſimplici genere ipſa rerũ parens natura dederit omni ex

parte

parte perfectum & illuſtratum.

Porrò Angelo Politiano doctiſsima epiſtola reſpondet Paulus Corteſius,ſententiam eius magnificè, grauiter & prudenter refellens:quæ,quoniam noſtræ opinioni omninò adhæret,viſum eſt eã hic adſcribere,quò magni præſertim,& in omni erudita diſciplina præſtabilis viri teſtimonio ad noſtrum iudicium confirmandum vtamur.

PAVLVS CORTESIVS ANGELO Politiano ſuo S. D.

Nihil vnquam mihi tam præter opinio-„ nem meam accidit,quàm redditus à te „ liber epiſtolarum noſtrarum. Putabã „ enim illum tibi in tantis occupationibus ex-„ cidiſſe. Nunc autem lectis tuis literis, video „ illũ non modò à te guſtatum,ſed etiam planè „ deuoratum:cũ & ſcripſeris puduiſſe te in eo „ legendo bonas horas malè collocaſſe: & eas „ ipſas minimè tibi dignas videri, quæ vel ab „ aliquo docto lectæ, vel à me collectæ fuiſſe, „ dicantur, præter neſcio quas hominum per-„ paucorum. Ego autem totum iſtud tibi re-„ mitto, nec planè iudicium meum interpo-„ nam, cùm nefas ſit quodammodo à te diſ-„ ſentire,& ego is ſim, qui de altero iudicium „ facere (vt ait Marcus Tullius)nec velim,ſi „ poſſim; nec poſſim, ſi velim.Sed veniam ad „ illud,in quo te dicis à me quàm maximè diſ-„ ſentire.Scribis enim te accepiſſe, me neminẽ „ probare niſi qui lineamenta Ciceronis con-„ ſectari videantur.Ego verò quantũ repetere „ memo-„

“ memoriâ poſſum, nec iſtud recordor vnquã
“ dixiſſe,nec dictum volo. Quæ enim ſtultitia
“ eſſet, vt cùm tam varia ſint hominũ ingenia,
“ tam multiplices naturæ,tam diuerſæ inter ſe
“ voluntates,has velle vnius ingenij anguſtijs
“ aſtringi,& tanquam præfiniri? Sed quoniam
“ me in hanc diſputationem vocas, non erit
“ fortaſſe iudicij alienum tẽpus purgandi no-
“ ſtrî & tuendi mei:cùm planè cognoſcam ver-
“ ba tua eſſe ſuaſoris, non laceſſentis.Et primũ
“ de iudicio libenter fatebor:cùm viderem e-
“ loquentiæ ſtudia,tamdiu deſerta iacuiſſe, &
“ ſublatum vſum forenſem, & quaſi natiuam
“ quandam vocem deeſſe hominibus noſtris,
“ me ſæpè palàm affirmaſſe,nihil his tempori-
“ bus ornatè, varieque dici poſſe, niſi ab his,
“ qui aliquem ſibi proponerent ad imitãdum.
“ Cùm & peregrini expertes ſermonis,alienas
“ regiones malè poſſint ſine duce peragrare:&
“ anniculi infantes non niſi in curriculo, aut
“ nutrice præeunte inambulent. Cùm autem
“ multi in omni eloquentiæ genere floruerint,
“ memini me vnum M. Tullium ex doctorum
“ acie abduxiſſe: in quem omnium ingenioſo
“ rum hominum ſtudia conferenda putarem.
“ Non quòd ignorarem, multos dicendi glo-
“ ria præſtitiſſe, qui & acuere induſtria, &
“ multis oratorijs virtutibus alere ingenia
“ poſſent:ſed videbam hunc vnum omnium
“ ſeculorum conſenſu principem eſſe iudica-
“ tum:& quia à puero didicerã in omni mune-
“ re ſemper optimum eſſe eligendum:corrup-
“ ti ſtomachi, & intemperantis ægri eſſe puta-
bam

bam, deteriorem cibum ſeligere, ſalutarem „
& optimum aſpernari. Auſim nunc etiam af- „
firmare idem, quod ſæpè, neminem poſt M. „
Tullium in ſcribendo, laudem cõſequutum, „
præter vnũ aut alterũ, qui non ſit ab eo edu- „
ctus, & tãquam lactis nutrimento educatus. „
Sed erat tum quædam certa imitandi ra- „
tio: qua & faſtidio ſimilitudinis occurreba- „
tur, & nitidum illud genus hilaritate qua- „
dam aſperſa, condiebatur. Nunc autem illa, „
ab hominib. noſtris, aut neglecta eſt aut igno „
rata. Similem volo, mi Politiane, non vt ſimi „
am hominis, ſed vt filium parentis. Illa enim „
ridicula imitatrix, tãtùm deformitates & vi „
tia corporis deprauata ſimilitudine effingit: „
hic autem vultum, inceſſum, ſtatum, motum, „
formam, vocem denique, & figuram corpo- „
ris repræſentat, & tamen habet in hac ſimi- „
litudine aliquid ſuum, aliquid naturale, „
aliquid diuerſum: ita vt cùm comparen- „
tur, diſsimiles inter ſe eſſe videantur. Di- „
cam idem iterum, habere hoc dilucidam „
illam diuini hominis in dicendo copiam: vt „
exiſtimanti ſe imitabilem præbeat, experien „
ti ſpem imitationis eripiat. Fit enim vndiq; „
ad eum concurſus, & quiſque arbitratur illo „
modo ſe poſſe dicere. Homines enim natura „
ſuauitatis auidiores, difficillimam rem vo- „
luntate, non facultate metiuntur. Itaq; dum „
abundantiam ſermonis, & (vt ipſi aiunt) faci- „
litatem imitantur, neruos & aculeos deſe- „
runt: & tum à Cicerone abſunt longiſsimè. „
Nec autem refert alieno ornatu, & quibuſ- „
F dam

« dā luminibus,ac quaſi inſignib⁹ noſtra ſcrip-
« ta explere,niſi queamus id diſtinctè apteque
« facere. Fit enim, neſcio quid monſtroſum,
« cùm membra coherentia malè diſſipantur.
« Quare(vt de me loquar) nihil eſt mi Politia-
« ne quòd me à Ciceronis imitatione deter-
« reas, ſed quòd potiùs obiurges inſcitiam,
« quòd nequeam bene illum imitari: quan-
« quam ego malo eſſe aſſecla & ſimia Cicero-
« nis, quàm alumnus aut filius aliorum. Sed
« permagni intereſt,vtrùm quis videatur quen
« quam velle imitari,aut neminem.Ego autem
« ſtatuo non modò in eloquentia, ſed in alijs
« etiam artibus neceſſariam eſſe imitationem.
« Nam & omnis doctrina ex antecedenti cog-
« nitione paratur: & nihil eſt in mente, quin
« fuerit prius in ſenſibus perceptum. Ex quo
« intelligitur, omnem artē naturæ eſſe imita-
« tionem, ſed naturâ fieri vt ex eodem genere
« diſſimilitudo naſcatur. Homines enim cùm
« inter ſe diſſimiles ſint, ſimilitudine coniun-
« guntur: & quanquam alij coloratiores, alij
« pallidiores,alij venuſtiores, alij proceriores
« ſint, vna tamen eſt omnibus figura & for-
« ma.Illos autem,quibus aut crus, aut manus,
« aut brachia deſunt, non omninò ex homi-
« num genere excludendos: ſed aut mācos,aut
« claudos appellandos putarem. Sic eloquen-
« tiæ vna eſt ars,vna forma,vna imago.Qui ve-
« rò ab ea declinant,ſæpè diſtorti, ſæpè claudi
« reperiūtur.Aſpice nūc eos homines, qui ſibi
« elegerunt M. T. imitandum, quantum ab eo
diſtent

diſtent, quantum etiam inter ſe diſſimiles „
ſint. Profluentem quandam ſine moleſtia v- „
bertatem Liuius arripuit, acumen Quintilia „
nus, ſonum Lactantius, lenitatem Curtius, e- „
legantiam Columella. Quorum cùm eſſet v- „
num propè imitandi propoſitum, nihil eſt „
tam diſſimile, quàm ipſi inter ſe: nihil tam „
diſtans (ſi comparentur) quàm ipſi à Cicero- „
ne. Ex quo intelligi maximè poteſt, & cum „
iudicio ponderandam eſſe imitationẽm: & „
eum ipſum hominem mirabilem fuiſſe, ex „
quo tam diuerſa ingenia, tanquam ex peren- „
ni quodam fonte, defluxerint. Omninò, Po- „
litiane, certis auctoribus inſiſtendum eſt, „
quibus ingenia formentur, & tanquam a- „
lantur. Relinquunt enim in animis ſemina, „
quæ in poſterum per ſeipſa coaleſcunt. Qui „
autem neminem imitari, & ſine cuiuſquam „
ſimilitudine laudem conſequi videri vo- „
lunt, nihil (mihi crede) roboris aut virium „
in ſcribendo præ ſe ferunt: & illi ipſi, qui „
ſe niti dicunt ingenij ſui præſidijs & viri- „
bus, facere non poſſunt, quin ex aliorum „
ſcriptis eruant ſenſus, & inferciant ſuis: „
ex quo naſcitur maximè vitioſum ſcriben- „
di genus: quum modò ſordidi & inculti, mo- „
dò ſplendidi & florentes, appareant: & ſic „
in toto genere tanquam in vnum agrum plu „
ra inter ſe inimiciſſima ſparſa ſemina. Fieri „
enim non poteſt, quin varia ciborum ge- „
nera malè concoquantur: & quin ex tan- „
ta colluuione, diſſimillimi generis verba „
inter ſe collidantur. Nec minùs huius cor- „

" ruptæ orationis aſper concurſus aures ferit,
" quàm ruentium lapidum fragor, aut ſtrepi-
" tus, aut quadrigæ tranſcurrẽtes. Quid enim
" voluptatis afferre poſſunt ambiguæ vocabu-
" lorum ſignificationes, verba tranſuerſa, ab-
" ruptæ ſententiæ, ſtructura ſalebroſa, audax
" tranſlatio, nec felix, ac intercifi de induſtria
" numeri? Quod neceſſe eſt his omnibus acci-
" dere, qui ex ſingulis ſenſus & verba eruunt,
" & neminem imitantur. Horum ſanè omnis o-
" ratio, eſt tanquam Hebræorum domus, qui-
" bus ſunt ad quoddam tempus diuerſorum
" hominum bona oppignorata. Nam ibi & la-
" cernæ, & amictus, & multorum ſæpè pallia
" ſuſpenſa internoſcuntur. Ego autem tantum
" intereſſe puto inter eum, qui neminem imi-
" tatur, & qui certum ducem conſectatur: quã-
" tum inter eum, qui temerè vagetur, & qui re-
" ctà proficiſcatur Ille deuius inter ſpinas vo-
" lutatur: hic autem ex propoſito itinere ad
" conſtitutũ locum, ſine lapſu & moleſtia con-
" tendit. Præterea, Politiane, ſic habe: neminẽ
" eloquentiæ laudem conſequutum, qui nõ ſit
" in aliquo imitationis genere verſatus. Apud
" Græcos non modò oratores Demoſthenes,
" Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, & Demar-
" chus: ſed etiam illi ipſi Philoſophi virtutum
" magiſtri, alicuius imitatores eſſe voluerũt.
" De noſtris hoc loco taceo, ne videar tibi vni
" omnium doctiſsimo, quaſi Scholam quãdam
" explicare. Nec item aliquid de M. Tullio di-
" cendum puto. Exploratum eſt, iam illud om-
" nibus, vt qui ſe ad M. Tullium effingendum
con-

contulerit,ſi minus aliquam imitandi gloriam conſequatur,in eo tamen ornetur , quòd illum ſibi elegerit exprimendum : vt illud fuiſſe naturæ & ingenij videri poſsit,hoc iudicij.Vale. „ „ „ „ „

Perſcribam nunc paucis ſingulos animi mei motus,conſilijq́ue rationem:in qua adhuc libenter conquieſco,vt ſi aliqua ex parte interpoſitum hoc meum,de imitatione iudicium,eloquentiæ humanitatiſq́ue ſtudioſis prodeſſe poſsit voluntatem illis meam emenſum me eſſe,vehementer gaudeam.Volo enim mihi,ſicut cõmunem huius ſtudij fructum cum illis eſſe,ita etiam vel laudẽ,quam mihi ambire non licet, vel audaciæ repræhenſionem;vt ſi tanti laboris effectu deſtituar,eorum:ſit mihi impoſiti culpa,vt ait Cicero, mea verò ſuſcepti.

In hac igitur cogitatione omnibus animorum ſenſibus, mente,commentatione , cura, atque induſtria verſemur:in eaq; perpetuò defixi hæreamus,ab omni aliarum rerum vel ſtudij ambitu relicti , vt cùm pleniſsimam rerum cognitionem ex bonis auctorib. hauſerimus,ſtatim ac ſemper M.Tullij eloquentiæ parentis phraſin elocutioniſq; collocationẽ ſpectemus,imitemur, exprimamus:adeoq; vniuerſas animorum cogitationes ad illũ per omnia effingendum conuertamus:animo deuotiſſimo & quadam veluti religione ex illius immortalis in dicendo viri alta ingenij gloria,& admirabili omniũ virtutum laude propẽdentes. Deinde,ne præter illum quenquam

Parta optimarum rerũ cognitione, vnum Ciceronem eſſe imitandum.

quenquam temeraria animi incitatione imitandum nobis in paranda elocutione proponamus. Nam & illum, tanquam magnum aliquod & rarum naturæ miraculum, & in quem eloquentia vim ſuam vniuerſam trāſferet, omnes omnium virtutes eſſe conſecutum. documento erit, quòd in Oratore de ſe
" ipſo hæc ſcribat: Nulla eſt enim, inquit, vllo
" in genere laus oratoris, cuius noſtris in o-
" rationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio,
" at conatus tamen, atque adumbratio: non aſ-
" ſequimur, at quid deceat, videmus. hactenus ille. Et qui multos æmulatione aſſequi ſtudet, eius nulli ſimilis, nulli par eſſe poteſt oratio. Diſtrahitur enim humanæ mentis anguſtia auctorum copiæ, nec hærere tranquilla in quoquam poteſt. Et cùm mens diuerſis perturbata motibus veluti æſtuantis maris iactationibus diſiecta, in nullo hęret, nullum magnificum aut ingenioſum facinus conficere poteſt. Quam meam ſententiam ne quis fortè eleuet, aut cōtemnat, adſcribam Quintiliani iudicium, libr. 3. cap. 6. Quod, inquit, ſi potuerit obtineri, non ita difficilis ſupererit quæſtio, qui legendi ſint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus videbatur, probauerunt. Alij floridius genus, vt ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatū. Ego optimos quidem & ſtatim & ſemper. ſed tamē eorum candidiſſimum quenque & maximè expoſitum velim, Cicero, vt mihi quidem videtur, & iucundus incipientibus quoq;, & apertus eſt ſa-

eſt ſatis,nec prodeſſe tantùm, ſed etiam amari poteſt:tum,quemadmodum Liuius præcipit,vt quiſq; erit Ciceroni ſimillimus. Idem lib.10.cap.1.de Cicerone ſic ſcribit: Nam mihi videtur,M.Tullius,cùm ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe Demoſthenis vim, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis,Nec verò quod quoque optimum fuit,ſtudio conſecutus eſt tantùm,ſed plurimas, vel potiùs omnes ex ſeipſo virtutes extulit immortalis ingenij beatiſſima vbertate.Non enim pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat,dono quodam prudentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligẽtiùs, mouere vehementiùs poteſt?cui tanta iucunditas vnquam affuit?vt ipſa illa quæ extorquet, impetrare eum credas:vt cùm trãſuerſum vi ſua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta auctoritas ineſt, vt diſſentire pudeat: nec aduocati ſtudium, ſed teſtis aut iudicis adferat fidem. Tum interim hæc omnia, quæ vix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet,fluunt illa borata, & illa, in qua nihil pulchrius auditu eſt,oratio, præ ſe fert tamen feliciſſimã facilitatem.Quare non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis regnare in iudicijs dictus eſt. Apud poſteros verò id conſecutus, vt Cicero iã non hominis nomen,ſed eloquentię habeatur.Hũc igitur ſpectemus, hoc propoſitũ nobis ſit exemplũ. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui

Cicero valdè placebit. Ex his apparere ſatis opinor, cùm multi ſint ingenuarum artium inſignes ſcriptores. ex quorum ferè numero eſt nemo, quem nō plurimùm ſtudijs noſtris profuturum arbitrer: vnum tamen Ciceronē maximè eſſe imitandum, propterea, quòd ſicut alij vnam fortaſſe eloquentiæ partem abſoluerūt, ita omnes vni huic eloquētiæ opes fuerūt conceſſæ: ex quo tanquam Oceano omnis dicendi exornatio, omnia ſentētiarum pondera, omnium literarum loci quidam communes fluxerunt.

QVID SIT IMITATIO? ET EAM eſſe duplicem.

Imitatio.

IMitationem Cicero definit, qua impellimur animi diligēti ratione, vt aliquorum ſimiles eſſe in dicēdo videamur. Eſt enim imitari nihil aliud, niſi orationem noſtram ad alicuius phraſin, quæ omni exornationis copia florentiſſima ſit, conformare & componere, vt eam ſcribendi λέξιν & ſtyli temperationem, quæ in eo ſola, ad cuius nos æmulationem componimus, præcipuā venerationem meretur, effingamus.

Imitatio duplex.

Ea autem imitatio duplex eſt, orationis & οἰκονομίας rerum, argumentationum, affectionum, exornationum, compoſitionis, membrorum, vinculorum: in quibus omnis eloquentiæ vis, omnis admiratio atq; artis huius magnitudo verſatur. Oſtēdimus autem priore in libro quaſdam horum omnium præceptiones. nec dubiū eſt, quin recta illa locorū diſpo-

diſpoſitio,conſilij,ſententiarum, locorũ cõmunium,ſicut omnium difficillima, ita vtiliſſima ſit:quando verborum & rerum abundans vbertas,aut vaga,diſſoluta, eneruis, temerè quocunq; animi impetus incubuerit, diffunderetur, niſi diſpoſitio res ordine inter ſe congeſtas deuinxerit.

Elocutionis imitatio,ſola eſt, quæ copiosè,ornatè, admirabiliter atq; illuminatè dicentẽ populi acclamationibus, ſtrepitu,ſuffragationibus,conſenſione, admiratione denique,magnum,admirabile & mortale quod dam numen inter homines efficit. Oſtendimus alibi eius vſum pluribus.Sed debet ante omnia elocutionis imitbtio liberalis, prud(e)ns,ſobria,atque honeſta eſſe:ne,ſi nullo ad hibito iudicio,quod primum nobis ſeſe offert, & quadam etiam venuſtatis ſpecie falsò blanditur, in dicendi vſum conuertere velimus, nullam nec ſtyli temperationem, nec eloquentiæ laudem aſſequamur. Cùm enim Cicero dicat eloquentiam eſſe virtutem ac ſapientiã,dãda nobis opera,vt ea ſit verbis grandis,ſententijs ſapiens,& rerum pulchritudine illuminata:quãdo vt nihil ea vel laudabilius,vel præſentius, vel audientium admiratione præclarius eſt. ita Cicero in libro de claris Oratoribus ſcripſit,initiò genus humanum in montibus ac ſyluis diſſipatũ, prudentium conſilijs,& diſertorũ oratione deli nitum ſe oppidis mœnibusque ſepſiſſe, ciuilemque cultum ſiue vitæ coniunctionem am plecti cœpiſſe.

QVAE IN ORATIONIS IMITATIone ſint effugienda?

SICVT feraciores agri ſegeteſq; fœcundiores non ſolùm optimarum frugum vbertatem, verùm lolium etiam & herbas frugibus inimiciſſimas effundunt: ita magna doctiſſimorum hominum & præclara ingenia, exuperante quadam naturę vbertate, in eiuſmodi quædam orationis vitia incidũt, quę & olim ſunt animaduerſa, & hodie eloquentię ſtudioſo diligẽter erũt cauẽda. Nam & Ciceronis eloquentiæ parẽtis exiſtimationi atq; gloriæ inimica laudis obtrectatione illuſũ fuiſſe, ſatis conſtat: dum Caluo ſcriptis in eã ſententiam epiſtolis ſolutus & eneruis: Bruto etiam fractus atq; elumbis: ac plerisque alijs eiuſdem ſeculi oratoribus, inter quos inuidia propter ſtudij æmulationem facilè ſerpſit, inflatus, tumidus, audax & ſupra modum exultans videretur. Et ipſe quoque eoſdem tanquam exangues, tritos, otioſos, & diſiunctos repræhendit. Nec quiſquam vel patrum memoria, vel ętate noſtra multũ ab illa veteri degenerante ita ab omni laude feliciſſim⁹ repertus adhuc fuit, omne vt pũctum ſine vlla repræhenſione tulerit. Indixit hãc legem rebus omnibus natura, vt quæ plurimum præſidij, honoris, ac gloriæ in communem vtilitatem hominibus afferrẽt, aliqua tamen in parte vel offenderẽt, vel diſplicerent. Sic ipſa rerum elementa, quibus ſpiritum ducimus, ſua laborant contagione:

ſic Rhetorice magnam bene conſtitutis ciuitatibus calamitatem: philoſophia nouas ac inſanas ſuperſtitiones: Medicina perniciosũ veneni vſum hominibus attuliſſe commemoratur: ſic multę vrbes populique, regna, militari diſciplina euerſa dicuntur: ſic magnis & egregijs voluptatibus ſuum adeſt faſtidium: vt iam nemo, niſi humanitatis expers mirari magnoperè debeat, in magnis quoq; auctoribus quædam eſſe vitioſa: quæ tanquã ſobrius agricola rubos aruis excindit, ne eorum luxuriâ ſata ſtrangulentur, ſic huius oratoriæ laudis cupidus, obſeruare diligenter debet, ne mala potiùs, quàm bona, veluti cutē, non ſanguinē inſpectãs, imitari voluiſſe videatur: neúe ea depræhenſa reliquam omnem orationis gratiam corrumpant. Sunt enim proxima vt virtutibus ſic illuſtri oratori vitia quædam, à præclaris ingenijs non ſatis fortaſſe animaduerſa, ſed magnis tamen compenſata virtutibus. Deridet Cicero Fuſium quendam, qui cùm C. Fibriæ elocutionem & in dicendo neruos aſſequi non poſſet, oris eius deformitatem & verborum latitudinem imitatus eſt. Ante omnia igitur hæc duo in tota oratione ſummo animi iudicio vitabimus, ne imitationis errore decepti, deſita, antiquata, obſcęna, ſordida, humilia, & ab vſu remota in exemplũ nobis ſumamus: neúe temerè, & audacter noua vocabula fingamus. Nihil enim tam naturale eſt, quàm ſermo latinus, purus, ornat⁹, nitidus, oĩ ętate accõmodat⁹: nec à vulgari orati-

Vitia virtutibus proxima.

orationis genere, nec à communi loquendi conſuetudine in eiuſmodi lenocinia & veluti vocabulorum aucupia deductus, ad quem intelligendum opus ſit vel ingenio, vel interprete Carmenta Euandri matre. Nec minori cura rerum vocabulorumque turpitudo atque deformitas ciuili in oratione, quàm morbus in bona corporis valetudine effugienda erit. Contaminari enim, & quadam veluti contagione cōſpurcari orationis venuſtatem Cicero exiſtimat, ſi quis Africani more Rempub. caſtratam ſtercus curiæ Glauciam eſſe dicat, tantamque naturæ cùm rationem, tum verecundiam ineſſe, pleræque vt res ac corporis partes proprijs à nobis vocabulis, ne vel rerum petulantia, vel orationis obſcœnitas, moribus bonis humanoque pudori noceat, non ſint appellandæ. Ac mihi quidem in ſummos homines & ſummis ingenijs præditos intuenti, liberalis ille & ingenuus pudor, morumque innocentia longè à furioſi ſeculi noſtri ſcurrilitate abeſſe videtur: quum illi naturæ veterisque diſciplinæ verecundiam ſecuti, nihil quod obſcœnum eſſet, aut facerent, aut dicerent. Hinc enim illa ſunt: liberis operam dare, liberiùs ſalutare, de Clodiæ & Cælij turpi conſuetudine: per impluuium fucum factum mulieri, & alia permulta magno cum decore, & in rebus parùm honeſtis verecundè dicta. Arguit enim & prodit vitæ turpitudinem obſcœna oratio, in qua, tanquam ſpeculo, humanæ mentis relucet imago: vt

Fugienda in ciuili oratione vocabulorum deformitas.

qui

qui turpiter, obſcœnè, flagitioſè dicant, eorum etiam vitam in fœdiſſimis ſtupris, in priuatarum rerum dedecore, in publica infamia exprimi credas. Non igitur vtendum erit verbis obſcœnis, aut quæ conſuetudine iam noſtra exciderunt: niſi quando ornandi cauſa aptè & parcè id faciamus. Quod facilè, quí optimum quenque ſibi imitandum proponit, adſequetur. Nam verborum obſoleta vetuſtas, inopia, ſiccitas, ex humilium auctorum cùm lectione, tum imitatione contrahitur. Quæ autem vocabula ſordida, inuſitata, priſca, obſoleta, peregrina ſint & obſcœna, optimè tradit D. Eraſ. in hâc rationem multa in libris, de verborum ac rerum copia ſcribens. Sunt autem quædam vel humilia, vel noua, non tam fugienda, quàm minùs crebrò uſurpanda: cuiuſmodi ſunt, pijſſimus, mulieroſus, mulieroſitas, beatitudo, beatitas, perſpicientia, qua tamen Cicero in officijs vtitur, medietates, indolentia, exiſtere, pro oriri, Charybdis bonorum, pro voragine: & itẽ illud in officijs, ne adulari nos ſinamus, pro aſſentationibus nos in fraudem falſamque opinionem deduci: & punitus eſt, in actiuâ ſignificatione, pro Milone: dominatus, pro tyrannide: & id genus alia. quæ diligens lector obſeruabit. Molliuntur enim & veluti excuſantur à Cicerone præpoſito ſæpè verbo, vt ſic dicam, vt hoc vtar vocabulo. Quæ autem in orationis ſplendore ac perſpicuitate ſint fugienda, in Rhetoricis inſtitutionibus, cùm tropos ac figuras explicaremus, pluribus o-
ſten-

ſtendimus. Nouum certè & inſolens vocabulum non aliter C. Cæſar, libro de Analogia, atque in curſu ſcopulum fugiendum cenſet: etiamſi Cicero nouis rebus noua imponēda eſſe vocabula, vſuq; mollienda, quæ primùm dura videantur, ſcriptum reliquerit. Quæ fictio nouorum vocabulorum, quàm magnis ille virtutibus conſequebatur, à quo eloquētia & nata, & anguſtis extracta finib. in auitā poſſeſſionem collocata fuit vereor ne nobis hodie ſit nō cōceſſa. Quò maiorem delectum adhiberi velim, vt quæ nobis permiſſa ſint, quæ orationis infucata vitia lateant, non animi ſolùm, ſed & aurium quoque iudicio cognoſcamus: efficit enim hæc obſeruatio, vt cùm puriſſima, tum etiam prudentiſſima noſtra de rebus omnibus, ſit oratio.

IN ORATIONIS IMITATIONE opus eſſe optimarum elocutionum apparatu.

Fabius Quintilianus Capit. 1. Lib. 10. rectè præcipit, in paranda extemporali bene dicendi facultate opes quaſdam & optimarum cùm elocutionum, tum rerum apparatum eſſe colligendum. Fertur enim ſine impetu & conatu inanis illa verborum profluētia, omnis & gratiæ & admirationis inops, niſi florentiſſimarum elocutionum copia, ceu diuite quodam penu inſtructa, affluenti exornationum vbertate redundet. Paranda igitur ſobriè, prudenter, & magno animi cum iudicio

Paranda optimarum elo-

cio certa quædam eloquendi ratio, cuius ma- *cutionũ cer-*
gnus & admirabilis eſt artifex M. T. Cicero. *ta quædam*
Si tamen via quædam ad parandam elocutio *ratio.*
nem munienda fuerat, & veluti exemplo excitanda iuuentus, non poterit noſter hic conatus omninò inutilis videri, quẽ nuper cũ optimorum hominũ voluntatem, tum verò naturæ noſtræ facilitatẽ ſecuti, non ob id nobis aſſumpſimus, vt formularum diuerſitate ac copia puerorum ingenia defatigaremus (cùm præſertim eloquentiæ ſtudioſa iuuẽtus Ciceronem vniuerſum decoctũ atq; animo pertractatum habere debeat) ſed quò pauca quædã copiæ explicandæ proponeremus exempla, quibus pueri ad legenda M. Tull. ſcripta inſtructiores diligẽtioresq; redderẽtur. Et quia Rhetores cauſarum genera, ad quæ cuncta referuntur, tria faciunt, ſequemur eũdem in explicandis elocutionis formulis ordinem, contenti comparandę elocutionis orationem quandam indicaſſe.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

C Icero in libro partitionum oratoriarũ duplicem conſtituit controuerſiarum & cauſarum formam: quarum altera, de ectationem ſectatur aurium: alterius, vt obineat, probet, & efficiat ꝙ agit, omnis ſuſciitur cõtentio. Superius illud, exornatio, & enus demonſtratiuum, ſiue à meliore parte audationis dicitur, quod latũ ſaneq; varium ſt, ad laudandos claros viros, & ad improos vituperandos ſuſceptum, & quo non aliud

aliud orationis genus aut vberius ad dicendũ, aut vtilius ciuitatibus cẽſetur, & in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque verſetur. In hoc genere omnia laudanda, quæ coniuncta cum virtute ſunt: & quæ cum vitijs vituperanda: quoniam alterius fini s honeſtas, alterius verò turpitudo, cenſetur. Conficitur hoc genus dictionis narrandis exponendiſque factis, ſine vllis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos magis quàm fidem faciendã, aut confirmandam accommoda. Eius pręcepta rhetores paſſim tradunt, quæ hîc repetenda nobis non erunt. Et quoniam illud ad voluptatem & delectationem audientium refertur, quorum expectatio & admiratio, etiam improui ſi exitus aliquam habent in audiendo voluptatem, vtendum nobis erit oratione illuſtri & illuminata, quæ plurimum habeat ſuauitatis, etiam apta verborum conſtructione, vt paria paribus, & ſimilia ſimilibus referantur, adhibendaq; frequentiùs illa ornamenta rerum, quæ mirabilia, quæ nec opinata, nec expectata, ſed quaſi vel diuina, vel fatalia videantur. Loci deducentur à bonis vel malis externis, veluti genere, familia, fortuna, facultatibus, ſi hæc omnia eiuſmodi ſint, quæ ad augendam eius, quem laudes gloriam pertinere videantur. Et ſuam laudem retinent corporis bona, quaſi pulchritudo, valetudo bona, & eiuſmodi. Factorum, quæ nobis vel laudanda vel vituperanda erunt, triplex collocatio proponitur: Aut enim tẽporum ſeruan-

uanduseſt ordo, aut imprimis recentiſſimũ quodque dicendum, aut multa & varia facta in propria virtutum, aliquando etiam vitiorum, genera ſunt diſtribuenda. Omnis enim vis laudandi & vituperãdi, ex virtutum, aut vitiorum partibus ſumitur, quæ in toto quaſi contextu orationis erunt illuſtranda: cernendumq́; diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Sunt enim magnis virtutibus finitima vitia, ſicut prudẽtiæ malitia, temperantiæ immanitas voluptatum adſpernendarum, fortitudini audacia, liberalitati rerum ac fortunarum effuſio, lenitati mollitia animi. Vſus ſanè huius generis demonſtratiui in omni ſcripti genere amplиſſimus eſt, propterea quòd reliqua cauſarum genera imprimis ornat atque auget. Cõplectitur enim omnes figuras, orationisq́; elegantiam, & ipſas nudas rerum formas illuſtri quodam ſplẽdore induit. In epiſtolis nõ perinde frequenter, atque in publicis concionibus ſolùm per ſe explicatur. Quoties tamen principum virorum, & quorum excellens quædam auctoritas eſt, gratiam, amicitiam, atq; beneuolentiam captare volumus, pręcipua inde arguméta, vel ad cõmendationẽ, vel ad fauorẽ conciliandum ducentur. Eius ratio breuiſſima erit, vt ſuam rebus & perſonis propriam veluti laudem attribuamus: deinde, ne affectibus perturbati, aut impudẽter & cum aliqua aſſentationis ſuſpicione quempiam prædicemus: poſtremò, vt laus iuſta videatur, iuxta illud Flacci:

Quem cui commendes, etiam atque etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Certæ quædam generis demonſtratiui præceptiones.

Nulla autem vel maior, vel excellentior, vel illuſtrior laus eſt, quàm ea, quæ nobis, ꝓpter virtutem, multa & magna in Rempubl. merita attribuitur, præſertim à bonis viris, quando Cicero rectè exiſtimat vnam hãc viam laudis & dignitatis eſſe à bonis viris & ſapientibus, bene à natura conſtitutis laudari, & diligi. Et Saluſt. ſcriptum reliquit æquam laudem eſſe à laudatis laudari, & ab improbis improbari. Hector ſanè Næuianus ſummam laudem lætitiamque iudicauit, ſe à bono viro laudari. Themiſtocles ſummus Athenis vir, & laude ciuium digniſſimus habitus, rogatus, quod acroama, ſiue dictum, aut cuius hominis laudem prædicationemque magni faceret? reſpondit, eius, cuius virtus omnibus foret perfecta atque chara. Debet autem elocutio imprimis liberalis, iucunda, illuſtris, & omni gratia, atq; lepore eſſe veſtita, atq; cùm rebus, tum verò perſonis accommodata. Eius eiuſmodi quędam formulæ eſſe poſſunt.

VIR EXISTIMATIONE, AVTHOritate, & nobilitate facilè princeps.

SPlendor ordinis, eximium patriæ decus, ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ Religionis. Vir præſtantiſſimus omnium gentium, omnis memoriæ clariſſimũ lumen

lumen: cuius ſpectata & nobilitata virtus, non ſolùm natura corroborata, verùm etiã diſciplina putatur. Vir illuſtris,& auctoritate,ea prudentia,honoribus,opibus,dignitatis ſplendore, omnem vt inuidiam rerum geſtarum gloria ſuperaſſe videatur. Vir primarius,grauis,honeſtus,amans æquitatis, alienus ab omni cupiditate, pluribus maximisque in rebus probatiſſimus, & omnium exiſtimatione ornatiſſimus. Nulla res tanta eſt, cuius quidem efficiendæ poteſtas homini conceditur,quam non ille & conſilio regere,modeſtia temperare, integritate tueri, virtute conficere,auctoritate cõſeruare poſſit. Magna de illius virtute hominum opinio magna liberalitatis commendatio, magna rerum geſtarum memoria. Illud verò omnem humanæ laudis prædicationẽ excedit, quòd ad eximias animi virtutes, doctrinæ laudem atque ingenij gloriam adiecit. Vir exiſtimatione,virtute,nobilitate facilè princeps. Magnus in hoc homine auctoritatis ſplendor, multa honorum ornamenta, illuſtris dignitas. Nemo multis iã annis in florẽ ti Rep. aliqua dignitatis laude inſignis fuit, cuius maiora & præclariora in publicã omnium vtilitatem extẽt officia. Nam & huius rebus geſtis ſalus Reip. libertas ciuibus, honos magiſtratibus, laus familiæ, memoria generi, propè intermortuo conſtituta eſt ſempiterna. Sic enim vixit,vt & ciuibus per petua quadã hoſtiũ oppreſſione afflictis magno adiumento in periculis,ſolatio in labori

Vir ſummà exiſtimatione præditus.

bus,& ornamento in victoria fuerit. Itaq; in eo omnes boni viri experti ſunt amiciſſimi hominis beneuolentiam, & conſtantiſſimi amici fidem & ſummam animi magnitudinem. Prætor patriæ ac Reip. vtiliſſimus: ita nobilis & clarus, vt nemo ei ſe neq; honore, neque gratia, neque auctoritate, neque fortunis deniq; anteferre, ſine ambitioſa arrogãtis ingenij iactatione queat. C. Pompeius vnicũ virtutis ſpecimen, ornamentum patriæ, lumen Reip. virtute, gloria, rebus geſtis omniũ gentium, omnium ſeculorum, omnis memoriæ facilè princeps. Vir illuſtri ſplendore & dignitate familiæ, ſingulari modeſtia, & bonitate præditus: ingenio verò, iuſtitia, integritate omnibus præſtans, ſapiens, ſanctus, ſeuerus. Multæ in hoc principe noſtro & magnæ incredibilesq; ſunt virtutes, maximis quaſi theatris & orbi prope vniuerſo propoſitæ: nulla tamẽ aut amplior, aut clarior, aut illuſtrior deniq; eius laus dici fingiq; poteſt, quàm quòd fortunæ & gloriæ ſuæ amplitudinem miſerorum hominum neceſſitati atque ſaluti condonet. Senator ornatiſſimus, & ſua excellentiſſima virtute, & admirabili quadam fatorum benignitate ciuium ſaluti, cõmuniùm fortunarum propugnationi, ac Reipublicæ dignitati natus. Brutus vindex libertatis, cuſtos ſalutis communis, ſubſidium afflictæ Reipub. conſeruator patriæ. Extat imprimis venuſta illa popularis virtutum laus Cn. Pompeij apud Marcum Tulliũ Ciceronem, in oratione, prò lege Manilia: & illu-

ſtris

ſtris rerum geſtarum prædicatio, C. Marij in oratione de prouincijs conſularibus. C. Marius, inquit, diuina atque eximia virtute magnis populi Romani luctibus funeribuſque ſubuenit, influētes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit, ad eorum vrbes ſedeſque penetrauit, hoſtes prælijs fregit, eoſque domuit, Rempub. metu liberauit. Nulla gens eſt, quæ ita ſubacta ſit, vt vix extet: aut ita domita, vt quieſcat: aut ita pacata, vt victoria noſtra imperioq; lætetur: cæteras gentes ita contriuit, repulit, imperio parere aſſueuit. Vir optima ætate, admirabili eloquentia, etiam alta vi animi præditus hāc immortalitatis laudem conſecutus eſt, quòd in maxima optimorum virorum orbitate ad labentem, diuexatam, & propè depoſitam Rempubli. acceſſerit, neque eam multis & magnis beneficijs ſolùm illuſtrauerit, omniaque ſtudia ſua ad eius dignitatem & gloriam attulerit, ſed qui vnus in Repub. gerenda curſus habitus ſemper fuit optimus, omnium vtilitati magis, quàm priuatæ ſerui re voluerit: quem populus Rom. iudicauit omnia, quæ etiam ſumma, & difficilima forent, perficere poſſe: & cuius vel magnitudine animi, vel virtute nihil foret nobilius. Hic ab ineunte ætate cauſam celebritatis & nominis habet, cùm à parentibus acceptam, tum verò præclaris virtutibus auctam: in quem, in clariſſima Repub. cum laude & glo ria verſantem omnium ciuium oculi conuer tuntur, tanquam magnarum virtutum ſpe

culum. Qui & natura & moribus, etiam ſtudio & doctrina ſapiens habetur: idque eò maximè, ꝙ omnia in ſe poſita eſſe putās, humanos caſus poſtponit virtuti: quem nemo eſt, niſi vel tenui cogitatione præditus, vel cuius animus non magnis inuidiæ anguſtijs cōtineatur, qui non ſtudioſiſſimè laudet, ſapiētiſſimum iudicet, & quòd pro ſalute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro Reipublicæ fortunis magna & atrocia pericula & ſtudioſe, & libenter ſuſceperit, patriæ pugnatorē habeat, &c. Addat his, qui velit, alias huius generis formulas.

IVDEX AEQVVS.

OMnia in hoc iudice ſunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur: nullius illi inuidia fructum officij præcerpit, nemo florentibus illius fortunis inſidiatur, magnam & immortalem ſibi laudis famā æquitate, induſtria, temperantia, miſerorum defenſione, odio improborū, ſtudiorū magnitudine, officiorum opportunitate, incredibili in omnes humanitate, beneuolētia, fide, parauit: & proinde ampliſſima in orbe terrarum clariſſimaq; magnarū virtutū illi cōſtituta ſunt monumenta. Iudex æquiſſimus, in rebus humanis miſericors, in iudicando ſeuerus, in teſtimonio religioſus, in conſolādo comis, in deterrendo vehemens. C. Aquilij iudicis laus talis eſt apud M.T. in oratione pro A.Cecinna. Iuris, inquit, ciuilis rationē

nunquam

nunquam ab æquitate ſeiunxit,qui tot annos ingenium, laborem,fidem ſuam populo Ro. promptam,expeditamq́ue præbuerit:qui ita iuſtus & bonus vir eſt,vt natura,nõ diſciplina conſultus eſſe videatur: ita peritus ac prudens,vt ex iure ciuili nõ ſciẽtia ſolũ quædã, verũ etiam bonitas nata videatur.Cuius tantum eſt ingenium,ita prompta fides,vt quicquid inde haurias,purum liquidumq; te haurire ſentias.Cicero, in oratione pro Cluentio habita,ſapientis,inquit,iudicis eſt,meminiſſe ſe hominem, cõgitare ſibi tantum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit & creditũ. Et non ſolùm ſibi ſoli poteſtatẽ eſſe datã, verùm etiam fidem habitam eſſe meminiſſe: poſſe quem oderit, abſoluere,quem non oderit,condemnare: & ſemper quæ non velit ipſe,ſed quid lex & religio cogat cogitare; animaduertere,qua lege reus citetur,de quo reo cognoſcat,quæ res in quęſtione verſetur. Cũ hæc ſunt videnda,tum illud eſt hominis magni iudicij atque ſapientis, habere in conſilio legem,fidem,religionem, æquitatem,libidinem autem,& inuidiam,metum,cupiditates omnes amouere: maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ,quam à Dijs immortalibus accepimus,quæ à nobis diuelli non poteſt.Paſſim ſe offerunt exempla.

ERVDITVS.

EO hic vir animi robore eſt,ea virtutis indole ac continentia, vt omnes voluptates reſpuat, omnem vitæ ſuæ curſum in labore corporis,in animi induſtria, in commentatione ingenij cõficiat. Non labor hũc à magnis ſtudijs, non communium temporũ caſus infeſtus ab animi magnitudine,nõ Reipublicæ tempeſtates à curſu gloriæ auocarunt: non quies,non remiſſio,non ludi denique illum delectarunt: poſtremò nihil in vita expetendum putauit, niſi quòd eſſet cum laude atque honore,& cum dignitate coniũctum: bene ac præclarè liberalibus artibus inſtructus ad capeſſendam Remp. ad honorem,ad gloriam,ad dignitatem. Incredibilis huic viro impetus animi ad optimarum rerum ſtudia amplectenda, vehemens vincendi cupiditas, oratio elegans,erudita,laudabilis,& niſi meum me iudicium,propter beneuolentiam,fallit, omnibus bonis artibus liberaliter inſtituta,& cura atque vigilijs elaborata.Itaque incredibile quiddam conſecutus mihi videtur, qui tanta felicitate omnes ingenuas artes didicerit,omnes animo virtutes cõprehendat. Magna in hoc viro & mirifica laudis excellẽtia eſt,inſignis probitas,sũma prudẽtia,eloquẽtia admirabilis:in qua tamen pręcipuè præclara ingenij iudicijq; vis apparet. Tanta autem omnium malorum cupiditatum contemptione eſt, tanta in rebus agendis celeritate, tanta induſtria, tanta etiam ſtudij vehementia, vt ſumma in eo labo-

laborãtium literarũ ſpes,præſidiumq́; poſita eſſe videatur. Vir excellẽti ingenij magnitudine, præclara eruditione atq; doctrina, & propter egregias atque excelſas animi virtutes cum deorum immortalium laude coniungendus. Vir ingenio diuino, admirabili doctrina, ſingulari prudentia præditus, omni iure neceſſitudinis cum Rep. coniunctiſſimus, ac reliquos facilè omnes ſcriptionis elegantia, candore ſtyli, fideli ac ſobria philoſophiæ cognitione excellens. Homo diſertiſſimus, & omni doctrina ac virtute ornatiſſimus, præclaris ſuis factis & prudentia admirabili afflictam patriæ ſalutem, ac penè perditam ſeneſcentemq́; laudem literarum monimentis nuper illuſtrauit. Magno vir conſilio, ſingulari eruditione, inſigni animi probitate, cæteris, virtutibus honoris, ingenij, geſtarum rerum ornamentis ſplẽdidiſſimus: multarumq́ue rerum vſu exercitatiſſimus. Tanta porrò virtute atque integritate, vt ſolus his perditiſſimis temporibus frugi homo dici poſſit. Magnam huius laudabilis vita, elegans eruditio, & in omnibus diſciplinis mira præſtantia venerationem meretur. Homo ingenioſus, intelligens, & apud omnes, propter virtutem ſplendidus & gratioſus. Præſtabilis in hoc homine ſcientia: null' in orbe terrarũ locus eſt, in quo nõ plurima extent huius cùm prudentię, tum conſilij impreſſa veſtigia: nullum ſeculum de ſummis & maximis eius laudibus conticeſcet. Magna vir & admirabili ingenij prudentia atque

celeritate, ſumma antiquitatis memoria, & ſolida cumulataq́ue multarum rerum, omni umq́ue ingenuarum artium cognitione. Vir eruditus & doctrina excultus. Animus eruditus, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectat. Iuuenis eruditus artibus ingenuis, & in philoſophia. Grachus literis & doctrina, græcis etiam Muſis eruditus, cuius filij inſtituti optimè & perfectè eruditi. Pompei' non literis ad rei militaris ſcientiam, ſtipendijs item & legationibus bellicis, ſed rebus geſtis, & victorijs eruditus. Qui liberaliter ſunt eruditi, adhibita etiam diſſerendi elegãtia, ratione, & via philoſophantur. Homo omnium diſciplinarum, & iuris ciuilis eruditiſſimus. Vrbs Agrippina eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimisq́ue ſtudijs affluens. Homo ingenio præſtanti, eruditione perfecta, & multiplici doctrina, cæteris egregiè antecellebat.

HVMANVS, MODERATVS, CLEMENS.

FRequens eſt huius argumenti locus in genere demonſtratiuo, & laus valdè popularis. Eſt enim propria hæc virtus hominis, quã Græci φιλανθρωπίαν, Latini humanitatem vocant, qua commonemur, vt omnia hominis cauſa honeſtè agere, conſilia, ſtudiaq́; noſtra in commune conferre, nihil à nobis alienum eſſe putare velimus, quod ad conſeruandum ciuilis vitæ coniunctionem pertinere videbitur, aut quẽquam etiam negligere, in quo aliqua virtutis ſpecies appareat. Nã, vt omnia, quæ in terris gignuntur, ad vſum homi-

hominum creantur: ita homines hominum cauſa generatos eſſe, vt ipſi inter ſe alijs pro deſſe poſſint. Stoici exiſtimant: & ipſa illa humanitas efficit, vt quadam tanquam conſpiratione & animorum conſenſu mutuam amicitiam alere, omnibus, quibus poterimus, libenter prodeſſe, nocere nemini, velimus. Nihil eſt, inquit Cicero, libro de oratore primo, tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare adflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. Idem in bonis fortunæ, inquit, sũma laus eſt, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, nõ ſe prætuliſſe alijs, propter abundantiam fortunæ, vt opes & copiæ, non vt ſuperbiæ videantur ac libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem, materiam dediſſe. Et ſicut moderatio ſuam cunctis rebus addit dignitatem & ſplendorem, & in cuius decore ipſa actionis honeſtas præcipuè eſt poſita & locata: ita clementia nihil magno & præclaro viro digni⁹, eaque maximè decet principes in Rep. viros, propter cognationem, quam habet æquitate ἐπιείκεια dicta: Nam vt hæc legis intentionem, & quendam veluti rigorẽ tenet, ita illa pœnæ ſeueritatem moderatur, vt meritò in laude ponantur homines moderati & clementes. Vt ſi dicamus: Admirabilis eſt in hoc homine ac penè incredibilis ſumma cum morum animiq; ſeueritate naturæ benignitas, æquabilitasq; cõiuncta. Nihil eſt laudabili⁹, nihil magno & p̃claro viro dignius placabilita-

litate, & clementia: quæ ita probanda eſt, vt adhibeatur Reipublicæ cauſa ſeueritas, ſine qua Cicero, lib. Officiorum, adminiſtrare ciuitatem non poſſe, exiſtimat. Vir tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, vt ij beatiſſimi eſſe videantur, quibus illius conſuetudine, gratia, atque benignitate perfrui liceat. Homo commodus, comes, benignus, moderatus, ad omnem humanitatis rationem factus. Quid dicam de illius in omni negotio conſtantia, de vitæ dignitate, liberalitate, ingenij moderatione in rebus priuatis, ſplendore in publicis? quæ ita ſunt à fortuna conſummata, vt tamen à natura inchoata compareant. Multæ, & magnæ in hoc viro ſunt virtutes, ſed tamen eximia eius iuſtitia, inaudita animi lenitas quotidie magis ac magis effloreſcit. Sic enim moderatus eſt, ad omnemq́ue humanitatis gratiam factus, nullæ vt cupiditates ab innocentia atque integritate abducere illum queāt. Homo in laude verſatus ac gloria circumfluens, ea naturæ præſtantia, vt ſine omni doctrina temperans ſit ac moderatus: ſic factus ad omnem animi moderationem, ad vitæ innocentiam, nulla vt forma cuiuſquam, nulla voluptatum cupiditas, nullum pecuniæ ſtudium ab ſumma innocentia integritateq́ue eum deduxerit: nulla tamen de pluribus eius virtutibus vel gratior, vel admirabilior eſt ipſa placabilitate atque clementia. Hunc autem virum, quibus ſtudijs proſequemur? qua beneuolentia complectemur? cuius tanta in

Humanus.

animi

animi magnitudine lenitas eſt, vt nihil illo modeſtius, clementiusque fingi queat. Hanc animi illius virtutem atque magnitudinem, quis admirari ſatis poteſt? aut oratione, non dicam enumerare, ſed conſequi? quòd cùm ille cæteris omnibus omni honore egregiè antecellat, ampliorem tamen alijs, quàm ipſe conſecutus ſit, tribuat honorem: & quos honoris amplitudine ſuperat, eoſdem ſibi humanitatis deuinciat gratia atque commendatione. Honeſtus vir & ſummo ſplendore præditus, cuius laus ſapientiæ ſummaque temperantia in publicis, priuatisque rebus ſemper extitit, qui perpetuò exiſtimauit, ciuem diligi, & bene de Republica mereri, glorioſum: metui verò & in odio eſſe, deteſtabile. Cicero, in oratione pro lege Manilia, Pompeium magnis laudibus, contentione aliorum imperatorum effert.

INGENVVS ET LIBERALIS ADOleſcens.

Lectiſſimus atque ornatiſſimus Adoleſcens, ingenuarum artium iuris atque officij peritiſſimus, domi ſuæ imprimis nobilis, & illuſtri apud omnes gratia. Iuuenis admirabili fatorum benignitate ad gloriam atque dignitatē natus, Nemo hoc Adoleſcente nobilitate, nemo multarum rerum peritia, nemo optimarū artium ſtudio, nemo vitæ innocentia, nemo vllo laudis genere illo præſtantior. Hunc natura ad omnem lau- *Ingenuus Adoleſcens.*

dis

dis atque nominis nobilitatem magnum atque excelſum produxit: voluntas exercuit, fortuna ſeruauit. Vehemens in hoc Iuuene ardor mentis, ardens vincendi cupiditas, oratio erudita ac liberalis, & mira quædam ſcriptionis elegantia. Contentionis magnitudo, ſtudium gloriæ, præſtans animus, alta naturæ vis, excellens nobilitas hunc iuuenem ornatiſſimum ad ſupremum hunc honoris gradũ euexerũt. Summa in hoc iuuene ſpes, ſumma naſcentis eruditionis expectatio, ſumma ingenij indoles, ſummaque virtus. Præclara in hoc Iuuene ingenij iudicijque vis apparet. Ea enim animi eſt induſtria, vt non ſolùm communium literarum, ſed & Reipub. in eo ſpes magna poſita videatur.

FRVGI PATERFAMILIAS.

Bonus Agricola.

LAborioſus, induſtrius, diligens, gnauus, experientiſſimus arator. Homo antiqua vitæ Religione præditus, & longo multarum rerum vſu exercitatiſſimus: tanta virtute & integritate, nemo vt illo frugalior eſſe poſſit. Magnus huius labor in negotijs, fortitudo in periculis, fides in amicitia, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo. Non illum auaritia ad rapinas, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non labor ad quietem, non corporis infirmitas ad rei domeſticæ neglectionem, impulit, ſed perpetuo naturæ ſtatu ad omnem honeſtatis laudem contendit. Eo animi robo-

robore,ea excellentis virtutis indole ac vitæ continentia eſt,vt omnem vitæ curſum in labore corporis conficiat. Vir antiqua fide & inſigni animi probitate, exemplum religionis, documentum cæteris hominibus virtutis, probitatis, prudentiæ. Prudens & attentus paterfamilias.

FOEMINA.

IN laudatione fœminæ videndum, quæ huic ſexui laus conueniat. nam ea ornatiſſima elegantiſſimaque eſt oratio, quæ rebus & perſonis eſt accommodata. Laudatur autem præcipuè in fœmina pudicitia, *Mulier.* fides,continentia, veneratio erga deos, parentes ac virum,morum facilitas, prudentia in rebus agendis, induſtria in rebus domeſticis vel augendis, vel retinendis, pudor denique ac modeſtia in hac ciuilis vitæ ſocietate. Præſtantiſſima fœmina, præclara indole, eximia animi pietate, virtute, gratia, conſtantia admirabili. Honeſtiſſimà matrona, & omnibus præclaris animi dotibus omni virtutis genere ac vitæ dignitate præſtans.Admirabilis in huius puellæ natura elucet virtutis indoles, multa probitatis ac modeſtiæ ſigna vbique apparent. Mulier præter ætatem prudens, & ſpectatiſſimæ probitatis: ea denique naturæ cùm moderatione, tum bonitate, vt admirabiles amores excitet.

Locus.

LOCVS.

Locorum laus vnde petatur.

LOcorum laus à fertilitate fructuum,& paſtionis magnitudine, & huiuſmodi ferè ducitur. Quaſi dicas: Aſia opima regio eſt,& fertilis vbertate agrorum, varietate fructuum,magnitudine paſtionis. Lutetia vrbs omnium gentium orbisque terrarũ celeberrima,copioſa,eruditiſsimis hominib⁹, liberaliſſimisque ſtudijs affluens. Creſcit enim præcipuè locorum laus ex circunſtantijs: quas qui animo cogitationeque tenet, non admodum in locorum deſcriptione laborabit.Extat autem apud M. T. Ciceronem inſignis laus Siciliæ,Tuſculorum,ac Laurentis apud Plinium non ſunt obſcura exempla. Dicitur autem locus amœnus, celebris,deſertus,lubricus,& periculoſus, opăcus,& frigidus in ſylua,ſalubris, peſtilens, copioſus à frumento,maritimus,planus,montuoſus, vaſtus,obſcurus.

FORMVLAE VITVPERATIONIS.

Quæ vitanda in vituperatione.

IN vituperatione alienæ vitæ atque turpitudinis non erit committendum, vt in deformandis alijs vllam animi noſtri ex inuidia & odio ægrotantis ſuſpicionem moueamus:aut naturæ noſtræ moderationem ac pudorem ad aliorum probra abijciamus. Nã & illiberalis eſt omnis illa,qua tamen hodie erudita aliquot ingenia laborant, laudis ambitio,quæ ex alienæ virtutis oppreſſione atque calamitate eſt parta. Nec ferè quiſquam ſiue animi dolore, ſiue iactandi ingenij ſtudio

dio elatus, ſic alium repræhendit ac vitupe rat, vt non plurima de ſe inuidiæ ac maleuō-lentiæ argumenta, & quandam veluti concitatæ naturæ importunitatem declaret. Obruitur enim animus varijs permotionibus: & dum ſe totum ad alterius turpitudinem oratione explicandam conuertit, ægrè admodum intra pudoris ac modeſtiæ fines continetur. Neque mihi valde probantur, qui primam doctrinæ ſuæ famam ſcriptionisq; commendationem ex aliorum inſectatione atque calumnijs ambitiosè aucupantur: propterea quòd furoris cuiuſdā ac inſaniæ videri poſſit, quum tanta optimarum rerum ſint ſtudia; ex quibus ſolida ingenij gloria cum perpetua vitæ dignitate parari queat, velle eloquē tiam tot laboribus & ingenti animorum contentione partam, ad vnius hominis contumeliam referre. Quoties tamen vſu venerit, vt cogamur vel priuata iniuria læſi, vel commū ni virtutis voluntate commoti, in eius repræ henſione verborum iactationem exercere; qui ſic viuit, nullum vt ſceleris, audaciæ atque improbitatis indicium in perditiſſimò homine eſſe poſſit, quod non in eius perſpiciatur vita: aut hoc ſibi aſſumit, vt bonos viros propter virtutis inuidiam iucundiſſimā-que ingenij laudem contumelijs operiat: poterit hæc quoq; officij ratio nobis conſtare; dum tamen meminerimus, omnem animaduerſionem caſtigationemque grauiore contumelia carere debere: ne ſi inuerecūdiùs aliorū mores diuexemus, aut noſtram ipſi dig-

nitatem ludibrio obtuliſſe, aut cupidè & obſcuris ſuſpicionibus famam aliarum læſiſſe videamur. M. Tullius Cicero rectè commonet, in hoc genere, & alioquin in ciuilibus & forenſibus negotijs, nonnunquam neceſſarias incidere obiurgationes: in quib. vtendũ fortaſſe ſit & vocis cõtẽtione maiore,& verborum grauitate acriore:ac proinde,quoties has vel perſonarum, vel facti indignitas poſtulare videtur,id agendum nobis eſſe, vt eas adferre,& ijs vti non videamur irati:ſed, vt ad vrendũ & ſecãdũ Medici,ſic nos ad hoc genus caſtigandi rarò,inquit, inuitique venimus, nec vnquam niſi neceſſariò, ſi nulla alia reperietur medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſiderate poteſt.Magna autem parte clementi caſtigatione licet vti, grauitate tamen adiuncta: vt ſeueritas retineatur, & contumelia repellatur, &c. Habet enim omnis contumelia aculeum quendam illiberalis repræhenſionis, qui bonis viris infixus, vix vnquam ſine perpetua doloris recordatione elicitur. Eſtq; ſæpiſſimè animaduerſum, & iam ante, à nobis notatum, vt auditorum animi grauius offenſi ſint dicẽtis maledicentia:quæ eius mores inuerecundos & laſciuientes peſſimæ naturæ impetus arguit,q̃ peccatis delinquentiũ. propterea quòd ſine magno optimorum hominũ teſtimonio, & recti cõſciẽtia,etiã virtutis ſignificatione graue ſit,vel legẽ,quã ipſi non ſeruemus, innocentiæ alijs indicere, etiam contumeliam

ijs inferre, qui admiſſæ noſtræ turpitudinis teſtes veri eſſe poterũt. Vitioſũ eſt, inquit Cicero, in comparandis reb. alterã rem efferre, de re altera mentionẽ non facere: aut neceſſe putare alterã rem vituperari, cùm alterã laudes. Nõ enim neceſſe eſt, ſi alteros prę̨ponas, alios vituperes. Fieri enim poteſt, vt cùm alteros magis laudâris, aliquam alterius partem laudis attribuas: ne cupidè pugnaſſe contra veritatem puteris.

Vtilis & verecunda, etiam grata eſt, illa prolepſis in laudatione ſiue prædicatione optimorum hominum, ne quẽ aſſentandi, aut gratiæ captandę ſtudio, ſed potius virtutis amore laudaſſe videri queamus. Veluti: Non vereor pro vetere noſtra & conſuetudine, & amicitia, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar potiùs, quàm mea commendatione te ad virtutis ſplendorẽ excitare voluiſſe, cùm tuas laudes, quæ cũ dignitate publica ſunt coniũctæ, & mihi chariſſimæ, oratione explicem: Neq; enim tu is es, qui, quid ſis, quanta virtute cæteris præſtes, neſcias: & qui non eos magis, qui tuas laudes non admirẽtur, inuidos magis, quàm eos, qui laudant, aſſentatores arbitreris. Neque autem ego ſum ita demens, vt eum in laudem adducere velim, quẽ non optimũ virum iudicem: ſed cùm tu is ſis, qui in rebus præclarè gerendis meritò ſis cũ omnib. Gracchis, omnibus Lucilijs, Craſſis quoq; & Lælijs conferẽd⁹: cui⁹ actiones poſitę & locatę ſint in virtute, qua nihil formoſi⁹, nihil pulchri⁹, nihil

amabilius, qui ex magnis rerum & negotiorum tempeſtatibus in portum te vexeris, etiã in ocio percipias doctrinæ fructus, qui & maximi ſunt, & quorum vſus & delectatio eſt omnibus voluptatibus anteponẽda: non poſſum non te magnopere laudare. Sumitur autem omnis vituperatio ab animi & corporis vitijs, rebusq; turpiter geſtis, cuius pulcherrimum eſt Ciceronis exemplum in Catilinã, & L. Piſonem. Vſum generis demonſtratiui in ciuilibus, & forenſibus actionibus maximum, etiam eius hominis illuſtrem dignitatem admirationemque eſſe diximus, qui eleganti & illuſtri oratione, quæ cauſa, perſonæ aut res, poſtulat, ea copiosè & ſapienter dicere poſſit, quem dicentem ipſi illi auditores, non tantùm auidè, beneuolè, & attentè audiunt, ſed etiam in eam opinionem adducuntur, vt plus illum intelligere, & plus quàm cæteros ſapere arbitrentur: maximè ſi in dicentis oratione inſit mixta modeſtiæ grauitas, quæ admirabilem vim ad vitæ commendationem & gloriam adipiſcendam retinet. Sola enim eſt modeſtia, per quam pudor honeſtiùs claram & ſtabilem comparat auctoritatem, quæ appetentis, etiam irati animi motus regit, & ſedat: quæ ſcientiam retinet earum rerũ, quæ dicũtur, aut fiunt, loco ſuo collocandarum: quæ denique omnem actionis dignitatem illuſtrat. Cùm alioquin hac virtute neglecta, impuri, inuerecundi, & propè ſcelerati ſit ingenij, ipſam illam eloquentiã ad parandam optimorum hominum gratiam

datam,

datam,in probrum,conuitia,aut etiam ſcurrilem aſſentationem cupidè conuertere velle.Moderatè igitur, qui honore digni habeãtur,nobis erunt laudãdi : parciùs autem mali viri vituperandi: niſi aliud vel Reipublicæ cauſa,vel nocentiſſimorum hominum excurrens,& inflammatus furor, eiuſque vindicta deſideret.M.T.Cicero verecundè fatetur, ſe in Antonium & Lepidum ſeueras ſententias dixiſſe , ſed tamen inhoneſtam officij excuſationẽ adfert, hac ſe, ſi qua videri poſſit,dictionis ſeueritate vſum , non tam vlciſcendi cauſa,quàm vt & in præſens ſceleratos ciues timore ab impugnanda patria deterreret, & in poſterum documentum ſtatueret, ne quis talẽ amentiam vellet imitari. Fuit enim alter inconſtantior,alter impurior:vterque pacem metuens,inimicus odio, & ardẽs perturbandæ Reipublicæ cupiditate. Idem, quum plerique de Clodianis incendijs,trucidationibus, lapidationibus queſti eſſent,apertè fatetur, ſe multa verba de toto furore & latrocinio Clodij feciſſe, eumq; tanquam reum multis , & ſecundis admurmurationibus cuncti ſenatus in grauem criminationem non alio animo adduxiſſe, quàm eius vt furorem inflammatum in Reipublicæ perniciem exardentem reſtingueret. Qui ad T. P. Atticum ſcribens , cauſas commemorat, quibus inductus ſeueriùs cum Piſone ſit conflictatio ſuſcepta. Quod & edita eius oratio comprobat. Neque illum puduit in epiſtola quadam ad Tit.eundem ſcribere, quod

 Piſoni

Piſoni deſponſam iam Syriam ademerit, vt ſenatum ad priſtinam ſuam ſeueritatem reuocaret,& abiectum excitaret. Ad eundem quoque edita epiſtola ſcribit, ſe in cauſa fabulæ Clodianæ,in qua locum reſecandæ libidinis, & coërcendæ iuuentutis fuerat nactus, vehementem fuiſſe, omneſque profudiſſe vires animi atque ingenij ſui, non tam odio alicuius adductum, ſed ſpe magis corrigendæ,quàm ſanandæ ciuitatis. Tenenda igitur hæc moderatio,ne petulanter alijs maledicamus:fugiamuſq́; , quantum cauſa,perſonæ, & res ſuſtineant, maledicta,contumelias,iracūdias,contentiones, & aſperas pertinaceſque in omni dicendi genere contentiones. Nos,vt ſuſcepto inſtituto ſeruiamus, breues aliquot vituperationum formas, imitationis cauſa annotare voluimus.

HOMO AVDAX, NEFARIVS, atque flagitioſus.

TAnta hic crudelitate fertur,ea hominis amentia eſt,vt nemo ſanum:ea ſtultitia, vt nemo hominem : ea impietas, vt nemo patrem:ea denique omnium rerum infinita & intoleranda licentia, vt nemo ciuilem virum appellare poſsit . Promptus ad vim,paratus ad ſeditionem , audax ad omne facinus:vultus eius plenus furoris,mens ſcelere obſtricta,lingua maledictis impedita,oculi feritatis,ſermo atrocitatis plenus. Homo audacia furens,bonorum omnium odio flagrans, ſcelus atque perniciem anhelans,

peſtem

peſtem atq; cædem principibus ciuitatis viris molitur. Sic enim ꝓdigioſo ſe furore,ſic effrenata audacia iactat, ſic vnumquemque oculis ad cædem atque calamitatem deſignat,vt prorſus viuere videatur,non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Nemo ſceleratus,nemo natura ferox, audax, temerarius, amens, vecors, ære alieno oppreſſus his aliquot annis inuentus eſt,qui nō in huius familiaritatem plenam furoris, impietatis,facinoris adipiſcatur. Hic fortunarum expilatione,ciuium vexatione, omnium ſqualore & lachrymis iura ac libertatem publicam tyrannide oppreſsit:omnia in hoc portento cum ſumma turpitudine,tū ſingulari ſtultitia ſunt oblita. Quid enim aliud hic fraudator eſt,niſi immēſa aliqua vorago, gurges vitiorum,turpitudinūq; omniū? Hic omnibus in rapinis,hic in ſtupris,hic in Reipu. perturbationibus,hic in ciuium oppreſſionibus ſemper princeps eſt habitus, contaminatus ac perditus tranquillitatis publicæ perturbator:qui in hac humanę vitę ſocietate non modò animū integrum,ſe ne animam quidem puram poteſt conſeruare. Ita enim ſerpit illud in natura inſitum malum, finem vt ſtatuere erumpentibus flagitijs non poſſit.Homo immani acerbaque natura, furore atque amentia incenſus. Illa verò huius importunæ belluæ ſingularis atque incredibilis vis,quæ ex malis perditiſsimorum hominum vitijs collecta in omnium iam fortunas,ſanguinem atque cædem conualeſcit.

Homo natura truculentus, concitatus, terribilis,deterrimusq́; debacchator. Impurus,im potens,contumelioſus, ſemper eò contendēs quò furor rapit.

PERFIDIOSVS PRAEVARIcator.

INiquiſſimus iudex, & diu multumque in ſpoliationibus,pactionibus,coniurationibus, iuris ac fortunarum nundinationibus verſatus.Huius Iudicis perditiſſimi,& omniũ legum atque iuris euerſoris cura,ſtudium,cogitatio,ars omnis eſt, omnium inimicos diligenter obſeruare: ex vtraq; parte cauſas voluntateſq́; perſpicere:alijs metum, alijs ſpem adferre, omnia fraude & dolo malo agere. Perfidioſus præuaricator libidinosè, crudeliter, nefariè agit:prædo iuris vrbani,labes ac pernicies vtilitatis communis, hoſtis omnis æquitatis.Huius inaudita perfidia,auaritia infinita, ſingulari verò improbitate iudiciorũ, integritas oppreſſa videtur, atque tota ciuitate eiecta: nullius enim innocētia aduerſus huius impietatem atq; ſcelus ſatis fuit defenſa: omnia iuris vincula huius diſſoluta improbitate rupta atq; conuulſa videntur.

LVXVRIOSVS GANEO, OMNI LIbidine affluens.

LVxurioſus, petulans, proteruus,ebrius ganeo,& qui eò ſemper trahitur,quò libido rapit, quò furor, quò vinolentia. Nulla

Nulla libido ab huius corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à turpiſsimis, ſceleratiſsimisq́; eius factis ab fuit vnquam. Homo plenus ſtupri, ſceleris, flagitij: eò impudentiæ progreſſus, vt eum in ſumma nequitia non ſolùm libido, verùm etiam ipſius nequitiæ fama, ciuiumq́; indigniſsima querela oblectet: videaturq́; in eiuſmodi luxuria ad aliorum flagitioſiſsimas libidines, ſingularemque petulantiam natus eſſe. Vt cæteris in officijs pudoris, fidei, integritatis nihil hominis habet hic ſcortator: ſic in ſolis voluptatibus omnes Epicureos ſenſus acrimonia vincit: neque quiſquam tam domini ſui ſeruus, quàm hic libidinum: neque tam fugitiuus à domino, quàm ille à iure ac legibus: neq; tā abhorrēs à morte, quā ille à vitæ honeſtate. Homo ſumptuoſus, voluptuarius, ad omnem libidinem ſenſus ſuos atque mētem verſans. Hic helluo à pueritia contaminatus non ſolū intēperātia, ſed etiā conſuetudine in peruerſa ac profuſa libidine eſt verſatus. Luxurioſus ſcurra in luſtris & helluationib. eductus primum ætatis tempus ad omnium libidines diuulgauit, & reliquum vitæ curſum fœdo lenocinio ſuſtentauit. Homo omnis turpitudinis exemplum, dedecus adoleſcentiæ, probrum iuuentutis, ludibrium ſenectutis, plenus ſtupri, plenus contentionis, plenusq́; inconſideratiſsimæ temeritatis. Mulieris huius nefaria libido, non ſolùm cū dedecore, verùm etiam ſcelere eſt coniuncta: flagrat cupiditate, ac inflammata libidine ſic

fertur, vt eam nec pudor ab infamia, nec pudicitia à ſtupri fœditate, nec pietas ab inceſtu, nec generis ac familiæ macula à libidinũ turpitudine auocare queat Omnia enim pudoris naturǽq; ornamenta furore ac cupiditáte perfregit. Vicit, vt ait Cicero, pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Mulier perdita nequitia, effuſa libidine, inſatiabili cupiditate, arte quadam ad voluptates adoleſcentulorum excitandas accommodata.

IMPVRVS LENO.

Leno. EFfusè petulans leno, cęnum hominis, buſtum Reipub. vecors & amens debacchator, pecus & putrida caro, truncus atque ſtipes, rapax furunculus, inſidiator pudicitiæ atq; innocentiæ omnium, & tanquam ſerpẽs à latibulis ceruicibus in aliorum perniciem repens, ſemper poſcens, ſemper rapiens. Pręguſtator libidinum & impuriſsimus leno vniuerſæ iuuentuti, quam corruptelarũ illecebris deuinctam ſibi habet, ad libidinem, ad ſtupra, ad inceſtum, ad adulteria, virginumque raptus facem præfert. Hic optimorum hominum mentes atque ſenſus nefarijs conatibus vulnerat, iuuentutis innocentiam ſcelere inquinat, matronarum viduitatem ſtupri ludibrio proſtituit, virginum pudicitiam largitionibus tentat, promiſsis allicit, vi expugnat.

Omni

OMNI TVRPITVDINIS INFAMIA fractus.

IMmaniſsimũ hoc ac fœdiſſimũ monſtrũ, abiectũ & ſemiuiuũ in omnia ſe flagitia ingurgitauit, omnes fœdiſsimæ turpitudinis notas ſubijt, impeditum ſcelerũ conſciẽtia oppreſſum bonorum omnium odio, inſignitum iuſti ſenatus nota turpiſsima, amiſſione dignitatis afflictum. Homo inops ab omni exiſtimatione amicorumq́ue commendatione, in omni dedecore volutatus. Nulla turpitudinis eſt nota, quę nõ hui⁹ pecudis inuſta ſit vitæ: nullum animi vitium, quo non mens eius oppreſſa ſit: nullum flagitij dedecus, quod non infamiæ hæreat. Scurra infamia fractus, furore atque amentia inflammatus, omnium denique ſcelerum improbiſsimus machinator, impius maleficio, coopertus flagitijs, cæde ac ciuili ſanguine paſtus, omnium denique ſententijs damnatus. Publicus hic fraudator atque inficiator propter ciuium vexationem turpiſſimis iudicijs conuictus omnium odio proteritur atque conculcatur. Homo literis publicis notatus, fortuna egens, vita turpis, exiſtimatione damnatus. Homo amens atque perditus ad omnem nequitiam, ſcelus atque facinus, proiectus, nefarijs criminibus coopertus, magnam ſibi ex omni ſcelerum vitiorumq́ue audacia turpitudinem atque infamiam contraxit: multa in deos hominesq́ue impiè *Infamia.*

impiè commiſit, quorum nunc iuſta vltione à mente conſilioq́ue deducitur, atque ad ſupplicĩu rapitur. Damnatus reus, hoſtis patriæ, euerſor legũ, expugnator pudicitię flagitioſiſſimus, nepos deſperatus, legũ metu cõſcientiaq́; peccati exanimatus, ſpiritũ trãquillum ducere nequit. Quæcunq; in homine infami, perdito ac damnato vitia repræhendi publiciſq́; legibus damnari poſsũt, ea in hoc vniuerſa redundant: nullum vnquam à pueritia honorẽ, nulla virtutis ſtudia, nullũ bonę exiſtimationis fructum cogitauit: itaq; ex bonorũ decoctore, fraudatore publico, omnium ciuiũ factus eſt hoſtis: nulla tamen inſignior, fœdiorq́; infamiæ nota inuri illi potuit, quã quòd in hac ſcelerũ importunitate nemo illũ aditu, nemo congreſſiòne, nemo officio dignũ iudicat: omnes illũ tanquã nequã, turpẽ, improbũ, multis flagitijs cõtaminatũ fugiunt. Homo improbus, ex omnium ſcelerum colluuione natus, tetra, immaniſq́; belua, omni inaudita libidine infamis. Homo pœnarũ metu perterritus, infamia perditus, eo furore quo imbutꝰ interitũ omnib. minatur, vt nec ruere demẽs, nec furere deſinat.

IGNOBILIS, INEPTVS, AC PERDITVS.

NIhil in hoc abiectiſſimo pecore virtutis, nihil animi. nihil neruorũ: & in tã vaſto corpore tanta iudicij eſt inopia, ac rationis egeſtas, vt ne mica quidem ſalis ineſſe videatur. Nulla huius in conſilijs prudentia, nulla in amicitia fides, nulla in

rebus

rebus publicis dignitas, ſed omnia ſtupore animi, atque amentia ſunt contaminata. Homo ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguis, tardus, piger, inhumanus, neglectus & prorſus Cappadox quidam de grege venalium abreptus: cuius mens ſcelerum conſcientia obſtricta, animus anguſtus, humilis, prauus, oppletus tenebris ac libidinum ſordibus virtutis ſplendorem intueri non poteſt. Non recipit hui' leuitas vllam vitæ dignitatem: non animi egeſtas vllam recti facti gloriam, non vitæ probitatẽ ingenij infirmitas, nõ vllũ liberũ vitæ ſpiritũ tot flagitijs oppreſſa mens eius ducere poteſt: nota omnibus luculẽta illius vitia, cognita ingenij tarditas, detectæ libidinum cupiditates, animaduerſus ſtupor, debilitaſq; linguæ. Non eſt ſperandum, vt hunc perditiſſimum hominem, ab omni nõ modò ſimulatione virtutis, verùm etiam ſpe innocentiæ relictum, vlla vel virtus ad vitæ frugem reuocare, aut pœnæ formido eius flagitia corrigere, aut optimorum hominum auctoritas effuſam illius petulantiam conſtringere poſſit. Natura hunc hominem cùm ad optimarum rerum omnium ignorationem, tum verò ad inſignem & furioſam amentiã abiecit, voluntas pellexit, vſus exercuit. Ex argilla & luto fictus homulus, ſumma leuitate & inconſtantia, nequiſſimus omnium, qui ſunt, vel futuri erunt, inſulſus & inſolentis naturæ prauitate & turpitudinẽ concretus: amens, perditus, nequiſſimus nebulo, cædem & ſanguinem bonorum ſitiens.

MALEDICVS LAVDIS ALIENAE obtrectator.

Obtrectator. HOMO puſillus, maledicus, laudis alienæ obtrectator, & ipſa illa maleuolentia, qua præcipue laborat, ieiunus atq; inanis. Omnia hic naturæ atq; induſtriæ inſtrumenta ad cõmunẽ ciuiũ, optimorũq; hominum infamiam atque perniciem conuertit. totus ex friuola, arroganti, & inani maledicentia concretus. Obtrectator ſtudij, laudis, gloriæ, omnibus ſuam inuidet gloriam, omnibus bonis non magis maleuolẽtia, quã virtutis deſperatione debilitatus calumnias imponit. Omnis huius labor, omnis cogitatio, omnes ſenſus in obtrectationem famæ alienæ, dignitatiſque oppreſſionem ſunt conuerſi. Fert hoc improbiſſimorum hominum natura longè ab illo prioris ſeculi candore diſſentiens, vt viris bonis ac florentibus ingenijs, propter laudis magnitudinem atque ſplendorem, facilius incumbat inuidia. Impudens ac inuerecundus hic debacchator nõ iudicio, ſed morbo animi & quadam impotentia omnium lacerat dignitatem. Infamis hic ſcurra, & omnium bonorum conſuetudine indigniſſimus, vt ipſe ab omni vitæ atque honoris exiſtimatione alienus ſemper fuit, ſic præcipiti furore & quadã naturæ importunitate in optimi cuiuſq; exiſtimationem inuehitur. Indicabimus infra aliquot calumniandi elocutiones.

Arrogans

ARROGANS ET SVPERBVS.

HOMO arrogans, incredibili ſuperbia, prodigioſa ſui ignoratione, intollerabili contemptione laborans, & omni inſolentia affluens. Superbus homo, omnib. bonis inimiciſſimus, crudelis, cótumax, perfidioſus. Homo plenus faſtus, ſuperbiæ ac cõtumeliæ, & eò ignorationis atq; inſolentiæ progreſſus, nullius vt virtutem, nullius vt laudis atq; doctrinæ famam ferre poſſit, omnia præ ſuo faſtu contemnens, repudians dãnans. Admirabilis eſt & prodigioſa in hoc portento cùm omnium pulcherrimarum rerum contemptio, tum verò intollerabilis ſuperbiſſimi ingenij iactatio. Omnia in hoc homine inſunt, quæ ad probrum, ad inſolentiam, ad ſuperbiam pertinent. Magna eſt cognatio & ſimilitudo hominis arrogantis cũ laudis alienæ detrectatore, qualem iam deſcripſimus. *Superbus.*

Licebit ad hunc modum ſimiles vel laudandi, vel vituperandi elocutiones, & quendam optimarum figurarum apparatum ex diligenti M. T. Ciceronis lectione colligere: non enim nobis hic viſum fuit per omnia elocutionis genera ire, quando non copioſos latinæ linguæ commentarios ſcribere voluimus, ſed colligendæ elocutionis facilem quandam rationem pueris tradere.

AGENDI GRATIAS.

Agendam bene meritis gratiam eſſe.

IN genere demonſtratiuo quoque verſamur, quoties bene de nobis meritis ciuib' gratias agimus. Nullum autem, vt M. T. Cicero in libro officiorum primo ſcribit, officium referenda gratia magis neceſſariũ eſt. Fit enim vt prima dignitatis noſtræ commendatio proficiſcatur cùm à magnis & præclaris in Rempublicam ſtudijs, tum verò à beneuolentia in eos, quibuſcum nobis officij ac vitæ conſtituta eſt neceſſitudo. Nec aliud tam eſt populare, quàm optimorum hominum gratiam ſummo ſtudio, veneratione ac beneuolentia colligere. Sed vt parem in beneficiorum viciſſitudine beneuolentiam referre, atque officiorum magnitudinem maiore quadam vtilitate reponere, nec facultatis ſemper eſt noſtræ nec fortunę: ita cauſa nulla eſt, ſi perſoluere officium nequeamus, quam ob rem non animum ſaltem noſtrum ijs emetiamur, bene videlicet ſentiendo & prædicando, quorum ſumus beneficij obſtricti memoria ſempiterna. Nam beneuolentiam qui agnoſcit, iam retuliſſe videtur: propterea quod veræ amicitiæ non emolumentis atque vtilitatibus, ſed animorum conſenſione ac voluntate gratiq; animi propenſione retinẽtur atque conſeruãtur. Cùm igitur ingenui ſit animi & beneficio non indigni, beneuolentiam libẽter agnoſcere, cogamurque in omni cauſa ac ciuilibus officijs beneficiorum memores eſſe, ſubijciemus hic aliquot

aliquot agendi gratias formulas, quas iuuentus in ſcribendo ſequatur. Gratias tibi mirificas ago, quando vix referre poſſum. Sic animum tuum complectar, omnes vt me gratiſſimum eſſe intelligant. Vtinam tibi gratiam aliquãdo referre poſſim: habeo quidem ſemper. A me quidem gratijs agendis prædicandaque tua in me benignitate, quamdiu hanc vitam egero, celebraberis. Atticus apud me tibi mirificas incredibilesq; gratias egit. Facere non poſſum, quin in ſingulas res meritaq; tua gratias tibi agam. Bembus me tibi ſingularibus verbis gratiã agere voluit. Si mihi vita contigerit, omnes in tui obſeruantia gratas amicitias ſtudio, indulgentia, ac volũtate colam atque vincam. Tota mihi vita eò transferenda eſt, vt bene de me meritis gratias agam. Omnis mea ratio, actio, cogitatio nihil erit aliud, niſi conſtans ac perpetua beneficij tui commemoratio. Omnis mihi ætas ad tua promerita prædicanda erit referenda. Nullum me puto, propter tua multa & magna in me beneficia, laborem in rebus tuis omnibus ſine graui reprehenſione fugere poſſe. Ego omni labore & ſtudio ac gratia in eam cogitationem incumbam, vt quàm gratiſsimus erga te eſſe cognoſcar. A me nullum prætermittendum tempus de tuis rebus agendi atque elaborandi. Nullũ me hominis gratiſsimi, fidelisſimi, diligentiſsimi officium propter tuam in me pietatem prætermittere poſſe, mihi perſuadeo. Beneficij tui memoria nullo nec tempore nec die finietur. Si nul-

lum mihi in hoc ætatis meæ flexu reliquum foret officium, niſi vt gratus erga te iudicarer, tamen exiguum mihi tempus vel ad referendam, vel ad prædicandam gratiam putarem. Spero aliquando fore, vt tuorum beneficiorum fructus [illegible] me vberrimos præſtantiſsimosq́ue referre poſsis. Nulla eſt gratia, quæ quidem humano animo capi poſsit, quã non experiar vel remunerando beneficio tuo, vel illuſtrando. Omnem meam curam atque cogitationem in te colendo, perpetuaq; beneuolẽtia retinẽda figã atq; locabo. Ego propter multas rationes officij, beneuolentiæ, humanitatis erga me tuæ nullum colendi tui tempus dimittam. Enitar ſedulò, vt magnas ex me & perpetuas officiorũ tuorum vtilitates capere poſsis. Declarabo quibus poſſum rebus, tuam mihi exiſtimationem atque dignitatem chariſsimã eſſe. Mea in te omnia neceſsitudinis atque obſeruantię officia propter incredibilem tuã benignitatem conſtabunt. Re ipſa pręſtabo, vt gratiſsimo te homini officium tribuiſſe intelligas. Quęcunque ad te pertinent, ſtudioſiſsimè omnia complectar. Tuorum erga me meritorum memoriam ſemper conſeruabo. De mea in te voluntate ſic velim iudices: ſummo me ſtudio, opera, cõſilio ſuſcepturũ fortẽ & conſtantẽ dignitatis tuę propugnationẽ. Ego meritorum tuorum amplitudinem mutuis officijs amplectar. Quæcũq; ad voluntatẽ tuam pertinere intellexero, faciam diligẽter, cùm beneficio tuo, tum verò ſponte mea inuitatus.

tus. Memoriam tui ſumma cum beneuolētia perpetuò tenebo. Ad innumerabilia tua in me merita ille maximus cumulus acceſsit, ꝙ ſingulari me beneficio nuper auxeris. Sæpè etiam neceſſe habemus eorum benignam voluntatem, qui gratias nobis agunt, verecūdè agnoſcere: quod à Cicerone factum eſt. Grata, inquit, tibi eſſe officia mea nō miror, cognoui enim te gratiſsimum omniū, idq́; nunquam deſtiti prędicare: nec.n. tu mihi gratiā modò habuiſti, verū etiā cumulatiſsimè retuliſti. Quamobrē reliquis tuis rebus omnib. pari me ſtudio erga te & eadē voluntate cognoſces. Quanquam omnia, quæ in tuis rebus agam, & non laborioſa mihi & honeſta vide bantur: eoq́; gratiarum actionem à te nō deſiderabam, cùm re ipſa atq; animo ſcirem te eſſe gratiſsimum, tamen fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quaſi ea, q̄ oculis cernuntur, me à te amari. Idem prolepſi aliquoties vtitur: veluti: Non ego lubēter pro maximis tuis beneficijs tam vili munere defungor orationis: & malo præſens obſeruantia, indulgentia, aſsiduitate memorem me tibi probare: hoc tamen perſuaſum tibi eſſe velim, ſi vita mihi contigerit, omnes me gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tui obſeruantia, indulgentia, aſſiduitate victurum. Amor enim tuus, ac iudiciū de me vtrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidiè ſit allaturus, non facilè dixerim. Collegit in hanc ſententiam pleraſque alias agendi gratias

orationes in libr.de verborum copia primo Deſiderius Eraſmus Roterodamus,& nos infra pleraſque huius generis ſententias indicabimus.

DE ELOCVTIONIS *cùm amplificatione,tum exornatione.*

Amplificatio elocutionis.

GEneris demonſtratiui pars præcipua cõſtat amplificatione: cuius formas in priore libro indicauimus,communes Rhetorum ſcholas ſecuti. Pulcherrimum enim eloquentiæ eſt munus, poſſe nudas rerũ formas atq; dictiones dicendo vel extollere,vel extenuare,verborum ſententiarumq; figuris exornare,illuminata denique collocatione gratiã admirationemq; excitare.Cuius quoniã pulcherrima exẽpla extãt apud Ciceronẽ & Virgiliũ, indicabimus eas ſolũ elocutionis figuras,ornamenta,atque aſſumptiones, quibus frequẽtius oratio illuſtratur,vel plenior magnificentiorq; fit ſententia.Nam alibi de rerum amplificatione lociſq; communib.plura dicemus.Videmus enim hac virtute M.Tullium conſecutum eſſe, vt ſuã rebus ſimplicibus nudis ac ieiunis amplitudinem attribuerit,in magnis etiam rebus ſæpè ſtyli vel ſeueritatem,vel tenuitatem:in humilibus elationem,magnitudinemq; fuerit conſecutus.

Auxeſis.

AVXESIS.

PRima igitur amplificandæ dictionis forma, eſt ἄυξησις, in rei vocabulo poſita: qua vtimur, quoties rem quampiã, miſerabilem, crudelem & atrocem facere volumus, veluti ſi eum, qui læſus ſit, occiſum dicamus: aut pro impudico ſcortatorem, pro homine tenace auarum, pro hilari ſcurram, pro læto luxurioſum, pro fure ſacrilegum, pro homicida parricidam appellemus. Cui contraria eſt figura ταπείνωσις Græcis, Latinis diminutio appellata: qua eum, qui vulnerauit, læſiſſe, qui occidit, vulneraſſe dicimus. Vtriuſq; inſigne exemplum expreſsit Cicero in oratione pro M. Cælio. Finitima huic figura eſt quę Græcis, ἐπανόρθωσις, id eſt correctio, dicitur: cuius exemplum, quoniam ſuprà demõſtratum eſt, nihil attinet hic referre. *Auxeſis.*

EPITHETA,

PVlchrum imprimis orationis ornamentum epitheton, id eſt, adiunctum ſiue adiectiuũ, quoties rebus aptè accommodatur: efficit enim vt quod nullum aut ſplendorem, aut gratiam, aut admirationem acerbitatemúe habiturum fuerat, longè fiat atrociſsimũ. Nam & aliquid ἐμφάσεως augendæ vel minuendæ inuidia adfert, & grata quadam pulchritudine orationem ornat. Sumitur autem cùm à bonis animi, corporis atque fortunæ; tum verò à reliquis locis: ſed modus

 adhi-

Epitheta à quibus ſumantur. adhibendus, vt optima & maximè ſignificantia eligamus epitheta, quæ præcipua gratia orationis dignitatem augeant atque ſplendorem. Qualia ferè ſunt: Ambitioſa, fucoſa, ſimulata amicitia. Aerumnoſa vita. Turpis egeſtas. Arrogans crudelitas. Inuidioſæ opes. Præceps & lubrica dominandi poteſtas. Admirandi conſilij dignitas. Robuſta improbitas. Immanis audacia. Violenta & furẽs temeritas. Furioſa vinolentia. Profligatus helluo & perditus. Vera, grauis, ſolida g'oria. Inoffenſa rerum experientia. Indefeſſa gnauitas. Luculenta plaga, id eſt, inſignę vulnus. Promiſſum tetrũ, integrum, honeſtũ, glorioſum. Spes falſa & fallax. Vita inops & vaga. Cæca & arrogans fortuna. Animus ieiunus atque anguſtus. Inconſulta & temeraria animi ratio. Fatalis calamitas. Memor abilis liberalitas. Singularis ſapientia. Ciuile & luctuoſum bellũ. Iucũdiſsima ingenij laus. Afflict⁹, infirmus, eneruat⁹ reus. Muta ſolitudo. Cæca nox. Eximia, experrecta virtus. Hoſtilis mens. Turpis & nocens vita. Voluntarius inimicus. Tuta, tranquilla fortuna. Perdita auctoritas. Facinoroſa vita. Audax temeritas. Profuſa nequitia. Præceps amentia. Fideliſsima gratia. Spes maxima & veriſsima. Cogitatio inanis. Timidus homo, & omnia pericula circũſpiciens. Inconſulta ratio. Lautum & copioſum patrimonium. Inuſitata clementia. Diſiũctiſſima regio. Gens immanitate barbara, furore præceps, audacia furens, crudelitate immanis, graſſandi vſu impunitateque exercita, ciui-

ta,ciuili ſanguine ac cæde paſta. Miſerum, funeſtumque fatum. Conſilium obſcurum. Incerta & anceps fortuna belli. Impedita & oppreſſa ſcelerum conſcientia mens.Profundæ libidines.Noua & inaudita luxuries. Intemperantiſsimæ perpotationes. Vaſtiſsimũ mare.Funeſtum animal.Libidines tenebricoſæ.Inſignis turpitudinis memoria. Inęſtimabilis laus. Odium inteſtinum & infinitum. Infamis,crudelis,facinoroſa,libidinoſa mulier.Aſpera natura.Difficilis aditus. Grauis vultus.Incredibilis,inaudita pietas. Inſaturabile abdomẽ.Furioſiſsimus & egẽtiſsimus ganeo.Exultans furor.Forte conſilium. Dies funeſtus,luctuoſus.Caſus horribilis, grauis, repentinus. Gloriæ curſus ſempiternus. Otioſa,conferta, & plena voluptatibus vita. Animus flagitijs tectus. Senex meritorũ memoria.Difficilis Reipublicæ adminiſtratio. Aſpectus truculentus,terribilis. Tetra immaniſque bellua,& omni inaudita libidine infamis.Eblandita & enucleata ſuffragia.Inuidioſa gratia. Popularis blanditia & occurſatio.Perdifficilis & lubrica defenſio. Indomiti atque effrenati furores.Odium non obſcurum,ſed pertinax,inſitum, incluſum hominum animis.Nefaria pactio.Effrenatus,ſeditioſus, demens inſidiator. Importunum ſcelus.Suſpenſa & ſolicita ciuitas. Infractus atq; inanis impetus.Furibundus magiſtratus. Præcipitans, ægra, labans Reſpublica. Demerſa patria.Tenuis criminũ ſuſpicio.Homo grandi macie torridus, id eſt, macilentus.

Paterna & auita poſſeſſio. Horridi & truces Tribuni plebis. Perturbata ratio. Libido effrenata. Conſilium diſſolutum atque perditum, Incluſum, inteſtinum, domeſticum malum. Infinita omnium rerum, & intolerandi licentia, rerum cupiditas. Solum exile atque macrum. Confidens aſtutia. Callida audacia. Proiecta improbitas. Intermortuus pudor. Animus ſcelere affluens. Falſum, turbulentũ, populare, ſeditioſum iudicium. Indomita libido. Fidelis beneuolentia. Peracre iudiciũ. Concio turbulenta. Humanus in defendendo, miſericors in iudicando, religioſus in teſtimonio iudex. Immanis barbaria. Importuna natura. Furioſa amentia ſceleris & audaciæ comes. Simulatio repentina & capitalis. Acris & infamis cupiditas. Facetus bonorum decoctor. Flagitioſæ libidinis. Singularis nequitia. Gliſcens, exardẽs, inſidiosũ bellum. Perfidioſum & importunum animal. Audax, pernitioſus, criminibus obrutus, reus. Conuulſa, lacerata Reſpublica. Hians auaritia. Paſſim eiuſmodi adiectiua in optimorum auctorum lectione ſe offerunt, quæ ſtudioſus lector ad locupletandam expoliendamque orationis dignitatem diligenter obſeruabit.

(·.·)

Aduer-

ADVERBIA.

AD hunc locum referri poſſunt Aduerbia aptè & ſignificanter verbis ſuis appoſita qualia ferè ſunt: Iracundè & impotenter omnia facere. Impurè, impudenter, impiè, nefariè omnia agere. Vt, Oratoris eſt boni vehementer, non iracundè agere, in conſultationibus ſine verborum contumelia, ſine acerbo animi dolore ab alijs diſſentire, fortiter Rempublicam propugnare, ſuſpicioſè & timidè aliorum corrigere mores. Mirabiliter alienæ gloriæ fauere. Cupidiſſimè iniurias perſequi. Iniurioſè tractare. Grauiter & violenter fortunæ caſum ferre. Seditioſè Reipublicæ tranquillitatem perturbare. Superbè optimorum hominum voluntatem ſpernere. Diffidenter ſpem omnem abijcere. Ambitioſè, palam atq; vehementer de honore contendere. Audacter improbitatẽ alterius extinguere atq; delere. Arroganter ingeniũ oſtẽtare. Caſtè integreq; in Rep. verſari. Inuerecundè atq; impiè iudiciorũ religionem veritatẽq; perfringere. Nefarijs ſtupris libidinoſè volutari. Magnificè ſpẽdideq; conuiuiũ ornare. Impudẽter helluari. Cupidè in cõtentionẽ certamẽq; deſcẽdere. Scurriliter nominis exiſtimationẽ abijcere. Turbulẽter imperitæ multitudinis animos cõcitare. Religioſè amicitiã colere. Grauiter & acerbè ferre. Impunè in alteri⁹ fortunas graſſari. Petulanter alterius dignitatem diuexare. Criminoſè accuſationẽ conflare. Perfidioſè fidẽ & religionem remouere. Liberè &

accuſatoriè dicere. Perditiſſimè & flagitioſiſſimè pudorē pudicitiáq; cōſpurcare. Impotenter magiſtratū gerere. Cupidè ad laudem accurrere. Impigrè & fortiter belli labores ſubire. Actionem maleficiosè intendere. Iniurioſius aliquem tractare. Superbiùs appellare. Timidè & diffidenter criminis rationē attingere. Furiosè omnia perfringere atque perſtringere. Cautè pedetentimq; omnia vitæ officia ſubire. Confidenter proiectam improbitatem exercere. Obſcurè inſidias moliri. Vafrè & malitiosè alterius fortunas euertere. Ius ſuum diſſolutè relinquere. Benignè ſua ſtudia alicui deferre. Studiosè ad bonos viros incumbere. Leuiter errantē inflectere atq; corrigere. Prudenter omnia, quæ humanitùs euenire poſſint circūſpicere: nihil temerè & negligēter, quod accidere poſſit, deſpicere: ferre moderatè, quæcunq; fors fortuna attulerit: non confidenter in hac humanæ ſortis fragilitate propriam fortunam poſcere, communem deteſtari: cuncta deniq; præclarè & conſtanter ad vitæ dignitatē referre. Non eſt difficile ijs ſimilia aduerbia multa inuenire.

INSIGNES ALIQVOT METAPHORAE.

Metaphora. MEtaphoræ magnus eſt in omni ſcripti genere vſus: propterea quòd cùm ad orationis copiam, tum verò ornatum mirificè conducit, & in tantis vocabulorum anguſtijs, ſuam rebus addit appellationem. Eius formas doctiſſimè adnotauit magnus ille

ille & in omni laudabili eruditione admirabilis artifex D.Eraſmus Roterod. Nos etiam illuſtres aliquot metaphoras hîc ſubiecim⁹, quarum exemplo ad reliquas colligendas vtatur iuuentus.Vorago, ſcopulus,buſtū Reipub. Serpit in vrbe malum infinitum,idque manat indies latiùs. Iidē enim in foro buſtū faciunt,qui antea in ſenatu ſepulturam effecerant.Tanta ſum ad reditum cupiditate incenſus,vt nulli mihi neque remi,neque ventus ſatis faciant. Omnes in Ciceronem redūdarunt ex illo communis exitij fonte dolores.Ciuitas acerbiſſimo luctu redundat. Reſtinguere odium. Nouum ignem ac inuidiæ flammam ampliſſimo ordini ſubijcere. Remediū ægrotę ac propemodū deſperatæ Reipu.dare. Senatus inuidiam ambitus crimine inflammare. Pecuniæ hodie iudiciorū religionem veritatemq́; perfregerunt. Defeſſam & refrigeratam inuidiam noua ſceleris flamma excitare.Aegram & propemodum depoſitam Reip. partem ſuſcipere. Flumen ingenij.Lumen eloquentiæ.Lux liberalitatis.Exitium Reip.Peſtis ciuium Naufragiū fortunarū communium.Fax & furia innocentiſſimorum hominum.Gurges vitiorum , turpitudinumq́; omnium.Tempeſtas querelarum. Ex deſperatis Reipub.malis confecta ciuitas ſanari iam non poteſt. Pernitioſorum ciuium fax in omnes ſeditionis fluctus illabitur atque adhæreſcit, Vnus Cicero communium temporum flamma pro patria exarſit. Arcem facere ex cloaca, lapidemque è ſepul-

è ſepulchro venerari pro Deo, id eſt, honore indignum magnificè efferre. Difficile eſt clauum Reip. in maximo curſu ac fluctibus tenere. Virtus in tenebris lucet, neq; vllis ſordib. obſoleſcit, ſēper per ſe ſplendens. Riſu diſrūpi. Ex campo æquitatis ad verborū anguſtias aliquam reuocare. Magnam Reipub. lucem afferre. Euellere ex hominum animis conceptam opinionem. Flagrare amentia. Inflammata libidine ferri. Triumphare gaudio. Mœrore conſeneſcere. Aſſentationibus in alterius conſuetudinem immergere. Tela omnis criminationis in aliquem coniectare. Erigere animum demiſſum. Inijcere ſcrupulum. Conflare inuidiam. Infamiam atrociſsimæ turpitudinis inurere. Criminationis mucronem retundere. Procellis inuidiarum iactari. Omni ſcelere affluere. Reſpirare à metu. Rebus ſecundis inflari, frangi aduerſis. Diſrumpi inuidia. Bilem & ſtomachum mouere. Seditionis flabello omnium tranquillitatem perturbare. Veritatem mendacio contaminare. Nefario ſcelere Rempub. lacerare atque extinguere. Odium omne euomere atque deponere. Illaqueare reum legum periculis, irretire odio bonorum, implicare ſupplicio. Excutere atque exhaurire aliquē bonis. Diuelli dolore, hærere in turpitudine. diffluere ab amicitia. Iacentem & conciſum pluribus vulneribus miſericordia alleuare. Periculi tempeſtate de vitæ curſu dimoueri. Conflagrare inuidia. Aeſtuare dubitatione. Reipu. procurationem ad ſuum quæſtū nundina-

dinationemq; traducere. Publico naufragio lacunã rei familiaris explere.Ex magnis criminibus elabi.Aculeum contumeliæ excutere.Omnia iuris repagula perfringere.Aucupia verborum,& literarum tendiculas in inuidiam vocare. M.T. Clodij furorem cedendo malluit frangere,quàm reſiſtẽdo. Primoribus labris guſtare.Profundere voluptates. Ipſa natura,vt ſcribit in oratione pro M.Cęlio Cicero,profundit adoleſcentiæ cupiditates,quæ ſi ita erumpant, vt nullius vitam labefactent,faciles & tollerabiles haberi ſolent.Labem ſceleris ſempiterni contrahere. Ex profundis libidinibus emergere,totumq; ſe eijcere atq; efferre. Floreſcentem fortunã ſubita tempeſtate peruertere. Ex iactatione populari in medios omnium perturbationũ fluctus dilabi.Non ſum,inquit Cicero in Piſonem,ita timidus, vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reipub. nauem gubernaſſem, ſaluamq; in portum collocaſſem, frontis tuæ nubeculam,tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcam.Deuorare animi moleſtiã.Volitare gloriæ cupiditate.Populi fluctus excitare. Licentiam fractis cupiditatibus conſtringere. Exuere humanitatẽ. Sanare omnia belli funera . Ciuilis belli incendium,conſeruatione ciuium reſtinguere.Profundere animam.Euellere ſuſpicionem.

INCREMENTVM.

Incrementum & eius formæ.

ELegans in primis ſchema vel ad exornandam, vel amplificandam orationē, quod incrementum appellatur: quo inferioribus exaggeratis per gradus quoſdā ad id, quod ſummum eſt, peruenitur. Eius formas plerique faciunt quatuor, alij etiam plures: vt prima ea ſit, quæ ex infimis ad ſumma aliquem habet progreſſum: vt, Omnis huius vita optimarum rerum ſtudijs exercita, attrita, conſumpta eſt. M. Tullius Ro. Remp. funeſta coniuratione laborantem atque oppreſſam admirabili conſilij facilitate erexit, reſtituit. Catilina omne humanæ neceſſitudinis ius, omnem amicitiæ fidem contempſit, violauit, perfregit. Q. Fabius ſeneſcentem Romani nominis gloriam & propè extinctam à libidinoſo Hannibalis furore primus vindicauit, inſolita virtute illuſtrauit, & cum omni poſteritatis memoria adæquauit. Oſtendimus pulcherrimum eius exēplum eſſe apud Ciceronem, actione in Verrem quinta. Secunda eius forma eſt, quum excitandæ admirationis cauſa ei, quod ſua alioqui natura ſummum eſſe videbatur, aliquid auguſtius atque præſtantius adijcimus. Eius tale exemplum extat apud Ciceronem, lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum. Ariſtoteles longè omnibus præſtās & ingenio & diligētia, Platonē ſemper excipio. Summum erat, Ariſtotelem ceteris omnibus ingenio ac diligentia egregiè antecellere: auxit

auxit tamen cùm diceret, vnum ſe Platonem excipere. Tale item eſt: Diomedes omnes Græcos inuicti animi magnitudine rerumque geſtarum gloria ſuperauit, excepto tamen vno Vlyſſe. C. Iul. Cæſar ſcriptionis elegantia, præter vnum Ciceronem, feliciſſimè Romanum ſermonem expreſſit. Tertia eius forma eſt, quum citra vllum ordinem aut gradum, quod atrociſsimum eſt dicimus. Vt patrem tuum, cui vitæ luciſque huius iucunditatem debebas acceptam ferre, occidiſti: quid dicã ampliùs? patrem tuum occidiſti. Matrem tuã, Oreſtes, intra humanæ naturæ ſordes crudeliſſimè interfeciſti: nullo grauiore flagitio obſtringi poteras: matrem tuam interfeciſti. Quarta forma eſt, quæ impetum atque incrementum ſumit à rerum circumſtantijs: vt, L. Piſonem Conſulẽ cùm furoris Clodiani vis tota vrbe volitaret, in maxima Reip. perturbatione, in maximis naufragijs ciuitatis, in ſumma optimorum ciuiũ deſperatione, in maximo ſenatus luctu nemo ſobriũ, nemo agentẽ aliquid, quod eſſet libero dignum, nemo deniq; in publico vidit. Venuſtũ quoq; illud à circũſtantijs eſt incrementũ in eadem Ciceronis oratione in L. Piſonẽ. cùm ſeruorũ, inquit, delectus haberetur in foro, arma in tẽplo Caſtoris, luce & palàm cõportarentur: id aũt tẽplum ſublato aditu, reuulſis gradibus, à cõiuratorum reliquijs, atq; à Catilinæ præuaricatore quondam, tum vltore armis teneretur: cùm Equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerẽtur, Senatui, non ſolùm

lùm iuuare Remp. ſed ne lugere quidem lice ret: cùm ciuis is, quem hic ordo, aſſentiente Italia, cunctiſque gentibus conſeruationem patriæ iudicârat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more, ſeruitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio veſtro, quod verè licet dicere, ſed certè ſilentio tum Romæ fuiſſe conſules quiſquam exiſtimabit? Nihil his potuit vel efficacius, vel vehementius dici ad augẽdam inuidiam.

SYNONYMIA.

Synonymia. SYnonymiàm quoque diximus quandam nominis eſſe cognationem, ſiue interpretationem, quaſi rei ipſius, quam exaggeramus, indignitas vocabulo vno ſignificari nõ ſatis euidenter poſſit. Sũt autem Synonyma: mucro, gladius, enſis: perdere, diuexare, affligere, extinguere Rempub. vigiliæ nocturnæ, excubiæ, ſtationes. Si Italiæ delectus, inquit in oratione pro Milone Cicero, ſi arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta iuuentus, contra Milonis impetum armata eſt, atque illà omnia in hunc vnum inſtituta, parata, intẽta ſunt, &c. Et in Piſonem: Magna, inquit, maieſtas conſulis. Non capiũt anguſtiæ pectoris tui, nõ accipit leuitas iſta, non ægeſtas animi, nõ ingenij infirmitas ſuſtinet tantam perſonam.

VIRGILIVS:

Quid puer Aſcanius? ſupereſtne, & veſcitur aura
Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat vmbris?

Regnat hoc ſchema in affectionibus. Sed

nihil

nihil attinet pluribus exemplis hîc vti, quæ obſcura eſſe non poſſunt.

GRADATIO.

Gradatio.

COgnata incremento figura eſt, quæ à Græcis κλίμαξ, Latinis gradatio, appellatur. Nam & proximum ſemper verbum ad alia deſcendens repetit, & miram rebus venuſtatem iucunditatemq; adfert. Cuiuſmodi eſt: Literarum ſtudium laudē, laus vitæ dignitatem, dignitas admirationem parit. Otiū excitat voluptatis ſtudiū, voluptas parit peccatū, peccatū verò animæ mortem. Caput, inquit Paulus, mulieris vir eſt, caput viri Chriſtus, Chriſti autē deus. Nota figura & in illuſtri orationis gratia poſita.

CONGERIES.

Congeries.

COngeries, quam συνατροισμὸν vocāt Greci, non vocum gradus, ſicut incrementum, ſed cumulum quendam habet. Inſigne admodum ſchema, quoties plures virtutes vel vitia, plures animi corporiſq; dotes vni alicui perſonæ attribuimus, vt homo iuſtus, temperans, virtutum cultor, vitiorum contemptor, humanus, miſericors &c. Nam quòd vobis iſte, inquit in L. Piſonem Cicero, tantùm modò improbus, crudelis olim furunculus, nunc verò etiam rapax, quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus; quòd impudens, ꝙ audax eſſe videatur, nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil poſterius, nihil nequius. Crebrò hæc figura in omne cau-

ſæ genus incidit. Hac figura Cicero mirabiliter exaggerauit Clodij in omnes ordines flagitium. Polluerat, inquit, ſtupro ſanctiſsimas religiones, Senatus grauiſsima decreta perfregerat, pecunia ſe palam à iudicibus redemerat, vexàrat in tribunatu Senatum, omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat, me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugẽ meam vexauerat, &c.

ANTITHESIS.

Antitheſis. NVllum ferè eſt ſchema, quod illuſtriorem gratiam, maioremq; ſplendorem cùm exornandis, tum verò amplificandis rebus adferat, quàm ἀντίθεσις, id eſt, contentio: cuius vim aliquando inter rerum locos referemus. Explicat enim & oſtendit, quam vim optimarum rerum virtutes habeant, quę ſit inter virtutes ac vitia cognatio: & ipſa illa collatione rerum omnium naturam ac conſecutiones optimè indicat: & proinde maximus eius eſt vſus in genere demonſtratiuo: vt qui eximiam in principe clementiam, animi moderationem, ac incredibilem vitæ continentiam probare velit, præcipua argumenta ducat à deteſtatione impietatis, iræ, & libidinis. In ſuaſionibus nihil hac figura efficacius fingi poteſt. Eius etiam exemplum tale eſſe poteſt. Homo in ſcelere vigilans, in virtutum officijs ſomnolentus & iacens: in perditis rebus diligens, in ciuilibus

libus

libus negotijs negligens: timidus in rebus ſtrenuè agendis, audax in facinore. Ineptus & ſtultus inter viros, concinnus & prudens inter ſtultasmulierculas. Concitus ad rixam, tardus ad gratiam. Virtutis egẽs, ſcelerũ profuſus. Mortales amicitias, immortales verò inimícitias gerit. Inimicus ſuis, amicus verò alienis. Euerſor & captator fortunarum alienarũ, naufragus ſuarum. Inimicus otij, perturbator tranquillitatis: auctor ſeditionis, vexator ciuium, hoſtis bonorum omnium. Certabit, inquit Cicero actione tertia in Verrem, mea diligentia cum illorum cupiditate, veſtra integritas cum illorum perfidia, teſtium conſtantia cum illius leuitate atq; periurio.

ORATIONEM CONSTARE EX verbis & ſententijs.

ELoquentia cùm conſtet ex verbis & ſententijs, magna cura & ſtudio nobis agendum, vt purè, & emendatè loquamur, verborum & proprietatem, & tranſlatorum elegantiam perſequamur. In proprijs, vt aptiſſima eligamus: in tranſlatis, vt ſimilitudinem ſecuti verecundè vtamur alienis, vitemuſque, ſi quid vitioſum, ſi quid inquinatum, ſi abiectum, ſi non aptum, ſi durum, aut longè petitum videri poſſit. Quemadmodum autem ſententiæ maiora ſunt ornamenta, & ad orationem illuſtrãdam, & ad actionis dignitatem commẽdandam: neq; dicentis oratio iucunditatem,

admirationem, aut ſplendorem magnum habere poteſt, quæ non aliqua ſententiarum pulchritudine illuminetur, neque oratio, ſiue ipſa illa eloquentia, nullis claris ſententijs ornata dici poſsit laudabilis: ita eæ præcipuè ſententiæ nobis adſumendæ erunt, vt doceant, acutæ, vt delectent, quaſi argutæ: vt commoueant graues eſſe debent, in quibus quoq; fugiendũ, ſi quid abſurdũ, aut alienũ, aut non acutum, aut ſubinſulſum ſit. Nulla autem ſententia eſſe poteſt illuſtris ſine luce verborum, neque ſine grauibus verbis ornata & perpolita. Et quando Cicero in libro, de Oratore, primo, requirit in oratore dictionis elegantiam, acumẽ dialecticorũ, ſententias verò philoſophorum, memoriam iuriſconſultorum, vocem tragœdorum, geſtũ penè ſummorum actorum, non alia autem re magis oratio, quàm illuſtribus ſententijs exornetur, non me piguit earum formas quę ad imitationem pertinere videantur, breui ſcripto annotare.

SENTENTIAE ALIQVOT EX Cicerone, cuius dictionem iuuent uti proponimus imitandam.

PArentes, quibus natura nos primùm conciliat, chariſsimos habere debemus, etiam rebus eorum adflictis alere, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt.

Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem & errare, neſcire,

ſcire,& decipi,& malũ& turpe ducimus.Sed tamen in perdiſcendis literis adhibendũ ſtudium vehemens, & ardor quidã amoris,ſine quibus nihil quicquã in vita ſit egregiũ: parumq́; ipſa illa doctrina valet,niſi induſtria, ſtudio,labore,diligentia comprobetur.

Sola eſt ſapientia,quę & viuendi ars putatur,quæ nos à libidinum impetu,& formidinũ terrore vindicat:quæ mœſtitiã ex animis pellit,qua præceptrice nos docemur ipſius fortunæ iniuriam modeſtè ferre,& eas ingredi vias, quæ ad quietem & tranquillitatẽ ferunt:eoq́; nihil illa optabilius,nihil prȩſtantius,nihil homine dignius.

In rebus magnis,memoriaq́; dignis, conſilia primùm,deinde acta,poſtea euentus ſpectanda. Meliùs ſiquidem curantur, quæ conſilio geruntur:nec modò exiſtimandũ,quàm honeſta ſit res ea,ad quam gerendam accedimus,ſed etiam an eius efficiendi poteſtatem habeamus,adhibita ea temperatione, ne aut temerè deſperemus, propter ignauiam, aut nimis confidamus,propter cupiditatem.

Proprium munus eſt magiſtratus, commoda ciuium defendere, eoſq́; eadem æquitate continere, intelligere ſe,gerere perſonã ciuitatis eiuſq́ue dignitatem & decus ſuſtinere,cùm auxilia Reipub.labefactari, conuelli q́ue videat,ferre opem patriæ,ſuccurrere ſaluti, fortuniſq́; communibus,ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere,intercludere omnes ſeditionum vias.

Nihil eſt tam aptũ ad ius, conditioneḿq; na

turę,quã lex,ſine qua nec domus vlla,nec ciuitas,nec gens,nec hominum vniuerſum genus ſtare,nec rerum natura omnis: nec ipſe mundus poteſt.

Omnis peregrinatio obſcura & ſordida eſt ijs, quorum induſtria in patria poteſt eſſe illuſtris.

Laus ea honeſta eſt,q̃ ab his proficiſcitur,q ipſi in laude vixerũt,ſicut honos ille maxim⁹ qui non ꝓpter ſpẽ futuri beneficij,ſed ꝓpter magna merita claris viris defertur,& datur.

Breuis vita data eſt,ſed memoria bene red ditæ vitæ ſempiternæ:quæ ſi nõ eſſet longior quàm hæc vita,nemo eſſet tã amens,qui maximis laboribus& periculis ad ſummã laudem gloriamq; contenderet, cuius tamen ſtudio oẽs trahimur, & optimus quiſq; maxima gloria ducitur, neq; vix inuenitur, qui laborib⁹ ſuſceptis periculiſq; aditis, nõ quaſi mercedẽ rerum geſtarum deſideret, gloriam : ſiquidẽ ipſa virtus nullam aliam mercedem laborũ, periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ:qua quidem detracta, nihil eſt, quod quiſquam in hoc tam exiguo vitæ curriculo,& tã breui, tantis ſe in laboribus exercere velit.Inſidet enim quædam in optimo quoq; virtus,quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat atq; admonet,non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam.

Mors honeſta ſicut nonnunquam fugienda,ita ea terribilis eſt ijs, quorum cum vita omnia

omnia extinguuntur, non quorum laus emori non poteſt.

Nihil virtute eſt amabili⁹, nihil pulchrius, nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdum: cuius ea vis eſt, vt etiam in tenebris poſita ſuum retineat ſplendorem. Et natura adfert, eos vt viros ſuſpiciamus, maximiſque efferamus laudibus, quorum excellentes quaſdam & ſingulares perſpicimus virtutes. Vera laus verę virtuti debetur, ſine qua nihil quicquã eſt laudabile: eaq; ad bene viuẽdum ſeipſa contenta eſt, ſplendetq; & manet ſemper etiam loco pulſa, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit.

Voluptates blandiſſimæ dominæ, ſæpè maiores partes animæ à virtute detorquẽt. Societatis humanæ vinculũ, eſt ratio & oratio, quæ dicendo, cõmunicando, diſceptando, iudicando conciliat inter ſe homines, coniungitq; naturali quadã ſocietate. Neque vlla re alia abſumus à natura ferarum.

Nihil eſt tam tetrum, nihil tam aſpernandum, nihil homine indignius, quàm turpitudo, quia nihil eſt malum, niſi quod turpe aut vitioſum ſit.

Temperantia, quaſi moderatrix omnium commotionum eſt, quæ in rebus aut expetẽdis, aut fugiendis, vt rationem ſequamur, monet, quæ animis pacẽ adfert, & eos quaſi concordia placat ac lenit.

In omnibus rebus mediocritas eſt optima.

Nihil eſt laudabilius, nihil magno & pręclaro viro dignius placabilitate & clementia.

tia. Nihil tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare adflictos, dare ſalutem, & liberare periculis patriam.

In amicitia omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque iucunditas, vt cùm hæc adſunt, beata vita ſit, & ſine ijs eſſe non poſſit.

Natura nihil præſtantius habet, nihil qđ magis expetat, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus.

A recta conſcientia tranſuerſum vnguem non oportet quenquam in omni vita ſua diſcedere.

Improbum eſt relinquere honeſtatẽ, propter vtilitatis magnitudinem.

Nobis perſuaſum eſſe debet, ſi Deos homineſq; cælare poſſimus, nihil tamẽ auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum.

Nihil tam contra naturam, quàm turpitudo, neque deteſtabilius quicquam dedecore.

Omnis actio vacare debet temeritate & negligentia.

Cùm omnis ſeruitus eſt miſera, tum verò intollerabile eſt ſeruire impuro, impudico, effœminato.

Omnis animaduerſio & caſtigatio contumelia vacare debet.

Suum cuiq; incommodum ferendum eſt potiùs, quàm de alterius incommodis detrahendum.

Conſci-

Conſcientia rectæ voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodarum.

Præter culpam & peccatum homini accidere nihil poteſt, quod ſit horribile, aut pertimeſcendum.

Leuat dolorem communis quaſi legis, & humanæ conditionis recordatio.

Poterit ſtudioſa iuuentus alias his ſimiles, vel etiam potiores colligere ſententias ad orationem exornandam.

Apophthegmata multum gratiæ, venuſtatis, & delectationis adferunt quoq; orationi, cuiuſmodi ſunt illa Ciceronis. Plato, inquit, tum denique fore beatas Reſp. putauit, ſi aut docti, aut ſapientes homines eas regere cœpiſſent: aut qui regerent, omne ſuum ſtudiũ in doctrina ac ſapientia collocaſſent.

Diogenes Cynicus Alexandro roganti, vt diceret, ſi quid ei opus eſſet: nunc quidem paululum, inquit, à ſole abſis, officiebat videlicet appropinquanti.

Lacæna, quum filium in prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet: idcirco, inquit, genueram, vt eſſet qui pro pātria mortem non dubitaret occumbere.

Curio ad focũ ſedenti magnũ auri pondus Sãnites quũ attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. Non.n.aurũ habere, præclarũ ſibi videri dixit, ſed eis, qui haberent aurum, imperare.

Silenus à Mida captus cum eſſet, hoc ei pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: Non naſci, homini longè optimum eſt, proximum autem, quamprimùm mori.

Publius Scipio, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolebat, nunquam ſe minùs ocioſum eſſe, quàm quum ocioſus, nec minùs ſolum, quàm quum ſolus eſſet.

SIMILIA.

Similia cùm magnam lucem & venuſtatem adferant orationi: iiſque ad excitandos audientium animos frequenter vtatur magnus ille orator M. T. Cicero, exiſtimaui imitationis gratia, eorũ aliquot formas ſubijciendas eſſe, cuiuſmodi ſunt.

Vt tutela, ſic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.

Vt leges omnium ſalutem, ſingulorum ſaluti anteponunt: ſic vir bonus & ſapiens, & legibus parens, & ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium, plus, quàm vnius alicuius ſaluti, conſulit.

Vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cùm verò id poſsit mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis potiùs, quàm eo commutato quò velis tandem peruenire: ſic cùm omnibus nobis in adminiſtranda Republica propoſitum eſſe debeat, id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cum dignitate ocium: non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.

Vt cupiditatibus principum, & vitijs infici ſolet ciuitas: ſic emendari & corrigi continentia.

Vt ad

Vt ad curſum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: ſic homo ad duas res, intelligendum & agendum, natus eſt, quaſi immortalis Deus.

Vt multo maiora ſunt opera animi, quàm corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio, gratiores ſunt, quàm illę, quas viribus.

Vt ager quamuis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe nõ poteſt: ſic ſine doctrina anim⁹.

Quemadmodum temperantia ſedat omnes appetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant, conſeruatque conſiderata iudicia mentis: ſic huic inimica intemperantia, omnem animi ſtatum inflãmat, cõturbat, incitat.

Vt turpes ſunt, qui ſe efferũt lętitia tum quũ fruũtur venereis voluptatibus: ſic flagitioſi, qui eas inflammato animo concupiſcunt.

Quemadmodũ gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic ſapientes fortunæ impetum ſuperare non poſſunt.

Vt gemmæ quamuis abijciantur in lutum, fulgorem tamen & proprietatem non amittunt: ſic multi, qui quamuis in tenebris inuoluti fuerint, non tamen optimam naturam, quam non ab homine, ſed ab ipſo Deo genitam putamus, non amiſerunt.

Vt ignis in aquã coniectus, continuò reſtinguitur & refrigeratur: ſic referuens falſum crimen, in puriſsimam caſtiſsimamq; vitam collatum, ſtatim concidit & extinguitur.

Vt cygni preuidentes quid in morte boni ſit cum cantu & voluptate moriuntur: ſic omnibus & bonis & doctis eſt faciendum.

Vt

Vt leuitatis eſt, inanem aucupari rumorē & omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſi leuis eſt animi, lucem ſplendoremq́; fugientis, iuſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare.

Vt adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leuiorq́; fit corū ſenectus, qui à iuuentute coluntur, & diliguntur: ſic adoleſcētes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur.

Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet.

Vt monere & moneri proprium eſt veræ amicitiæ, & alterum liberè facere, non aſperè, alterum patienter accipere, non repugnāter: ſic habendum, nullam in amicitijs peſtē eſſe maiorem, quàm adulationem, blanditias, aſſentationem.

Paſſim extant & alia eiuſmodi ſimilia, ad quorum imitationem adoleſcentes ſua effingere ſtudia poterunt.

DE AFFECTIONIBVS.

Imitationis partes.

PRimam imitationis partem eſſe voluimus, diligenter & ſumma animi ratione atq; cura obſeruatum eius conſilium, ad cuius imitationem tota mente conuertimur: propterea, quòd naturam, cum ſua quiſq; ipſe, celeriq; ingenij motu feratur, imitando effingere non poſſumus. Secundam eius partē fecimus certam quandam rationem ac viam dicendi, quā munire optimarū elocutionum propoſitis exemplis conati ſum⁹. Huic figurarum

Affectiones.

rarum

rarũ,quibus ſimplex oratio illuſtrior illumi natiorq; redderetur, & illuſtres aliquot ſen tentias,veluti orationis lumina,tanquã partem tertiã,ſubiecimus. Nunc de materia ſiue ſcribendi genere,quod imitando explicare volumus,pauca quædam dicemus. Nam duplex eius eſt ratio. Aut enim ſimplex materia & ſolitaria,nullis vel affectionibus vel exornationibus expolita philoſophorum more proponitur:qualis eſt de cœlo & mundo,de elementis,de animæ immortalitate, de ſummo bono,de morte,de morborũ cauſis, ſymptomatis,differentijs, & remedijs, &c.cuiuſmodi ferè ſunt omnia Mathematicorũ axiomata,quæ certis demonſtrationibus, nullis vel figurarũ exornationibus, vel amplificationibus ab ingenuarum artium ſcriptoribus in ſcholis eruditorũ hominum explicãtur. Summi enim homines, ingenio & otio affluentes,latentes magnarum rerum cauſas, originem,formas,atque conſecutiones contenti fuerunt ſine vllo orationis fuco ac pigmento poſteritati tradere:propterea quòd rem docere, quàm ornare maluerunt, putarentque vitium omnem animi motum, & proinde nulla perinde re mentem humanam non ſolùm ab omni animi integritate ac ratione, verùm etiam conſtantia & ſanitate abſtrahi, atque affectionibus. quarum moderationem in prudẽte viro etiam laudabant Peripatetici,cùm tamen eas extirpãdas omninò eſſe Stoici contenderent. Sed eadem hæc ſi vel ab Oratore vel Poeta,vel ab eo deniquè

nique aſſumantur, qui in affluentis populi concurſu omnia ad ingenij ſui iactationem, ad famam eloquentiæ, ad multitudinis delectationem, admirationem, atque acclamationem facit, non magis deprobationis fide, quã indoctæ plerumq; plebis opinione vel iudicio ſolicitus, omnia iam plena eloquentiæ, plena affectionum, plena denique ſpiritus, atque animi erunt. Nam vt lachrymas mouere ſiccis oculis nemo poteſt: ſic Orator de rebus amplectendis ac fugiendis, de Reipub. adminiſtratione, de morte expetenda, de animi æternitate dicturus, audientium animos optimarum rerum ſtudio atque ambitu, humanæ vitæ odio, virtutum deniq; omnium amore & deſiderio tanquam facibus quibuſdam incendere debet, atq; inflammare: & ſpe, deſiderio, odio, amore, ira, cupiditate permotos in quemcunq; velit animi impetum pertrahere. Sunt enim affectiones à natura homini, tãquam animorum pædagogi quidã, vtiliter datæ, quarũ vi atq; impulſione ad res ſtrenuè agendas ferimur: quando nullã magnam & laudabilem virtuté exercere, nullam vitæ dignitatem amplecti, nullum optimarum rerum ſtudiũ, niſi cuius ambitu afficiamur, colere poſſumus. Quod animaduertentes Peripatetici, ne Oratorem quidem ſine iracundiæ aculeis non modò accuſantem, ſe ne defendenté ferre oportere iudicabãt: adeoq; vtiliter, animorũ perturbationes à natura homini datas eſſe, vt ipſi philoſophiæ principes tantos in ſtudijs progreſſus, luſtratis vltimis penè orbis terrarũ finibus facturi ſine flagrã-

Affectiones quid ſint.

te cupiditatis ardore nõ fuerint. Sic iram ad fortitudinem excitandã, ſic miſericordiã ad calamitatem afflictorum hominum ſubleuãdam, ſic æmulationem ad præclariſsimarum rerum ſtudia excolenda, dolorem ad ignominiæ atque infamiæ fœditatem fugiendã non ſine magna, vtilitate eſſe conſtitutã. Quare ea nobis materia quæ affectionibus abũdat, Cõiuncta nominabitur: in qua omnis oratoris facultas, omnis deniq; admiratio eſt poſita: quòd orator de rebus magnis ad Reipub. decus atque dignitatem pertinentibus dicturus, ſæpè cogatur multitudinis animos cohortatione, obiurgatione, cæteriſq; locis cõmunibus ad cupiditatem, ad laudẽ atq; gloriam, ad res præclarè agendas vel cõcitare, vel ira, odio, ac libidine inflammatos animos à temeritate, iniuria, inuidia, crudelitate ad moderationẽ reuocare. Nec aliud ad concitandos multitudinis in nos animos, ad conciliãdam beneuolentiã & attentionẽ, ad riſum, fletum, lachrymas, miſerationẽ mouendum tam vehemẽs eſt, atq; oratio omnibus, animorum motibus, quos hominũ generi natura tribuit, afluẽs propterea, quòd omnis vis, vt ait Cicero, ratioq; dicẽdi in eorũ, qui audiunt, mẽtibus aut ſedãdis, aut excitãdis exprimenda eſt. Videturq; ob id Plato rationẽ rectè dixiſſe aurigã eſſe, equos verò animi motus, quib' & currus & auriga traheretur. Atque vt hic Cicero duo motuũ capita feciſſe videtur, ſic oẽs penè Rhetores, qui de arte dicendi ſcripſerunt, affectionum genera faciũt τὰ ἤθη, καὶ τὰ πάθη. *Platonis ſententia de affectionibus*

Prio-

Priora illa mitiora ſunt,& in ſedandis ferè animis,in quadam commendatione, deprecatione,& excuſatione poſita:vt manſuetudo,timor,pudor,miſeratio,fauor,delectatio,cæteraque huiuſmodi,quæ vel ab Ariſtotele in Rhetoricis,vel à Cicerone enumerátur:& præcipuè in comœdijs regnant. Expreſsit hos motūs admirabiliter Poëta Comicus in oratione Pamphili ſuum erga Glycerium ingenuum amorem declarantis:

Ego propter me,inquit,illã decipi miſeram ſinam?

Quæ mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit.

Quam ego animo egregiè charam pro vxore habuerim.

Bene & pudicè eius doctum atque eductum ſinam

Coactum egeſtate ingenium immutarier?

Mouit enim miſerationẽ à fortuna & malis deſertæ atque neglectæ Glycerij,cuius innocentiæ obſtare paupertatem poſſe,animo cernebat,& indignitatem exaggerauit ab amore & conſuetudine, quæ ingenuo adoleſcenti cũ Glycerio fuerat conſtituta: tanquã perfidioſi ſit ingenij, datã ſemel fidẽ vlla vel patris voluntate,vel temporis iniuria,vel calamitate frangere.Addit deinde amorem,nõ illum,qui ex libidine,ex voluptate, ex corporis turpitudine ſit profectus, ſed liberalem atque pudicum. Quam ego,inquit, animo egregiè charam pro vxore habuerim.Neque tamen in his pietatis,amoris, miſerationis;

nis,indignitatiſq; motibus acquieuit: ſed omnia hæc exaggerauit à liberali vitæ institutione,quæ fortuna ac conditione meliore digna videbatur: vt his locis non ſolùm legentis animus perturbetur, verùm etiam quàm honeſtè Pamphilus amauerit,appareret. Nã eiuſmodi ferè affectionum loci ſumuntur ab ætate,ſexu,fortuna,conditione,vitæ innocẽtia,iniuria,atq; rei indignitate. An verò Annæ apud Virgilium ſororis ſuæ Didonis animum magnum atq; fortem, & in mariti fidẽ tota mente conuerſum, his affectionibus nõ permôuit ſolùm,verùm etiam fregit?

Anna refert: O luce magis dilecta ſorori,
Soláne perpetuò mœrens carpere iuuenta?
Nec dulces natos,Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut manes credis curare ſepultos? &c.

Captat enim beneuolentiam à ſingulari ſuo erga ſororem cùm amore,tum pietate: vt oſtenſura,quantis commoditatibus Didoni, ſi amoris coniugijq; ſenſum omnem abijciat, ſit carendum, plus habeat & fidei & auctoritatis. Primum deinde motum ab ea ætate, quæ & voluptatibus affluit, & procreandis liberis eſt idonea, pulchrè excitat:& liberorum delectatione,ſpe futurarum rerum,quarum gloria circumfluere poſſet, contemptu deorum, quos huiuſmodi rebus permoueri negat, timor deniq; periculi labantem eius animum inflexit, magniſq; cupiditatibus inflammauit. Magnam in omni deliberatione hæ affectiones vim atq; facultatẽ habent. Poſteriora,quæ τὰ πάθη Græcis appellari diximus; vehementem,cõcitatum, incenſum, & penè

tur, impeditos, inimici verò crudeliſſimo & nefario odio incenſos, fortunę deniq; acerbitate, rerum viciſſitudine, & graui conqueſtione fractos, ad lachrymas, ad miſericordiam, ad afflicti & calamitoſi hominis alleuationē adducit, atq; impellit. Poſtremò etiā lenitatē ac miſericordiam elicit à malis P. Syllæ. Quid.n. ait, erat mali, ꝙ huic ſpoliato honore, fama, fortunis, deeſſe videretur? aut cui nouæ calamitati loc⁹ vllus relictus eſſet? vrget eadem fortuna quæ cœpit, repetit nouū mœrorē, nō patitur hominē calamitosū vno modo afflictū vno luctu perire, &c. Nulla cuiusq̃ mens tā barbara & inhumana eſt, q̄ non his affectionibus perturbari poſſe videatur. Admirabiliter ſanè Virg. grauiſſimas animi permotiones in matris Euryali lachrymis atq; conqueſtione expreſſit his carminibus:

Hunc ego te Euryale aſpicio? tune illa ſenectæ
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſeræ data copia matri?

Harū omniū permotionum tractationē ampliùs ſupra oſtēdimus: ſumuntur.n. ab animi commentis, Græci φαντασίας appellant, quorum loci ſunt, rerū perſonarumq; adiuncta. Optimè.n. quemcūq; animi motū exprimet, qui omnia adiuncta, abſentiūq; rerū imagines animo cōceperit. Hinc enim dolorem animi exaggeraſſe Euriali mater videtur, quaſi diceret: nō fui periculorum ſocia, non adfui morienti filio, nō poſtremam eius vocē excepi, nō potui laborāti mederi, &c. Magna certè & admirabilis q̄dē affectionū vis eſt, nō ſolū ciuilib. *Commenta.* *Affectionum vtilitas.*

in cauſis, verùm etiam in omni vita bene feliciterq; inſtituenda. Sunt enim quædam ab animi ratione & virtutis ſtudio ſic abhorrẽtes, vt coniunctæ prorſus videantur cum originis peccato: quod efficit, vt noſtram vtilitatem cunctis rebus anteponamus: cuiuſmodi ferè ſunt ambitio, ira, inuidia, &c. Quædã verò rationi pariunt, ciuiliſq; vitæ dignitatem valdè commendant: vt parentum erga liberos amor, liberorum erga parentes veneratio atq; pietas, vxoris erga maritum fides. Multa de his præcipiũt Ariſt. in Rhet. li. 3. cap. octauo πολιτικῶν. & Cicero libro quarto Tuſculanarum quæſtionum. Nunc vnde digreſſi ſumus, ad reliqua cauſarum genera deueniamus: nam cęteros amplificationis rerumq; locos infrà explicabimus.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Pulchræ præceptiones de genere deliberatiuo.

PRINCIPIO ſciendum, omnem cogitationem motumque animi aut in conſilijs capiundis de rebus honeſtis & pertinentibus ad bene beateque viuendum, aut in ſtudijs cognitionis ſcientiæque verſari: deinde habendam hanc rationem eſſe, vt paci conſulamus, atque ad rem gerendam non modò conſideremus, quàm illa res honeſta ſit, ſed etiam, vt habeat efficiendi facultatem, ne quid temerè deſperemus, propter ignauiam, aut nimiùm confidamus, propter cupiditatem: poſtremò, vt in publicis conſultationibus ſemper honeſtatem falſa vtilitatis ſpecie habeamus potiorẽ. Nam in

in conſiliis dignitas,lex, religio,fides,æquitas ſpectanda.Libido autem, cupiditas, odium,inuidia, metus, animorumq́; vehementes permotiones omnes amouendæ. Maximè exiſtimare vnumquemque, vt ait Cicero,oportet,mentis ſuę conſcientiã,quæ à dijs immortalibus accepta à nobis diuelli non poteſt: quæ ſi optimorũ conſiliorũ atq; factorũ teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu & ſumma cum honeſtate viuemus.Huius autem generis vt magnus eſt vſus, ſic multæ ei⁹ ſunt formæ. Complectitur enim ſuaſionem & diſſuaſionem,exhortationem, dehortationem & huiuſmodi,quorum omniũ formulas aliquot ſignabimus.Sunt enim cõmunes ſuadendi elocutiones: ſuadeo, hortor, moneo, rogo,præcipio,auctor tibi ſum vt facias, me ſuaſore hoc ages, conſilium de mea ſententia capies:me impulſore,meo ſuaſu, meo hortatu in literarum ſtudium incumbes.Pulcherrimæ verò illæ ſunt, quæ oſtentationis, conſilij & arrogantiæ habent vel diſſimulationem, vel deprecationem, quæ in exordij vſum,ſiue epiſtolam, ſiue orationem ſcribamus,ſumuntur,cuiuſmodi ſunt:

SVADENDI ET MONENDI. *Suadere & monere.*

QVanquam conſilio non eges,quo plurimum vales,tamen vt ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent,& clariſſimi Medici ægrotantis conſilium ſæpè ſequuntur:ſic feres à me reb. tuis conſuli,ſi fortè ipſe minùs per-

 moueris.

moueris. Non dubito quin ipſe ad omnē animi prudentiā cū natura, tū ſtudio ſatis ſis informat⁹: tibi tamē ſuadeo, vel etiā moneo, ne leuē hac iniuriā animi offenſione potiùs, quā naturę moderatione ac æquitate definire velis. Tibi omninò ſuadeo, atq; etiā rogo, vt q̄ ingenio ſtudioq́; tibi peperiſti, ea in vsū Reipub. referas. Etſi conſiliū faciliùs capere, quā alijs dare poſsū, vereorq́; tibi homini ſūma prudētia, ſūmo ingenio prędito quicquā aut ſuadere, aut diſſuadere, ne, cùm amori in te meo ſim obſecutus, tuo videar iudicio diffidere: malo tamē pueriliter curioſus videri, quàm vlla in officiorum parte negligēs: quò facilius qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit, ex me quoq; ſcire poſſis. Si ad aliorū cōſilia rationes tuas conformare velis, hoc tibi agendū cenſeo, vt omnia quæ dignitatis, quæ laudis, quæ gloriæ pleniſſima ſūt, tibi in hoc vitæ curriculo nō ſolùm imitanda, ſed & percipiēda proponas. Tu verò ſi cōceptā de tua virtute opinionē, expectationemq́; ſuſtinere velis, eò curſū tuū dirigere debes, vt quod tibi honorificum, cunctis verò bonis maximè optabile eſſe iudices, id exequaris, publicam vtilitatē ſpecies, priuatā negligas: domi vitę ſplendorem, militiæ rerum gerendarum gloriam quæras: otium cum dignitate, dignitatē cum otio amplectaris. Tu ſi conſilio meo parere volueris in earum rerum cogitationem incumbes, quæ ad gloriam, ampliſſimamque gratiæ, dignitatis, ſplēdoris excellentiā pertinere videbuntur. Adhibendam eam tibi modera-

moderationem cenſeo, vt in tanta perturbationum concurſatione tempori potiùs cedendũ, quàm tuis obtemperãdũ moribus iudices. Tibi verò cùm meo in te amore, tum cauſa tua impulſus ſuadeo, & ſi pateris præcipio, ne vllius vel iniuria, vel gratia animũ tuum ab optimarũ rerum ſtudio inflectas. Ego quanquam non modò nil mihi aſſumam, in quo diſſentire tu à me poſsis, ſed etiamſi à te mihi quicquam concedatur, planè remittam, hoc tamẽ tibi ſuadere audeo, &c. Si leniter à me, pro noſtra cõiunctione, vel mea ꝑpetua in te obſeruãtia, monẽdus es, videor hoc tibi ſuadere poſſe, &c. Dabis iſtud amori noſtro, vt in eã opinionẽ ſententiamq; te adduci ſinas, quæ cũ tuis vtilitatibus eſt cõiuncta. Tibi in primis ſuadeo, atq; hoc meo etiã iure præcipio, qui vitæ dignitatem, qui patriæ decus, qui Reip. gloriã ſpectas, ne ſi qua te vel neceſsitas, vel voluntas ad Rẽpub. defendendã vocabit, ſegnior in publicis, quàm priuatis ſis rationibus: néue vllius vel iniuria vel gratia à fortibus conſilijs refugias. In hoc ætatis tuæ flexu iſtud tibi agendum cenſeo, vt animum tuum conformes excellentiſsimorum hominum cogitatione, quos neque communium temporum tempeſtas, neq; honoris ſtudium, neq; dignitatis ambitio, vnquam potuit de inſtituto vitæ ſuæ curſu ad deſidiam, ad deſperationem, ad animi demiſſionem dimouere. Optima eſt illa, quæ à periculi rerumq; magnitudine attentionem habet: vt, Vos moneo P. C. ne in tantis Rei-

 publi-

publicæ malis deſidere ampliùs velitis: agitur libertas, pro qua mori etiam quondam honeſtũ fuit: agitur Senatus auctoritas, quæ improbiſſimorum hominum audaci facinore conuulſa atq; diſsipata propemodum iacet: agitur vita & fortuna optimi cuiuſque, quæ vobis chariſsima eſſe debet, &c. Moneo te & prædico, cùm res bona omniũ pace cõponi poſsit, ne duriorem tibi conditionem ſtatuas, quàm ferre poſsis. Hoc enim eſt animi, hoc conſtantiæ, hoc ſuſceptæ dignitatis tuæ diligenter prouidere, ne qua inimicorũ vis, ne qua inuidia, ne iniuria à rebus gerendis te labefaciant, aut in grauem aliquã perturbationem conijciant: quando, vt Cicero ait, illi demum perbeati videri ſolent, qui in optima Repub. cùm & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſsẽt. Cùm omnia conſecutus ſis virtute duce, & comite fortuna, quæ laudem, dignitatemq́ue merẽtur, planè ſuadeo in eam cogitationem incumbas, vt reliquam vitæ dignitatem ex optimo Reip. ſtatu acquiras, ſicq́; exiſtimes, eum magnum & præcellentem honorem videri, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna in Rempublicam merita claris viris defertur atq; datur. tãquam perpetuum virtutis præmium. Eſt enim pulchrum, ſplendidum & glorioſum ſubuenire patriæ laboranti, optimorum hominum cõſenſu & cõſpiratione augere ciuitatis decus, & con-

& conſeruare ciuium incolumitatem, nihil prætermittere, quod in laude, quod in dignitate, quod in virtutis præmio ſit poſitum. Sic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui charitatem, vt nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Tu velim ſic exiſtimes, tibiq́ue perſuadeas, omne perfugium bonorum in te eſſe poſitum, eoq́ue nullam dimicationem pro publica omnium ſalute eſſe dimittendam. Te quidem magnum hominem & præſenti iudicio, & reliqui temporis expectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito, fac vt ad sũma contendas. Nihil eſt tantum, quod non populus Rom. à te perfici, atq; obtineri poſſe iudicet. Tibi homini prudenti in magna communium temporum conuerſione cogitandum, ne te, tuosq́ue omnes funditus euertas: ne te ſciens prudensq́; eò dimittas, vnde exitum vides nullum eſſe.

DISSVADENDI.

MAgnam omnium maximarum rerum humanæq́ue prudentiæ vim continet deliberatio, quoties de corrigẽdis ciuium moribus, de ciuitatibus inſtituendis, de retinenda libertate, propugnandis ciuiũ fortunis, de iuuentutis diſciplina, de frangẽdis hominum cupiditatibus, colenda religione, pace vel bello ſuſcipiendo, de iuſtitia, patientia, æquitate, de rerum earum omnium, ſine quibus ciuitates bene moratæ eſſe non poſſunt, modo ac temperatione conſultam⁹:

eoq́ue graues, auctores abundantes doctrina & rerum omnium cognitione monent diligenter intuendum & multa animi prudẽtia peruidendum eſſe, quid præcipuè in rebus expetendis vel fugiendis ſuadeamus aut diſſuadeamus: quid cum Reipub. dignitate, ac ſalute ciuium ſit coniunctum aut graue rebus communibus exitium allaturum: ne cõſultationis temeritate ipſi nobis magni mali auctores ſimus. Fit enim, vt in tãta rerum varietate ac copia; quid ſequendum ſit aut fugiendum, non facilè mẽs humana, niſi longa meditatione ad conſulẽdum exercitata percipere poſsit. Et Cicero in libris officiorum commemorat, nobiles quoſdam iuuenes patrum memoria fuiſſe, qui in publicis conſultationib. in rebus gerẽdis cœco quodam, ac impotente priuatæ gloriæ ſtudio Rempub. euerterint, nec enim ibi rectè cõſulitur, vbi deliberantium animi, ſpe, metu, cupiditate, ac eiuſmodi animorum permotionibus feruntur. Deriſit meritò Phocion eos Oratores, qui ſparſo falſo rumore de morte Alexandri, nullis inſtructi conſilijs, quorum ferè optimus parens ſequẽs Dies creditur, ſed concitatioribus animorum permotionibus impulſi priùs quàm certius quiddam de rebus & valetudine Alexãdri cognoſceretur, ſtultam iuuentutem ad bellum inferendum inflammabant. Quò maior in conſilio honeſtatis & vtilitatis adhibenda eſt prudentia, diligentia, moderatio, ne quid inconſultò, ne quid imprudenter agamus, cuius pœnitentia

Sequens dies conſiliorum parens.

tentia ducti in grauem temeritatis offenſionisque publicæ repræhenſionem illabamur. Eſt autem eadem diſſuadendi, quæ & ſuadendi ratio; nec diuerſi ſunt loci. Verba ſolùm prioribus ſunt contraria: quorum copia quoniam obſcura eſſe nemini poſſit: nolui hic vel nimium diligens, vel fortaſſe ineptus videri. Si tamen in hac quoque parte puerorum imitatio exemplo ſit excitanda, erunt eiuſmodi: Si prudentis eſt hominis in loco & tempore ad aliorũ ſe voluntates conformare, vide an liberaliter agas, qui ab optimi & fideliſſimi hominis gratia nulla iuſta odij cauſa impulſus defluas. Cùm omnis beneuolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe debeamus, facis inciuiliter, qui nulla opera, nullis commoditatibus laboranti amico opitulari velis. Cauendum tibi cenſeo, ne improborum in te odia ſemel extincta incendas, ſed potius omnes animi benignitate, omni officio in gratia retineas. Imprudenter tu quidem & inciuiliter agis, ſi in amicitia colenda eam habeas rationem, vt vtilitatem potiùs, quàm officia ſpectare videaris, & pin de in retinenda amicitia ſemel conſtituta ſis negligẽtior. Nam qui beneficiorũ laudẽ ſempiternam ſpectat, eum ciuium voluntatem non beneficij ſpe, non largitionibus, non ſimulato officio, ſed virtute tueri oportet. Enitendum tibi puto, vt quas ſuſceperis inimicitias, eas deponas, in optimorũ ac principũ virorum familiaritatem te dedas. Nã qui ex graui & longa miſeria emergere volunt, eos

venire

venire in clariſſimorum hominum conſuetudinem oportet. Nihil minus eſt hominis, quàm in amore vinci, vel non reſpondere ijs, à quibus prouoceris.

HORTANDI.

Hortandi. MAgnam cum ſuaſione habent cognationem hortationes: quibus vtimur, quoties amicum hortamur, vt ſtudiũ ſuum, operam, atque induſtriam ad Reipub. dignitatem referat, ad res præclarè agendas animum conuertat, nominis immortalitaté rerum geſtarum gloria, vel literarũ monimentis ſibi pareat, in colenda virtute omnes labores, omnes miſerias parui ducat, rebus ſuis proſpiciat: neque committat, vt vel rem domeſticam profuſa luxuria diſſipaſſe, vel vllam vitæ infamiam contraxiſſe, vel falſam denique laudem contempto verè virtutis ſtudio captaſſe videatur: & eiuſmodi alia, quæ ad ſuaſionis partes pertinebunt. Quare in hanc curam incumbendum, vt quarum elocutionum formulis eiuſmodi adhortationes efferantur, earum nobis parata ſit copia. Eſt autem infinitum in tanta verborum rerũque varietate omnem explicare dicendi rationem. Quare nos, quò facilior ſit imitandi ratio, inſigniores eius aliquot locos oſtendemus, quales ferè ſunt. Te adhortor, vt in eam rationem, in qua multi & honore, & gloria floruerunt, incumbas: recorderis virtuti te, non deſidiæ: dignitati, non voluptati: laudi denique, non otio eſſe natum. Agè, ſolicitu-

dinem

dinem ciuium tuorum reſpice, & illam tuã non diſſolutam,ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem Reipub. bene gerendæ excita.Para te,meditare, atque cogita,vt perditiſſimis flagitijs oppreſſam Rempublicam in priſtinam vindices libertatem.Vos,adoleſcentes,qui ingenio & virtute ſummam laudem conſequi poteſtis, ad maiorum veſtrorum, quorum prudentia imperij huius ſplendor ac gloria conſtituta eſt, imitationem vos componite.Omnia tibi ſunt, princeps ampliſſime,erigenda,quę iacere & alienis ſordibus obſoleſcere ſentis,quę belli impetu perculſa atque proſtrata ſunt,quę dilapſa in ſuam perniciem fluxerunt: referenda in Reipub.lucem & ſplendorem literarum dignitas: profliganda fœda barbaries, ſtudium Reipub. bene gerendæ producendum, arma pro Latino nomine ſumenda: eijcienda vbiq; & omni ratione proſternenda peſtis illa & impetus eorum,qui exultantes, & temere,nefariè,impiè in Chriſtianum ſanguinem irruentes ſacroſanctæ fidei religionem violant. Sunt multæ aliæ eiuſmodi apud Ciceronem hortãdi formæ.Veluti: Eiſdem de rebus etiã atque etiam hortor,quibus ſuperioribus literis hortatus ſum,vt in ea Repub. quæcunque eſt,& fidelem procurationem poſtulat, eſſe quamprimùm velis,&,quod ſapientis eſt habitum ſemper,quod vitari nulla humana ratione poteſt,id ferrè moderatè, cedere tempori, & parere neceſſitati, ſi quid vitij eſt id, corrigere apta moderatione. Perge nomen

men tuum commendare immortalitati: atq; hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ collecta ex inaniſſimis ſplendoris imaginibus, contemne: breuia, fugacia, & caduca exiſtima. Verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maximè illuſtratur magnis in Rempub. meritis. Hoc tibi vel ſuadendum vel indicandum putaui, quod de ſuſcipienda Reip. propugnatione ſuperiorib⁹ literis ſcripſi, vt potiùs amorem tibi oſtẽderem meum, quàm oſtentarem prudentiam, maximè, quòd nihil addubitem, quin omnia quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitraberis, ſis ſtudioſè & diligenter curaturus: etiam prçuiſurus, ne ſcintilla teterrimi belli relinquatur, aut vllus ciuium metus. Quod ſi factum erit, & Rempub. diuino beneficio affeceris, & ipſe ęternã gloriam, laudem atque dignitatem conſequere. Admonendi mihi ſunt certi aliquot homines, qui animo sũt ieiuno, anguſto, & ipſa inuidia inani, vt excellentium virorũ ſcripta imitatione & gratia digna non inuidia & repręhenſione putent: virtute & eruditione, non calumnijs alienæque virtutis oppreſſione ad gloriam atque nominis famam curſum ſibi quærant.

SERVIRE LAVDI ATQVE GLORIAE.

Seruire laudi.

CIc. lib. Offic. 2. refert à Socrate conſtitutã hanc viã ad gloriã proximã, & quaſi compendiariã eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione, inquit, & inani oſtẽtatione, & ficto

cto non módò ſermone,ſed etiã vultu,ſtabilẽ ſe gloriam conſequi poſſe arbitrentur, vehementer errãt. Vera enim gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta autem omnia celeriter, tanquam floſculi decidunt. Nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. Idem libro 3. Tuſcul. quęſt. deſcribit gloriam eſſe ſolidam quandam rem & expreſſam, non adumbratam, tanquam conſentientem laudem bonorum, incorruptam vocem bene iudicantium de excellenti virtute, cui omnes nos, qui immortalitatis ſpe ducimur, ſenſu ac ſpe duci oportet. Habet enim ea formam ac ſimilitudinem honeſtatis, quam homines perfecti, & excellentibus ingenijs præditi vehementer appetunt & deſiderant: propterea quòd ipſa illa, qua nihil in hominum vita illuſtrius eſt, virtus non aliam laborum mercedem poſtulat, quam hanc laudis & gloriæ. Vix inuenitur, inquit Cicero libro 1. Officiorum, qui laboribus ſuſceptis, periculisque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. Neque quiſquam in Reipub. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis, fructuque ducatur. In quo igitur ſtudium veræ gloriæ locatũ eſſe animaduertimus, is meritò venit laudandus. Nullus à me labor in negotijs, nulla in periculis fortitudo, nulla in agendo induſtria, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo eſt prætermiſſum. Intẽtis oculis omnes Reipub. partes intueor: nihil, quod ad ciuitatis decus conſeruandum perti-

pertinet prætermittendum puto. Animum meum, omnemque curam, operam, ac diligentiam meam in iuris ciuilis ſtudio pono. Omnia ad ſplendorem & gloriam reuocare. Hac enim elocutione Cicero in oratione, pro L.Flacco vtitur: Hæc, ait, ratio & magnitudo animorum in maioribus fuit, vt cùm in priuatis rebus, ſuisque ſumptibus minimo contenti, tenuiſſimo cultu viuerent, in imperio atque publica dignitate omnia ad gloriã ſplendoréque reuocabant: quæritur enim in re domeſtica laus, in publica dignitas. Nulla me voluptas, nulla ambitio, nulla miſeria à laudis ambitu, magnarumq; & præcellentiũ rerum cogitatione abſtrahet. Ego omnes neruos meos & induſtriam in rebus præclarè agendis attollam. Ego me à cæteris omnibus cogitationibus ad vnam ſalutem Reipublicę contuli. Semper ex honoris gradu omni ſtudio, virtute, auctoritate incubui ad Rempub. conſeruandam: præcipitanti Reip. magnis in malis ſubueni, patriam demerſam extuli, afflictas omnium fortunas conſeruaui. Nullũ me aut incommodum, aut otium, aut voluptas à ſtudijs auocauit, aut ſomnus retardauit. Omnia enim tempora ad recolenda ſtudia mihi ſũpſi. Equidẽ, vt honore dignus eſſem primùm ſemper laboraui, ſecundò vt exiſtimarer, poſtremò, vt tum honorem iucundum putarem, cùm dignitati meæ teſtimonium, non ambitioni beneficium datum eſſe intelligerem. Alacrem & magnum ad ſtudium iuris animum attuli. Omnẽ meam vim in diſcendis

cendis literis conſumpſi. Qui vitæ dignitatem, qui laudem & gloriam Reipublicæ quærit, eum nulla, oportet vel miſeria, vel calamitate de ſtudij ſui curſu dimoueri. Multorum virtus ingenium, humanitas, ex infimo genere & fortunæ gradu nõ modò amicitias & rei familiaris copias cõſecuta eſt, ſed ſummam laudem, honores, gloriam, dignitatem. Sed ea tamen in ipſa honoris petitione adhibenda eſt moderatio; vt otium cum dignitate complectamur. Multi enim; vt ſcribit Cicero, ex iactatione curſúque populari ex tranquillo dignitatis & fortunarũ portu; nimia honoris ambitione ſubuerſi, in medios maximarum perturbationum fluctus ſe contulerunt. Plerique omnem ſpem ſalutis ad dignitates, ad communem virtutem beneuolentiamque conuertunt.. C. Cæſar ita magnum veræ gloriæ ſenſum cepit, nihil vt cum gloria comparandum vnquam putauerit; omnẽ vim ingenij in ciuilibus ſtudijs conſumpſerit: nec præſentes vitæ voluptates, nec præcipitem dominandi ac lubricam cupiditatẽ veræ, graui, ſolidæ gloriæ antetulerit vnquã: omne curriculum induſtriæ, in foro, in curia, in amicorũ periculis propulſandis tranſmiſerit. Conſulendum laudi ac honoribus. Vt gloriæ ſeruire & honoribus, ac de exiſtimatione laborare honeſtum & inprimis pulchrum eſt: ſic negligere, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omninò diſſoluti. Illud in omni vita laudabile, primariorum virorum ſibi gratiam offi-

ciorum ſtudijq́; commendatione conciliare, & nominis famam facere illuſtriorem. Dignitatem quærere, colligere, conciliare. Ex agreſti inciuiliq́; vitæ conſuetudine ad humanitatem ſe effingere, atq; informare. Ad modeſtiã animiq́; magnitudinem erudiri. Incũbere in omnẽ laudis ac gloriç pulchritudinẽ. Eluere infamiæ maculam. Effugere criminis illiberalitatem. Delere maculam ac turpitudinẽ. Vitæ errorem ac turpitudinẽ in morum vitçq́; innocentiam ac laudem conuertere. Ad frugẽ ſe cõuertere, voluptates domitas habere: à quibus ſanè iuuentutẽ maximè arcendã eſſe in libris Officiorũ præcipit Cicero, exercendamq́; in labore, patientiaq́; & animi & corporis: vt eorum & in bellicis, & in ciuilibus officijs vigeat induſtria. Conſtituere gloriam & honorem. Nihil in vita magnopere expetere, niſi laudem atque honeſtatem: in ea perſequenda omnia mortis pericula parui ducere. Curas, vigilias diligentiã, cogitationesque in laude vndique colligenda ponere. In rebus præclarè agendis ſtudio efferri. Studere literis & literas. In Piſonem: Cùm verò literas ſtudere incipit, & helluo immanis cum Græculis philoſophari, tamẽ eſt Epicureus. Inſeruire optimarum artium ſtudijs. Omnis noſtra actio vacare debet deſidia, temeritate, & negligẽtia: nec verò quicq̃ nobis agendũ, cuius non poſſit cauſa probabilis reddi. Nõ enim à natura ſum⁹ generati, vt ad voluptates, ad ludũ, ad iocũ facti videamur, ſed ad quædã ſtudia grauiora atq; maiora. In

ſtudijs humanioribus operæ plurimum dili gentiæq; conſumere. Ex honoribus familiæ aſcẽdere gradũ dignitatis. Cupidè ad laudẽ rerumque optimarum ſtudia recurrere. Omni ad id ſtudio incumbere, in quo nominis gloria augetur. Inflammato ſtudio ad diſcendas literas rapi. Magnum ſtudium multamque operam in rerum cognitione adſequenda conferre. Laus, inquit Cicero, omnis in actione cõſiſtit, à qua tamẽ ſæpè fit intermiſſio, multique dantur ad ſtudia reditus: tamen agitatio mentis, quæ nunquã quieſcit, poteſt nos in ſtudijs cognitionis etiam ſine opera noſtra continere. Eiuſdẽ eſt illa inſignis ſententia: Si omnes deos, hominesq; celare poſſimus, nihil faciendum erit nobis turpe. Nihil hic iuuenis ornatiſſimus in hoc exiguo vitæ curriculo tot curis & vigilijs, præter eruditionis famã, expetendũ putat. A ſtudio honeſti nulla cũ voluptas auocat, aut retardat ſomnus: nec feſti dies, nec otij cupiditas, nec laboris deniq; magnitudo permouere illum ac flectere poſſunt. Rerum difficultatem admirabili ſtudij vehementia, laboris patientia, iudicij magnitudine frangit atq; conuincit. Magnis ſe laboribus in perdiſcendis literis frangit, magnis curis vigilijsque angitur. Omnia ſua ſtudia ad percipiendam colendamq; virtutẽ confert. Non ſolùm ſuę ſapientię magnitudinisq; animi eſſe putat, omnem amplitudinẽ atque dignitatem ſuam in virtute atque reb⁹ geſtis poſitam eſſe exiſtimare, niſi etiam ſummam gloriæ amplitudinẽ, animi virtute cõ-

 plecta-

plectatur. Vniuerſum vitæ flexum atque decurſum eò conuertit, vt naſcentis eruditionis laudem ſolita gloria confirmet. Nihil ex hoc immenſo rerum ambitu expetit, quod non ſit cum laude atque honeſtate coniunctum. In omnem eruditionis laudem, ingenijque gloriam rectis ſtudijs incumbit. Omni mente in ea cogitatione curaque verſatur, ab omni alia cogitatione auerſus, vt ad eos ingenij fructus, quos indoles ſpopondit, aliquando perueniat. Nullum in rebus agendis dimittit tempus incredibili laudis honeſtæ ſtudio flagrans, totusque ex magnis & honeſtis ſtudijs propendens. In literis perdiſcendis, quarum gloria ducitur, otioſam quandam ac liberam ab omni aliarum rerum cura ceſſationem amplectitur. Omnes ingenij neruos, induſtriam, animiq; commentationem ad laudis pulchritudinem & honoris ſplendorem refert. Laudis illum atque gloriæ ambitus ad præclara optimarum rerum ſtudia, ad labores, ad vigilias quibuſdam quaſi ſtimulis excitat atque impellit. Non illum domeſtica egeſtas ab amicorum officijs retardat, non corporis imbecillitas à laborum deterret patientia, non inimicorum inuidia animi illius conſtantiam frangit: ſed, tanquã ſcopulus vndarum fluctibus non cõuellitur, ita excelſa & alta animi illius ingenijq; vis nullis incommodis, nullis vitæ periculis debilitari, in otium ac deſperationem laudis traduci poteſt. Fuit hoc olim Romanum, pro Reipub. ſalute pro ciuium fortunis propug-

pugnãdis,fortia facere & pati. Ageſilaus rex profugato in Lydia Tiſſapherne,nulla pecuniæ vi,nullis profligati regis largitionibus à curſu gloriæ abduci poterat:ratus nihil excellentius eſſe rerum geſtarum gloria, neq; amplius virtutis præmium ipſa gloria eſſe: cuius exemplo excitata iuuentus omnes corporis cruciatus,omnes ſæuientis fortunæ inſidias,in parãda gloriæ æternitate contẽpſit. Intelligebat enim nihil magis noſtrum eſſe, quã q noſtra pararetur induſtria ac laude.

IMMORTALITATEM NOMINIS ADIPISCI.

Omnia ad laudem referre.

VIrtutis curſum ad nominis gloriã ſempiternam ex rebus præclarè geſtis parare Quæ virtutis ſtudia in Remp.collata ſunt,ea immortalia ſunt:ea diuina:ea fama celebrantur : monimentis annalium mandantur,poſteritati propagantur.Ea præcipua ad immortalitatem gloriæ, ad nominis noſtri memoriam ſempiternam eſt via,amari & ab iis obſeruari, qui ad omnem excellentium virtutum admirationem ſunt facti. Is demum inſigni animi robore,præclara virtutis indole ac continentia confirmatus videtur, qui magnarum rerum ſtudio omnes voluptates reſpuit,omnemq́ue vitæ ſuæ curſum in labore corporis,atq; animi cõtentione conficit: quem non quies, non remiſſio à laudis ambitu auocat,qui nihil in vita, præter ſolidæ laudis ac gloriæ æternitatem,expetendũ putat.At noſtra hodie iuuentus languet voluptatum delitijs fracta,neque maio-

rum exemplo,qui in vera virtutis laude ſummam felicitatem conſtituebant, in gloriæ cupiditate verſatur. Sola enim eſt gloria quæ magnis nos præmijs ad memoriã noſtri ſempiternam excitat. Tua dignitas, C. Cęſar, vigebit memoria ſeculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur: huic tu inſeruias, huic te oſtentes oportet. Vagabitur nomen tuum longè ac latè; ſedem quidem ſtabilem & domicilium certum nõ habebit. Nulla tuas laudes obſcuratura eſt obliuio. Nulla tuas laudes vetuſtas obruet, nulla delebit obliuio. Ignorant verum & immortale iter gloriæ, qui metui à ciuibus, quàm diligi malunt. Nulla tam immemor poſteritas, tam ingratæ literæ reperientur, quæ Eraſmi Rote. gloriam non celebrent. Socrates breui detrimento vltimæ ſenectutis, æuum ſeculorum omnium eſt cõſecutus. Africanus, P. Rutilius perpetua ſeculorum omnium admiratione celebrãtur. M. T. functus honore & gloria omni ſeculorum memoria victura. De C. Iulij Cæſaris rerum geſtarum magnitudine nulla ætas cõticeſcet. Ego etiam longius quàm vitæ meæ termini poſtulant, ſpe atque animo de me atque gloria mea cogito. Omnes qui in laude ac virtute verſantur, ſpe poſteritatis ducuntur. Cùm multis, ait Cicero, de cauſis bonorum virorum mentes diuinæ mihi atq; æternæ videntur eſſe, tum maximè, quod optimi & ſapientiſſimi cuiuſq; animus ita præſentit in poſterũ, vt nihil niſi ſempiternũ ſpectare videatur

Ete-

Etenim exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum verò gloriæ. Eſt autem honeſtæ dignitatis pleniſſimam laudis prædicationem atque nobilitatem affectare. Nomen ſuum immortalitati commendare. Verſari in periculis cum laude ac virtute, poſteritatiſque fructu duci. Nominis æternitatem animi gloria, & rebus præclarè geſtis adipiſci. Memoriam ſui cum omni poſteritate adæquare. Gloriam rerum geſtarum literarum monimentis conteſtatam relinquere. Nō vitam cum corpore dimittere, ſed nomen ſuum ab obliuionis injuria vindicare. Nihil efficacius ad res præclarè agendas eſſe poteſt, quàm in omni vita cogitare, non ad otium & corporis voluptates, ſed ad laudem, gloriam, atque dignitatem natos nos eſſe, in eaque amplectenda omnes corporis cruciatus parui eſſe ducendos. Qui vitæ dignitatem, populique vniuerſi admirationem affectat, eum nouo virtutis genere in ſummam gloriam venire oportèt. Magna eorum laudabilis & ſempiterna eſt commendatio, qui in optima Repub. honoribus & rerum geſtarum gloria floruerunt.

LABORIS MOLESTIAM CONCOQVERE. *Laborem perferre.*

Conuertere ſe ad rerum omnium moderationem atq; patientiam. Paupertatis mala, laboris odiū abſorbere atq; cōcoquere. Moleſtiā omnē tranquillo animo pferre, id eſt, pati. Cōtraſtudia naturę, atq; impedimēta obdurare. Obdureſcere ad vulgi conuitia. Patientia niti. Ad omnem patientiam

erudiri, quæ malorum victrix ferè eſſe ſolet. Fit enim, vt ait ille, furor læſa ſæpiùs patientia. Ego ad omnes falſas vulgi criminationes occallui. Ex maximis officijs cùm meas ærumnas; tùm filiorum ſolitudinem ſuſtentaui. Ego qui natura mitiſſimus ſum aſſiduitate moleſtiarum omnem penè ſenſum patientiæ ex animo amiſi. Sic animum meum ad omnes miſerias non ſolùm perferendas, ſed etiam contemnendas confirmaui, vt nulla fortunæ inuidia, nullo hominum odio, nullis communium temporum periculis frangi aut debilitari queam. Non reticere ſolùm homines parentum iniurijs, ſed etiam animo æquo ferre oportet eum, qui magnarum rerum laudem atque dignitatem ambit, vel miſeria vlla debilitari, vel incommoditatibus frangi, vel in conſilium cogitationum ſuarum deſperationem adhibere. In omnibus rebus agendis adhibenda eſt moderatio, ſingulariſque laboris patientia. In paranda rerum geſtarum gloria, virtute nos ac patientia niti oportet, neque vlla calamitate à curſu inflecti aut retardari.

REBVS SVIS PROSPICERE.

Rebus ſuis conſulere.

CIrcunſpecta vitæ ratione ad omnia fortunæ momenta incumbere. Omnem fauentis fortunæ occaſionem accipere. Nullum amplectendæ fortunę tempus dimittere. Amplificare opibus rē domeſticā. Labētem rem familiarē excitare atq; augere. Ad eruditionis laudē fortunę amplitudinē adiungere.

gere.Senectutẽ à pauperie & ſolitudine vindicare. Quęrere viaticũ obrepẽti ſenectuti. Induſtriũ ac diligentẽ in paranda re domeſtica eſſe. Stabilire atq; augere rem familiarem. Quærere diuitias ad vlciſcendam inimicorum inuidiam. Expeti autem diuitias Cicero lib. Officiorum primo exiſtimat, tum ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruẽdas voluptates. Delectant enim magnifici apparatus vitæque cultus cum elegantia & copia. Quibus rebus effectum eſt, vt infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec verò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperãda eſt, ſed fugienda ſemper iniuria eſt. Incumbere in eam cogitationem, vt dignitati par gloria, gloriæ par fortuna parta videatur. Illuſtrare iacentis familiæ ignobilitatem opum affluentia. Spem omnem in fortunæ opibus ponere. Effingere ſe ad formicarum induſtriam, quæ æſtate alimentum, quo hyeme aquilone ſæuiente ſint vſuræ, magno ſibi labore proſpiciunt. Laborioſis exercitationibus victum quæritare.

GRATVLANDI.

QVorum laudi aut dignitati naſcenti ſeruire cupimus, ijs cùm eam, quam magna animi vi atque contentione expetiuerũt, ſunt aſſecuti, ſignificatione amicæ voluntatis ſolemus gratulari: ſuntque huius argumenti loci frequentes. Sera, inquit Cicero, libro epiſt. familiarium ſecundo, gratulatio repræhendi non ſolet, præſertim ſi nul-

la negligentia prætermiſſa eſt. Longè enim abſum:audio ſerò. Sed tibi & gratulor, & vt ſempiternæ laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto: teque hortor, vt omnia gubernes,& moderere tua prudentia:ne te auferant aliorum conſilia. Nemo eſt, qui ſapientius ſuadere tibi poſſit teipſo:nunquam labere, ſi te audies. Nō vereor ne quid timidè, ne quid ſtultè facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties. Quòd filium habeas optimis ſtudijs deditum, ad omnem honeſtatis laudem atq; gloriam contendentem ſumma induſtria, & magna modeſtiæ fama, hanc ſibi felicitatem inprimis, pro veterrimo veriſſimoque amore noſtro, ita vt par eſt,& me decet, gratulor: non vt, quorundam hominum more, qui mihi ſemper fuit improbatus, hanc laudem, meámque prædicationem auribus tuis dem, ſed meam potiùs conteſtatam relinquā in te & filium tuum amicam,& vtriuſque veſtrûm ſtudioſam voluntatem. Gratulor tibi, quòd in optima & florentiſſima Republica factus ſis conſul, nec minus tibi gratulor quā nobis gaudeo, te eū & propè ſolum eſſe, qui omnia, quæ collapſa videntur, vel iniquiſſima ſeruitute oppreſſa, ad priſtinum decus atque dignitatem reuocare poteris:quod vt facere velis, etiam atque etiam rogo, & abs te pro noſtra amicitia contendo. Gratos tibi optatosq; eſſe, qui de me rumores afferuntur, nō dubito: præſtaboq; & enitar vt indies magis magiſque hæc naſcens de me duplicetur opinio. Sed quod ad mutuum noſtrum amorem,

noſtram

noſtram beneuolentiam,noſtram animorum coniunctionem, pertinet, gratulor & rurſus partæ & nuper auctæ tuæ dignitati,qua vt digniſſimus es,ita ei ſeruire in primis cupio. Tibi gratulor mihi gaudeo, te amo, tua tueor,à te amari, quid agas, quidq́ue agatur,certior fieri volo. Primùm tibi vt debeo gratulor,lætorq́ue cùm præſenti,tum etiam ſperata tua dignitate:ſeriùs,non negligentia mea, ſed ignoratione rerum omnium, quæ apud vos, à quibus longiſſimè abſum,hoc tempore agũtur. Gratulatio tua etſi mihi probatiſſima, quòd ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multò iucundius eſt & gratius, quòd in ſumma paucitate amicorum propinquorum,ac neceſſariorum, qui veræ meæ ſaluti fauerent, te cupidiſſimum mei, ſingularemque mihi beneuolentiam præſtitiſſe,cognorim, &c.

REM FAMILIAREM PRODIGERE.

IMpurus helluo rem domeſticam bene conſtitutam perturbat, & agrorum poſſeſſiones à maioribus relictas diſperdit, atque diſſipat:nec minùs in alieno patrimonio eſt nepos,quàm in ſuo.Primam hic ætatulam ad ſcurrarum locupletum libidines detulit, in ſtupris volutatus omne patrimoniũ antelucanis comeſſationib.exhauſit.Inſaturabile abdomen, gurges ac vorago vniuerſũ patrimonium in libidinibus & ſcortis helluatus eſt.

Rem domeſticam decoquere.

eſt. Furioſiſſimus & egentiſſimus ganeo meretricijs luxurioſisque ſumptibus eſt exhauſtus. Impotens ſcortator profuſis ſumptibus magnificum ornat conuiuium: domum pudori & ſanctimoniæ habet clauſam, patẽtem verò, atque adeo expoſitam cupiditati & voluptatibus. Hũc profuſa rerum omnium luxuria, hunc amores, hunc libidines occupatum impeditumq́; tenent. Non enim parſimonia, non continentia, non virtus, non labor, non vlla officij religio à profuſa & omni memoria inaudita luxuria continere hunc potuit: aut ſaltem familiæ ſplendor tueri contra antelucanas lucubrationes, luxumq́ue prodigioſum: adeò enim & natura & ſtudio ad eas ſe libidines exercuit vt bonorum peſtis, patrimonij decoctor, ciuium vexator, virginum corruptor, ciuitatis macula ac ruina eſſet. Gurges & helluo natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ. Effuſiſsimã prædam, quam ex fortunis ſociorum exhauſerat, profundæ eius libidines deuorarunt. Omnium hic fortunis abdominis voluptates antefert. Quod enim adeptus per fraudem nequitiam, ſcelus eſt, id per luxuriam effundit atq; conſumit. Fortunas ſuas atque famam ſcortorum libidini committit Hic libidine, turpibus cupiditatum impenſis atque iacturis lauriſsimum patrimonium conſumpſit. Inſolenter helluo inuaſit in alienas fortunas, in alienas copias ſe ingurgitauit, patrimonium ſuum vniuerſum luxurioſè effudit. Ad nullã hic ſe ſpem cõſtituendæ rei familiaris, quam abſor-

abſorpſit,conferet vnquam, ſed ad præſentem paſtum mendicitatis ſuæ ſe referet. Argentum,veſtem, ſuppellectilem omnem ille helluo diſsipauit.Voluptate ac luxuria dirigere omnia & tueri,& ſimul virtutem colere nemo poteſt.Lautiſsimus ganeo vnguentis oblitus, vino vigilijsque languidus, omnia in ſtupris deperdit,profundit,conſumit. Nihil neque priuati, neque profani, neque ſacri habet,quod non ille per auaritiam,per voluptates perdat atque conſumat. Vniuerſas hic nepos rationes ſuas ad eos voluptatum ac libidinum ſcopulos appellit,in quibus aliorum afflictam nauem fortunarumq; naufragium videt. Omnia induſtriæ ſubſidia,omnia virtutis inſtrumenta in voluptatum illecebris cōſumit.In vino,alea,comeſſationibus, ſcortis, balneis, vnguentis oblitus,ſtupris debilitatus:quæ longus partum labor, longa ſolicitudo dedit,aſsētatoribus, momis,& ſcortis profuſa largitione condonat:non ſolicitus, quàm grauiter à creditoribus prematur,dum verſuram facere liceat: quamuis nunquam in veteri ære alieno vacillans ex magnis & perpetuis miſerijs ſit emerſurus.Cùm diues honeſtè viuere nō poſſit,voluptatum cupiditatibus irretitus, inopia ac egeſtate diſrumpi,atque inter fœdiſſimas naturæ ſordes perire mauult. Patrimonium effundit inconſultè largiendo. Exhaurit enim profuſa rerum largitio benignitatis fontem. Rectè Cicero monet, non ita claudendam eſſe rem familiarem,vt eam be-

dignitas aperire non poſsit:nec ita reſerandam,vt pateat omnibus. Largitio enim fundum non habet.Omnis huius helluonis vitæ induſtria & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur.Decoctis turpiter rebus domeſticis infelix nepos, vadimonijs, iudicijs,bonorum proſcriptionibus defatigatus animo languet. Cauendum, ne vllo loco, aut tempore maior noſtra ſit benignitas, q̃ facultas:tum,vt pro dignitate cuique tribuatur.Homo effuse prodigus epulis & viſcerationibus, gladiatorum muneribus pecunias vniuerſas,& quicquid æris fuit,profudit.Beneficia ſua & fortunæ opes in improbos & ingratos, qui confert, prorſus quod dedit, temere perdit.Prudenter Ennius: Benefacta, inquit, male collocata, malefacta arbitror. Veteres præcipiebant, habendam eſſe rationem rei familiaris,quam quidem delabi ſine reflagitium eſſe iudicabant:ſed ita,vt illiberalitatis auaritiæque abeſſet ſuſpicio. Ijdem eum , qui fœcundum & fertilem agrum non diligenter coleret , mulctandum eſſe putabant:propterea,quod Reipub.interſit, ciuium opes atque fortunas augeri atque conſeruari .

INFAMIAM CONTRAHERE.

Infamiam cõtrahere.

SEmpiternas fœdiſsimæ turpitudinis notas ſubire.Nefarias libidinum contumelias turpitudineſque ſubire. Infligere alicui,vitæ,nominiſque in famiam:vt,quæ pręclara

clara in patriam, in Reipub. libertatem propugnandam ſtudia immortalem Ciceroni gloriam dederunt, ea ſempiternam ſeditioſiſsimis Coſſ. Piſoni & Gabinio turpitudinẽ inflixerunt. Crimen, infamiam, iudiciumque in ſe conflare. Eſſe in obſcœnis. Summam inuidiam ſibi conflare: quod illis accidere ſolet, qui temerario animi impetu, ac quodam obtrectandi ſtudio de aliorum ingenijs iudicium facere audent. Animi vitia conglutinare. Volutari in naturæ ſordibus atq; obſcœnis, omniumque oculos atque animos in ſui contemptionem conuertere. Infamiã ac fraudem concipere. Catilina in Repu. violanda atque euertenda inexpiabiles fraudes concepit. Contrahere culpam, noxam infamiæ, nequitiæ, petulantiæ, libidinis, auaritiæ maculam. Magnam inexplebilis cupiditatis maculam in ſpoliandis Siculis Verres ſibi contraxit, graue infamiæ dedecus in ſe admiſit, perpetuo ſociorum Popul. Roman. odio ſe obſtrictum fecit. Calumnias, conuitia, ſeditionem omnium in ſe concitare. Grauem certorum hominum ſeditionem, odium, inuidiam in ſe M. Tullius nimio patriæ conſeruandæ ſtudio in ſuam perniciem concitauit. Tranquillitatem publicam ſeditione publicaque omnium offenſione perturbare. Vitæ turpitudine ac ſcelere obſtringi. Nemo voluptati illiberali ſtudere poteſt, quin idem magno ſe ſcelere ac nequitia obſtringat ac cõtaminet. Maledicẽdo ſeditioſeq; omnia agẽdo nominis famam ac prædica-

tionem

tionem contaminare. Sic etiam dicimus: Cõtaminat vitæ innocentiam laudemq; probitatis turpiſsimorum hominum conſuetudo. Labefactatur honos eorum cõgreſsionibus, quin non ſolùm à probitate animi, ſed ab omni virtutis opinione ſunt remotiſsimi. Cõuellitur nominis noſtri exiſtimatio, quoties de vitæ noſtræ ſtatu, de ingenij moderatione, de animi magnitudine deiecti, in turpitudinem delabimur. Aegrè ſtudij ſui ac gloriæ curſum ſempiternum conſequũtur, qui præſentes voluptates magnarum artium ſtudijs anteponunt. Non datur ad honoris, fortunæ, gloriæ ei excurſus, qui voluptatum illecebris implicatus ad metas veluti hæret, & cõteſtatam ſtudij magnitudinem relinquit atque abijcit. Concipere infamiam, dedecus, fraudem. Vitæ innocentiam in fraudem malitiamque conuertere. Catilina totum ſe à publicis honoribus, à cõſulatus petitione in patriæ ac ciuium perniciem magnis conatibus conuertit. Commodus Imperator à præclaris rerum gerendarum ſtudijs in vitæ turpitudinem, voluptates, infamiam, patritiorum hominum cædem ac calamitatẽ ſe conuertit. De honoribus deijci. Nihil tam vehemens ad animi dolorem, nihil tam diuturnũ ad ignominiæ labem, nihil tam abiectum ac fœdum ad contemptionem, quàm de honoribus per ſcelus & culpæ conſcientiam deijci. Nemo, inquit Cicero, tam eſt agreſtis, quem ſi non ipſa honeſtas, cõtumelia tamen, & dedec9, magnopere moueat. Quis hono-

rem,

quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetit: quàm vt ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? De officio ac dignitate diſcedere. Non ſunt ferendi, qui cùm aliorum mores ſibi corrigendos aſſumunt, ipſi ab officij religione; vitæque dignitate diſcedunt. Ab officijs & honoribus declinare. Vt periculoſum eſt, quem ſemel vitæ curſum non omninò infeliciter conſtitueris, in cuius perpetuitate tibi conſtares, ab eo in turpem aliquam conſuetudinem declinare. Ab ſumma integritate continentiaque in nequitiam adduci. Libidinibus ſeſe, ſpreta virtute, dedere. Nefarijs ſceleribus criminumq; infamia ſe cooperire. Largitionibus de fide, de probitate, de vitæ innocentia abduci. Expugnare pudicitiam, abijcere dignitatem explendæ libidinis cauſa. Deformare in rebus priuatis moderationem, dignitatem, liberalitatem: in publicis ſplendorem. Vitæ ſplendorem ſcelerũ turpitudine delere. Luxuria & laſciuia ad perniciem erumpere. Graui & diuturna flagrare infamia. Eijcere ruborem animiq; verecundiã. Conſcientiæ labes in animo habere.

FALSAM LAVDEM QVAERERE.

ASſentatiuncula aucupari gratiam. Laudem popularem honoriſque lucem appetere. Omnia ad ſuperbam, friuolam, inuerecundam ingenij oſtentationem facere. Inanem & falſam gloriã, quæ iuſtæ laudis gratiam corrumpit, ſpirare. Inſolenti prædicatione ingenium iactare. Hominum ru- *Falſam laudẽ quærere.*

muſculos aucupari. Ventum popularem quærer›. Omnes rumorum ventos colligere. Conferre ſtudia omnia ad petendos honores, ad excitandam admirationem, ad captandam ingenij laudem. Exiſtimationi ſuæ ac gloriæ, falſa laudis commendatione ſeruire. Inſolentiùs & cum aliorum faſtidio ſe, ac ſua omnia efferre. Cupidè affectibus ſuis blandire. Omnia naturæ ingenijque inſtrumenta ad laudis iactationem cõuertere. Præ ſe omnes arroganter deſpicere. Nullum ſui oſtentandi finem ac modum facere. Falſæ laudis prædicatione omnium ora atque aures implere. Vulgi admirationem, indoctæque plebis plauſum atque acclamationem affectare. Flagrare cæco ſui amore.

CONCILIANDI, ET STVDII DEFERENDI.

NIhil tam populare, quàm excellentium hominum gratiam, vel beneficio retinere, vel officiorum commendatione acquirere Proprium enim virtutis eſt, conciliare ſibi hominum animos atque voluntates: nec aliunde maior, vel illuſtrior vitæ dignitatiſque conciliatio petitur, quàm cùm à pietate & veneratione in parentes ac magiſtratus, tum verò beneuolentia in ciues: nec aliud frequentiùs in cõſultationibus, in hominum congreſſionibus, in epiſtolis ſuademus, quàm vt eorum nobis gratiam concilie mus, quorum auctoritate dignitas & fortunæ noſtræ nituntur. Qua in re multò antè ſtatuendum, quibuſcum conciliationem amicitiæ velimus, ne ſi iudicio vſi non fuerimus,

rimus, temerè ab amico diffluere cogamur. Eſt enim perquam difficile, & nihil magis arduum, quàm amicitiam vſque ad extremum vitę diem, vti Cicero putat, ſeruare: propterea, quòd mores, hominumq́ue ingenia & naturæ inductiones ſæpè mutentur cum ipſa illa varietate rerum ac temporum, tum etiam ætate, vel honoris amplitudine, vel dirimantur contentione, fortunæq́ue ac commodi priuati nimia ambitione: vel etiam inuidia quadam, quæ magnis viris & rerum ſucceſſibus inſidere ſolet: adeò vt nonnunquam præſtet amicitias temerè non ſuſcipere, aut initas & contractas moderatè diſſuere: etiamſi nulla vita iucunda eſſe poteſt, quæ amicitia deſtituitur, propterea quòd ea ſit vitæ noſtræ ſine metu degendæ firmiſſimum præſidium. Sed conciliandi elocutiones hæ ferè ſunt ſelectiores.

Allicere ſenſum beneuolentiæ & humanitatis. Conciliare gratiam. Beneuolentiã gratioſi hominis ſummo ſtudio atque veneratione colligere. Neceſſitudinem vitæ atque amicitiæ cum aliquo conſtituere. In alterius ſe fidem & clientelã conferre. Beneficijs homines obſtringere. Ad beneuolentiã ſe cõferre. Conglutinare amicitias. Nã ſi vtilitas, inquit in officijs Cicero, amicitias conglutinaret, eadem cõmutata diſſolueret. Corroborare amicitiam. Tueri conglutinatam concordiam. Magnas vtilitates adipiſci hominum conſpiratione ac conſenſu. Neceſſitudinem cum aliquo coniũgere. Gratiam principum virorũ conſequi. Patroni fidem atq; auctori-

tatem conſeruare. Amicitiam inſtituere. Amicitiæ humanitatiq́ue ſuæ conſtare. Amicitiam illuſtrare, ac gratia augere. Contrahere amicitiam atque beneuolentiam. Virtus, ait Cicero, ſtabiles firmiſſimasq́ue contrahit amicitias. Societatem facere. Studium, officium, operam, facultatesq́ue ſuas exigendæ amicitiæ ſtudio largè alicui polliceri, atque benignè deferre. Magno ſtudio ac veneratione ad voluptatem conciliandam incumbere. Inire gratiam: & inire ab aliquo gratiam. Appetere amicum: Conciliare plebis voluntatem. In amicitiam ſe conuertere. Beneuolentiam officijs allicere. In fidem alterius & amicitiam confugere. Vitæ atque amicitiæ ſocietatem conflare. In optimorum ciuium gratiam ſe conferre. Studia ſua & rerum omnium communitatem in aliquem conferre. Confirmare amicitiam. In officio atque poteſtate ſenatus eſſe. Nullum officiũ erga te hominis amantiſſimi, diligentiſſimi, fideliſſimi prætermittam. Ego vt debeo, vt me dignitas vtilitasq́ue cogit, ad tuas me rationes adiungam, ad tuam me voluntatem conformabo. Totum me ad huius optimi viri bene de me meriti voluntatem nutumq́; conuertam. Amplectar adeò libenter tuam familiaritatem. nam ante hunc diem non ſum in tuam me conſuetudinem, quam meus mihi pudor clauſit, auſus inſinuare. Omnem tibi meam gratiam atque induſtriam ad amplitudinem tuam illuſtrandam conuertam. Ego me ad omne mandatum tuum auctorita-

rita-

ritatemque conformabo. Omnes beneuolentię comparandæ cauſa benefici eſſe debemus. Tandem hoſtilis inimicus inuidia diſruptus, fractusque vindictæ impotentia ad amicitiā ſe contulit meam. Vitæ ſtudijque diſſimilitudo non patitur hominum voluntates conglutinari, id eſt, amicitiæ conſuetudine deuinci. Non modò non exulcerare inconſtantis amici gratiam, ſed eam labentem officiorum commoditate conciliare moderati eſt viri. In amicitia colenda eam nos habere rationem oportet, vt vtilitatem potiùs quàm officium ſpectare videamur. Plerique enim emolumentis amicitias conciliant. Enitendum dignitatis ſtudioſo viro, vt in optimatum ac principum virorum familiaritatem ſe dedat. Tecum me perpetua ſocietas amicitiaque coniunxit. Liberalis eſt hominis ad populi, ad ciuium, ad ſenatus partes ſe dedere. Vnuſquiſque ſtudio ſibi & ſuffragio viam ad beneficium impetrandum munire debet.

DEFERENDI STVDII CLAVSVLAE. aliquot poſt petitionem.

QVa in re ſi tuam mihi declares beneuolentiam, incredibilem tibi amorem, omniaque ſumma & ſingularia ſtudia libenter debebo & præſtabo. Et, quoniam fortem nominis propugnationem ſuſcepiſti, libenter gratiam meam omnem atque induſtriam viciſſim ad amplitudinem tuam illuſtrandam conferam, daboque operam, vt *Deferre ſtudium.*

ad mandatum tuum omne,auctoritatemque me videar conformaſſe. Quoniam cauſam meam ſuſcepiſti,velim hoc tibi de me polliceáris,nullum fore laborem,qui in tuis mihi rebus non ſit gratiſſimus futurus. Omnes certè omnium criminationes,pericula,inſidias, damna pro ſalute tua leuia duco.Hoc tibi viciſſim polliceor,ſemperq́;pręſtabo,ſi quid ingenio,labore,diligẽtia poſſum,totũ me illud ad amplitudinem tuam conuerſurum:neq;vllam rem,quæ quidem ad te pertinet, & à me confici poſſit, futuram vnquam, in qua non ego vel vitæ periculo faciã omnia quę te velle arbitrabor.In retinenda amicitia noſtra atque colenda ſic contendam atq; elaborabo, vt omnibus ampliſſimis rebus dignus videaris.Operã tibi meam,inquit Cicero,ſine vlla exceptione aut laboris,aut occupationis, aut temporis polliceor : gratiam autem atq; auctoritatem cum hac exceptione, quantum valeam, quantumq́; poſſim.Ego quid poſſim neſcio,illud tamen tibi polliceor,me quæcũque ſaluti dignitatiq; tuę cõducere arbitror, tanto ſtudio eſſe facturum,quanto ſemper tu & ſtudio & officio in meis reb.fuiſti.Velim tibi perſuadeas, me tũ Reip.cauſa,quę omnib. nobis eſſe debet chariſſima, tum quòd tuam dignitatem amplificari velim,nullo loco, tẽpore,aut caſu tuæ gloriæ defuturum. Quod meum eſt,illud libenter & ſtudioſè faciam: ac tibi tuiſque omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes polliceor, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. Officium meum

meum erga te cæteraque mea ſtudia,quæ tibi ac tuis præſtiti,tibi homini gratiſſimo grata eſſe, vehementer gaudeo. Mihiq́ue ſcito in dies maiori curæ eſſe dignitatem tuam, quæ quidem à teipſo integritate & clementia tua ſic amplificata eſt, vt nihil addi poſſe videatur.Summa noſtra beneuolentia,pietas ſingularis, & amor mutuus nullum me patitur officij erga te, ſtudijq́ue munus aut tempus prætermittere: velimq; tibi perſuaſum eſſe, te mihi chariſſimum fore, in cuius ſalute non detrecto omnem meum laborem, omnem operam, curam & ſtudium conſumere. A me ſumma in te ſtudia,officiaq́ue expecta: non fallam opinionem tuam: hoc enim vetus amicitia noſtra multis beneficijs confirmata poſtulat. Mihi tu, tui,tua omnia maximæ curæ ſunt:& dum viuam, erunt: eoq́ue rogo, vt omnibus de rebus me facias certiorem, aut enim conſolando,aut conſilio, aut re iuuero. Ego, quæ ad te pertinere intellexero,ſtudioſiſſimè omnia, diligentiſſimeq́ue curabo:tuorumq́ue triſtiſſimo meo tempore meritorum erga te memoriam conſeruabo. Tu verò,vt intelligas, homini amiciſſimo te tribuiſſe officium, re tibi præſtabo. Faciam illud, quod à me petijſti, vt, quæ ad dignitatem tuam amplificandam pertinebunt, eorum omnium nihil à me prætermittatur: ſemperq́ue tua beneuolentia fidesq́ue præſtabitur.

ABALIENANDI.

Abalienare. DIſtrahere aliquem ab amici coniunctio ne atque gratia. Dirimere ſocietatem. Violare amicitiam atque dignitatem. Coniunctiſſimos ſtudij vitæq́ue ſocios abalienare. Abijcere amiciſſimi hominis conſuetudinem, venerationem, atq; auctoritatem. Adducere aliquem in odium & inuidiam. Benignum amici ſtudium in contemptionem adducere. Ardere veteris amici indigniſſimè abiecti odio atque inuidia. Cupidè inimicitias appetere. Claudere conſuetudinem, benignitatem, gratiam. Suſpicionibus & maledictis amici voluntatem à ſe auertere. Inuidia apud amicum veterem conflagrare. Collectam gratiam hominis florentiſſimi temerè effundere, atque ab amoris conſtantia deficere. Diffluere ab amicitia. Amicitias deponere. Omnium inimicitias ſuſcipere. Laudis, dignitatisq́ue alienæ, atque fortunæ inuidia, odium in omnes concipere. Ex honoris ambitione inimicitias concipere. Alere controuerſiam. Audaci temeritate diſſenſionem, ſeditionem, inuidiam commouere. Furorem, rixam cum amico committere. Affligere amicitiam. Adferre aliquem in odiũ. Animorum contentionem, non opinionum diſſenſione ab amico temere diſcrepare. Diſſociare animos & amicitiam. Diſſoluere animos, ſocietatem, amicitiam. Inimicitias exercere. Simultates ſuſcipere. Stomachari omnia. Sumere offenſionem vt amico indigneris.

peris.In odium vocare. Amicitiam inuertere,frangere,extinguere.Contentionem adhibere, iacere,vocare. Infeſtum calamitoſiſſimi amici caſum contemptione afficere. Qui me fauendo atque bene prædicando in communi cauſa retinere debebat, contumelioſè abalienauit.

Sunt autem inſigniores huius generis eiuſmodi quædam ſententiæ: Priuatæ vtilitatis ſtudium amicitiam funditùs euertit. Amicitia extincta potiùs,quàm oppreſſa videri debet.Amicitiæ ſunt remiſſione vſus leuandæ, &,vt Cato dicere ſolebat,leuiter diſſuendæ. Multi falſæ laudis cupidi officioſã amicitiã nomine inquinant criminoſo. Quoniam is amicorum eſt vſus, vt commune commodũ mutuis gubernetur officijs,cauendum, ne amicitiæ religionem venerationemque indignè abijciamus. Quando remuneratione amicitiæ nihil eſt honeſtius,nihil ſtudiorum viciſſitudine iucundius, nihil officiorum ſocietate vtilius,cõmittendum nõ eſt,vt eam animi vitijs inquinemus. Luce ac vita ſunt indigni,qui fidem & amicitiam,duas res ſanctiſsimas,violant. Amicitijs humana vita ac concordia conſtat:eas qui extinguit,humanitatem odiſſe videtur.Hoſtis eſt humanæ ſocietatis,amicitiam qui iniurijs affligit propter ea, quòd nihil eſt tam conueniens ad res ſecundas vel aduerſas,quàm amicitia.

PETENDI ET ROGANDI.

Petitio qualis eſſe debeat.

PEtitio in omne cauſæ genus incidit, frequentius tamen in epiſtolas. Cogimur enim in deliberationibus ſæpè rogare conſultantes, vt rem, quæ proponitur, intueri velint: quemadmodum in iudicijs omni gratia contendimus, vt iudicaturi cauſæ æquitati fauere velint. In congreſſionibus & omni ciuili vita, quæ officiorum communitate conſtat, creberrimus petitionis eſt vſus. Huius legem Cicero in Dialogo de amicitia facit, vt honeſta ab amicis petamus, amicorumque cauſa honeſta ipſi faciamus, iuxta prouerbium: Obſequendum amicis, ſed vſque ad aras. Indicabat hoc

Ageſilaus.

Ageſilaus, prudentiſſimus Lacedæmoniorum rex: quem cùm quidam importunè promiſſi moneret: Si honeſtum eſt, inquit, & cum vtriuſque dignitate coniunctum, quod efflagitas, promiſi: ſin minùs, reſpondi tibi, non promiſi. Ille verò improbus efflagitator ægrè ferens ſic ſpem ſuam deluſam eſſe: Atqui decet, inquit, regem quæ vel capite annuerit, præſtare cuius orationis indignitatem retor-

Quæ in petitione obſeruanda.

quens rex: At viciſſim, inquit, A regibus honeſta ſunt petenda, ne maioribus illi reb. occupati imprudenter concedant, quod honeſtè impetrari nequeat. Videas.n. hodie pleroſq; cæca cupiditate ac intolerabili ambitione inflammatos, in eam impudentiam dilabi, vt præ nimio eius, quod petunt, cõſequẽdi ſtudio, nullam vel officij, vel honeſtatis habeant rationem. Cuius quoniam præclarũ

in Agi-

in Agide rege, extat exemplum, referetur *Agis.*
paucis admodum à nobis. Is enim, rogantib. parentibus vt cauſæ iniuſtæ propugnationẽ ſuſciperet, anteferretq; laborãtis amici commoditatẽ honeſto publico: Vos me, reſpõdit, docuiſtis rebus omnib. iuſtitiam atq; honeſtatẽ anteponere, nec vlla ab ijs virtutibus, vel corporis calamitate abduci oportere: & proinde quę docuiſtis faciam, quæ nũc ſuadetis, non ſequar. Maluit nimirum vir ille diuina mente præditus parẽtes, quàm deos offendere. Non igitur ab amicis petamus, quod cũ honeſtate, cum moribus bonis pugnet. Sunt autem eiuſmodi petitionis formæ admodum familiares Ciceroni.

Illud amoris eſt mei, quem iam inde ab ineunte ætate ſuſceptum non ſeruaui ſolùm, ſed etiam auxi, admonere ſcilicet te, aut potiùs rogare, vt omni cogitatione atque cura in Rempublicam incumbas. Te rogo, cauſam meam agas, meque tibi in omnes partes defendendũ putes. A te, pro noſtra cõiunctione peto, vt meas iniurias, quas mihi improbiſſimi hominis profuſa nequitia inuſſit, perinde doleas atq; vlciſcaris, vt tuas perſequi ſoles. Oneris tibi imponere nec audeo quicquã, nec debeo: hoc tamen à te, ſi pateris, gratia contendo, vt quicquid ſtudio, beneuolentia, auctoritate efficere poteris, totum id ad rationes meas tuendas conferas. Similis & in primis venuſta eſt illa prolepſis, plena verecundiæ, & ampliſſimæ dignitatis,
qua

qua Cicero in epiſtolis vſus: Graue eſt enim, inquit, homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet: ne id, quod petit, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potius, quàm beneficij loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipſa nouitate meorum temporũ clariſſima & maxima beneficia extiterunt, eſtq́ue animi ingenui, cui multum debes, eidem plurimum velle debere: non dubitaui id à te per literas petere, quod mihi omnium eſſe maximum, maximeq́ue neceſſarium. Neque enim ſum veritus, ne ſuſtinere tua in me, vel innumerabilia beneficia non poſsẽ: cùm præſertim conſiderem, nullam eſſe gratiam, quam vel non capere anim' meus accipiendo, vel remunerando cumulandoq; illuſtrare poſſit. Eiuſmodi eſt. Non audeo vehementer à te contẽdere, ne aut ipſe tuæ perpetuæ conſuetudinis erga me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putẽ. Quare vt te velle arbitror, ita faciam, atque ab eo, quem omnes ſciunt optimè de me meritum, breuiter petam. Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. Neque tamen dubito, quin, ſi tua nihil, aut non multum interſit, eo ſis animo, quo ego eſſem, ſi quid tu me rogares. Mihi certè, ſi, quod peto, adſequi poſſim gratiſſimum feceris. Hæc à te peto non ſolùm Reipub, quæ tibi ſemper fuit chariſſima, ſed etiam amicitiæ noſtræ nomine, quã confido apud te plurimum poſſe. Abs te magnoperè peto, ſi meam vitam & ſtudi-

ſtudium diligentiſſimè ſuperioribus in Republ. adminiſtranda annis perſpecta habes, vt dignitati meæ ſeruire velis. A te magnoperè,pro noſtra ſumma coniunctione, tuaq; ſingulari humanitate, etiam atque etiam peto,& quæſo,vt quibuſcunque rebus poteris, proſpicias ac conſulas rationibus meis:hoc enim velim tibi perſuadeas,ſi rationibus me is à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo,& perpetuam voluptatem eſſe capturum. Nullam mihi maiorem voluptatem adferre,aut pleniore gratia tibi me obligare poteris,quàm vt meis à te rationibus proſpectum eſſe cognoſcam, quod vt facias à te maximòpere peto.Te oro, vt ſicut amicitia noſtra & fides tua poſtulat,omnibus me modis ornes. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.Peto à te,vt rationem habere velis & ſalutis & dignitatis meæ. A te peto, vt dignitati meæ ſuffrageris: & quātum me rerum ſpe ad labores, ad ſtudia, ad laudem vocaſti,earum quoque fructu iucundiſſimo facias alacriorē. Quæſo à te obteſtorq; ne tam imbecillo ſis animo,vt meis te vel officijs, vel amore vinci patiaris.Per noſtrā te amicitiam oro,ne propter falſas aliorum calumnias tui erga me amoris voluntatiſque propenſionem abijcias.A te etiam atq; etiam pro noſtra ſumma neceſſitudine,proq; tua in me humanitate,meaq; in te sūma & perpetua beneuolentia, maiorē in modū peto atq; contendo, vt laudi meæ atque dignitati ſeruias

uias. A te peto, vt meas iniurias perinde doleas, vt me exiſtimas & dolere, & tuas vlciſci ſolere. Maleuolentiæ hominum in me, ſi poteris, occurres: ſi non poteris, hoc te conſolabere, quòd me de ſtatu meo nullis contumelijs deterrere poſsint. Vt mea tibi ſalus curæ ſit, vt omnia, quæ me velle ſcis eſſe ſolent, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Peto à te maiorē in modum, vt omnibus in rebus, quãtum tua dignitas, fideſq; patitur, vtilitatibus meis ſeruias. Illud te, inquit Cicero ad Quinctum fratrem, extremum oro, vt tanquã poëtæ boni & actores induſtrij ſolēt, ſic tu in extrema parte & concluſione muneris & negotij tui diligentiſsimus fuiſſe videaris. Te autem pro mea perpetua in te obſeruantia rogo obteſtorque, vt in hac cauſa maiorem rationem volũtatis meæ habere velis, quàm vel iudicij, vel cõſtãtiæ tuæ. Pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ & augendæ, quæſo obteſtorque vos, ne in dignitate mea propugnanda, plus apud vos valeat odium maleuolorum, quàm ſtudium optimorum hominum. Hanc occaſionem bene de omnibus merendi vobis oblatam tenete, per deos immortales, ſignum date populo, veſtrum conſilium non deeſſe populo.

COMMENDANDI.

Commendatio.

AD genus quoque deliberatiuum pertinet commendandi ratio. Commendamus autem partim res noſtras atq; cauſam,

ſam,partim verò amicorum. Commendatio rei noſtræ eiuſmodi fortaſſe erit. Tibi negotia mea,opes, fortunaſq; omnes cōmēdo: tibi cōmitto exiſtimationem ac ſpem reliquæ vitæ.Ego ius cauſamq; meam in tua fide atq; religione depono. Ego in tua me poteſtate, tutela ac fide pono atque permitto. Omnia mea iura,cōmoda,auxilia,fortunas,famā deniq; in tuo arbitrio,in tua auctoritate,in tua ſententia colloco.Summa à te gratia contendo,vt omnibus in rebus cauſæ meæ defenſionem ſuſcipere velis,&c.A te peto, vt voluntatem tuam ad ſtudia mea prouehenda deferas:&,quæcunque meæ dignitati vtilitatiq; cōducere arbitreris,tanto facias ſtudio,quāto in rebus meis te fuiſſe,& eſſe cognoui:quę ad te pertinebunt, diligenter curabo. Tibi velim perſuadeas, nihil me diligentiore cura,ſtudio maiore,animo cupidiore à te petere,nihil te mihi vel gratius,vel honorificētius facere poſſe,quā ſi opib. tuis atq; ſuffragationibus in cōſulatus petitione me iuueris: quod vt ſtudio tibi eſſe velit, pro mea perpetua in te beneuolentia,rogo.In L.Bibulum, cauſam finium regundorum apud vos habeo grauem, difficilem, controuerſam: hanc ſic tibi commendo, vt maiore ſtudio nequeam. Qui hanc ſuam cauſam ad te defert,magna amicitia mihi eſt coniunctus & valde charus: eum tibi commendo, ſicut tua fides, & meus pudor poſtulat: tantùm vt facilis aditus ad te habeat,quæ poſtulabit æqua, vt iubente te impetret, ſentiatq; meam ſibi

ſibi amicitiam in primis prodeſſe. Communem noſtrum amicum, qui has literas adfert, tibi maiorem in modum commendo: magnoque opere à te peto, cures, vt is intelligat meam commendationem maximo ſibi apud te adiumento & ornamento fuiſſe. Velim, honoris mei cauſa, quibus rebus honeſtè, & pro tua dignitate poteris, quàm honorificentiſſimè, & quàm liberaliſsimè hunc tractes: Id mihi ſic erit gratum, vt gratius nihil eſſe poſſit. Affinem noſtrum ex intimis meis obſeruantiſs. ſtudioſiſſimũq; mei, eruditũ hominẽ & ſumma humanitate, tuaq; amicitia digniſſimum, velim ita tractes, vt me tibi chariſsimum eſſe intelligat: hoc enim mihi tam gratum erit, quàm quod gratiſsimum: & ipſum prætereà ſummo ſtudio, & ſũma obſeruãtia tibi in perpetuum deuinxeris. Lentulum noſtrum, inquit Cicero, eximia ſpe, ſumma virtute adoleſcentẽ, cũ cęteris artibus, quib. ſtuduiſti ſemper ipſe, tum inprimis imitatione tui, fac erudias. Nulla .n. erit hac præſtãtior diſciplina, quẽ nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius. & q̃a nos diligit, ſẽperq; dilexit inprimis amamus, charũq; habemus. Quę in prouincia habeo negotia mea ſummo tibi ſtudio commendo: tibique perſuadeas velim, omne meum perfugium in his afflictæ fortunæ reliquijs, in tuo poſitum eſſe præſidio. Cùm in tua prudentia ac fide maxima Reipub. ſpes ſit, fac, quæſo, vt ad omnia ſũmma contendas, & cùm meam, tum eorũ propugnes fortunam, quibus auctoribus ad hoc
ſum-

ſummum honoris faſtigium fueris euectus. Nō dubito, quin ſine hac admonitione meâ, quæ naturæ eſt facilitas, ſtudioſè omnia ſis facturus: ſi tamen leuis admonitio à me tanquam currenti calcar adhiberi debeat, ſic velim exiſtimes, gratius te mihi facere nō poſſe, quàm vt rationes meas omnes tuearis. Maius mihi dare beneficium nullum potes; quàm vt te gratiſſimum, humaniſſimū, liberaliſſimum in me hoc tempore cognoſcam: quod vt facias, ſic rogo, vt iuſtiore de cauſâ rogare nihil poſſim. Magnopere à te peto, vt ad illā voluntatem, quā in me amicam & beneuolēc onferre cōſueuiſti, quàm maximus nunc in hoc negotio ſuſcipiendo cumulus accedat.

ALTERIVS COMMENDATIO.

PRoprij quidem commendandi ſunt loci ab officio, à cognatiōe, à beneficijs, à perſonarum adiunctis, vt iuſtiùs in rebus alienis amici operam flagitare videamur; vt: Nihil eſt ex rebus omnibus, quod gratius mihi eſſe poſsit, quàm vt huius dignitatem ſic tuearis, vt beneficij memoria ſempiterna tibi ſe obſtrictum eſſe cognoſcat. Eſt enim hic vir cùm in primis inter ſuos nobilis, & honeſtus, tum verò propter ſingularem in omnes beneuolentiam beneficio tuo digniſſimus. Hircius noſter, qui ad te venit, vir eſt ſummo ingenio, prudentia, integritatē, virtute ſingulari: vt eius tibi negotia commendarē, fecit illius in me maxima & opportunā

Commendatio alterius.

tuna beneuolentia. Quare velim quicquid in te eſt ſtudij,laboris,conſilij, ingenij:quicquid auctóritate,fide,conſtantia poteris, id vniuerſum ad illius negotia, quæ iſtic plurima & magnis implicata controuerſijs habet,illi pollicearis & deferas. Magnoperè à te peto, vt hic intelligat meam commendationem maximo ſibi apud te & adiumento & ornamento fuiſſe. Amicitiæ noſtræ fiducia peto à te,vt nullum ſtudij officijque munus in hoc meo liberto augendo prætermittas: quod eò ſtudioſius facies, quò mihi es charior. Vrbanum noſtrum omnibus officij, humanitatisq́; partibus ſtudioſius tibi cõmendarem,niſi certo animi mei de tua fide,de excellẽtibus virtutibus iudicio mihi perſuaderẽ, quantum diligentia, ſuffragatione, auctoritate poſſis,tantũ te ſtudij ad illius dignitatem augendam collaturum. Puerum ad te mitto meũ,cui ſic velim hoſpitij ac fortunæ tuæ cõmunitatem deferas,vt nullum in te,neq; officium,neq; ſtudium deſiderare poſſit. In hoc viro tuendo nolim vllã tibi ſolicitudinẽ reſiduam eſſe. Gratiſſimum mihi feceris, ſi viri hui⁹ dignitati ſuffrageris,atq; omnia, quæ ad illũ nouo honoris ſplendore augendum illuſtrandumq́; pertinebunt ſummò ſtudio ſuſcipias,& defendas. Cum hoc Galba ſumma mihi eſt conſuetudo cùm meis in illum officijs, tum verò ſingulari illius beneficio cõſtituta. Hic cùm intelligeret in aliqua me gratia atq; auctoritate apud te eſſe, voluit meis quoq; literis tibi fieri commendatior. Quare, vt eum

tuis

tuis opibus,ſtudijs atque auctoritate, qua apud omnes plurimùm vales, augeas atq; ornes, maiorem in modum à te peto,atque gratia contendo: hoc tuum officium ita gratum mihi erit,vt maius à te mihi beneficium dari poſſe non ſperem,Letum tibi ſic commendo, vt quicquid in te amoris erga me tui reſidet ac beneuolentiæ,id totum in illũ, cuius gloriæ ac fortunis mirabiliter faueo, conferas: quod te facturum & mea & illius cauſa confido. Officioſiùs communem hunc amicum tibi commendarem,ſi vllius apud te auctoritas maior, quàm illius eſſe, vel propter illi⁹ virtutem, vel propter familiæ dignitatem, vel meam in te beneuolentiam deberet. Furniũ noſtrũm ſingulari ſtudio atq; gratia tibi cõmendo,habes enim à me tibi oblatã cauſã, qua & tuam illi virtutem & meam voluntatem, vtriuſque verò coniunctionem declares: magnopere etiam mea refert, omnibus illum tuis rebus vti,vt meis.Nam ſtudiorum ſocietas ſimilitudoque ab ineunte ætate nos coniunxit:& eius poſtea incredibilem in aſperrimis ſalutis dignitatiſque meę periculis curam perſpexi:quare eum tibi maiore ſtudio commendare non poſſum. Qui literas tibi meas adfert, eum ſic velim omnibus officijs tuis iuues,vt nullum tempus, neque diurnum,neq; nocturnum de eius dignitate cogitãdi faciendiq; quod ãgẽdum ſit,dimittas:idque nõ modò recuſes, ſed appetas etiam atq; depoſcas:desq; omninò operam, vt nemini in illius cauſa ſuſcipienda, & defendenda

ſtudio cupiditateq́ue conceſſiſſe videaris.

Cùm in hoc homine ſumma Reipublicæ ratio, religio priuati officij, ſingulare verò dignitatis tuæ retinendæ ſtudium fuerit, erit humanitatis tuæ, vel potiùs beneuolentiæ erga me tuæ, nulla in re, quam quidem conficere poſſis, illius commoditatibus deeſſe. Hunc vnum cùm propter vitæ dignitatem, & eximium in Rempublicam animum, tum propter ſummam officiorum neceſſitudinẽ ſtudioſè tibi commendo. Si Camillum ſumma humanitate virum, & mea tuaq́ue amicitiá digniſſimum humaniſſimè tractes, id mihi tam gratum erit, quàm quod gratiſſimum. Gratiſſimũ mihi feceris, ſi libertum meũ omnibus rebus integrũ incolumemq́; eſſe volueris: cuius ſtudia, rem domeſticã, fortunas, tuæ fidei, iuſtitiæ, bonitatiq́ue commendo. A te maiorem in modum peto atque contendo, vt quantum te facere poſſe, & mea cauſa libenter facturum arbitror, tantum ſtudij, diligentię, præſidij, conferas ad Lelium ornandũ, vt ex mea commendatione, quàm maximas mihi gratias agere poſſit: hoc cùm mihi gratiſſimũ feceris, tum verò honeſtiſſimũ virum & tua neceſſitudine digniſſimum ſummo beneficio in perpetuũ tibi tuiſq́ue deuinxeris. Lipſium tibi commendo, maioremq́; in modum à te peto, vt rem vtilitatemq́; eius per te quàm maximè defenſam & auctam eſſe velis: vt quantum ipſe ſperauit vtilitatis, tantũ illi hæc mea cõmendatio attuliſſe videatur. Omnes tibi bonos viros adiunxeris, mihiq́; rem

gra-

gratiſſimam feceris,ſi quæ ad te pertinebunt officia,omnia in Lipſium noſtrum contuliſſe videaris.Vehemẽter mihi gratum feceris, ſi Lipſium amicitia,beneuolentia,humanitate tua,quæ ſingularis eſt, comprehenderis: atque ad id,quod tua te cauſa libenter facturum exiſtimo,addas cumulum cõmendationis meæ:quicquid ei commodaueris,erit mihi maiorem in modum gratum. Tu velim commendationi huic meæ, quàm plurimum tribuas:& hunc Lipſium quibuſcunque reb⁹ honeſtè ac pro dignitate poteris,iuues atque ornes.Hoc enim tibi ex gratiſſimis & humaniſſimis illius moribus confirmo,quem ſoles fructum ex optimorum hominum ſtudijs metere, eum te ex huius gratia capturum: hominemq́ue cogniturum cùm ſumma probitate,humanitate,obſeruantia, tum verò gratia fideliſſima.Peto à te tanto ſtudio quanto intelligis me petere debere, pro homine neceſſario,vt huius negotia explices cùm iure, tum etiam auctoritate & cõſilio tuo:id mihi iucundiſſimũ eius cauſa, quẽ tibi ego ſumma neceſſitudine & cõiunctione adductus commẽdo,& noſtro amore digniſſimũ putabo.Elegans in primis eſt cõmendatio, quæ prolepſim habet. *Prolepſis.* Quanquam non libenter incredibili tua humanitate ad amicorum fortunas augendas abutor, hunc tamen iuſtiſſimis de cauſis,vel dignitatis,quam ampliſſimam conſecutus eſt, vel humanitatis,vel illius in me beneficij tibi commendo,petoq́; à te maiorem in modum,vt res eius omnes ſic

omnes, vt gratias vtriq; habere velit immortales. Et ſi hic à te ſic tractatur, nullã vt commendationem meam deſideret, tamen pro mea perpetua in te veneratione à te peto, vt omnibus illum tuis officijs ac liberalitate cõplectare: quare maximo me beneficio auxeris, ſi dederis operã, vt is intelligat, hanc meã commendationem magnũ apud te põdus habuiſſe. Dabis hoc amori noſtro, vel voluntati meæ, vt Bibulum, qui cum conſtituta amicitia ad ſummam beneuolentiam peruenit, quàm diligentiſſimè tuearis ac propugnes: proque eo ornando nullos nec labores, nec cõtentiones, nec ſolicitudines ſubterfugias: quod & mea in illum beneuolentia, & hominis ornatiſſimi ſplendor à te impetrare debet. Plenæ eiuſmodi elocutionum ſunt Ciceronis epiſtolæ.

DE CONSOLATIONE.

Conſolatio. Eodem refertur & conſolatio, qua afflicti amici dolorem & ſolicitudinem alleuamus, hortamurque, vt animum ab omnibus angoribus atq; moleſtijs abducat. Quod quoniam in rebus aduerſis & afflictis fieri frequenter ſolet, erunt in eam ſententiam formulæ communes ex optimis quibuſque auctoribus colligendæ, ad hunc ferè modum.

MALIS AFFLIGI.

Miſer & calamitoſus. Fortunæ arbitrio periclitari, agi, frangi. Multis incommodis difficultatibusq; affici. Indigniſſimã fortunam inimicorũ odio atque oppreſſione ſubire. Premi malorũ inui-

inuidia, fortuniſque ſpoliari. In calamitate tabeſcere Infortunio obſtringi. Calamitate deuinciri. Malis alienis laborare. Ex morte vxoris grauiſſimo doloris vulnere percuti. Pericula ingredi. Ab excitata fortuna ad inclinantem & propè iacentem deſciſcere. Deuenire in medium omnium rerũ diſcrimen. Incidere in perturbationem omnis trãquillitatis. Improbiſſimorũ hominũ audaci temeritate in graues incidere ærumnas. Malorũ concurſatione mactari. Inimicorũ inuidia indigniſſimè deprimi ad ſupplicium. In maximos luctus fatorum acerbitate incidere. Grauiſſimis & acerbiſſimis aduerſæ fortunæ flatibus miſerè iactari atque affligi. Obrui malorum turba. Concidi vi frigorum & contabeſcere. Calorum moleſtia exuri. Magnis rerum aſperitatibus affligi. Improborum hominum exagitari furore & depelli ad exitium. Miſerrimi mortalis caſum horribilem ſubire. Tanta iniuriæ acerbitate excrucior, vt non modò perſequendi iuris mei, ſed etiã deplorandæ calamitatis mihi adempta ſit poteſtas. Fortunæ in me crudeliter ſęuiẽtis acerbitas animum ſpemq́; omnẽ debilitauit. Cõiuratiõis fluctus à publicis exitijs depulſi in me redũdarunt. Animus me reliquit doloris victũ debilitatumq́; magnitudine. Miſer hic homo nefaria inimicorum proditione, falſo perfidorum ac leuium teſtium conuitio, criminationum denique inuidia conflagrat. Ea eſt malorum acerbitas, & quædam perpetua miſeria, vt ſpem omnem & rerum & fortu-

narum abijcere cogar. Magnum & acerbum dolorem omnium ciuium animis inuſſerunt Clodij iniuriæ. Multitudinis odio, ciuium criminationibus, omnium bonorum imprecationibus premi atque lacerari. Perturbato animo extimeſcere. Acerbiſſimo luctu ignominiaq́ue diuexari. Regum afflictæ fortunæ facilè multorum opes alliciunt ad miſericordiã. Tãta mihi obijcitur calamitas, vt quò me vertã, prorſus ignorem. Communi mœrore angi. Mœrore ac lachrymis cõſeneſcere. Angi vxoris moleſtia, quotidianis querelis, rixa aſſidua. Verſantur in animo meo multę & graues cogitationes, quæ mihi nullam partem neq; diurnæ, neq; nocturnæ quietis impertiunt. Magnam animo moleſtiam capere. Impediri dolore animi. Nulla reliqua ſalutis ſpes reſidet. Subire indigniſſimam fortunam. Animo fracto eſſe atque afflicto. Mens debilitata metu concidit. Diſtineri dolore & diuelli. Magnum luctum haurire. Nihil tam miſerũ eſt, quod non in noſtram cadere fortunam videatur. Vita noſtra omnibus fortunæ telis, nocentiſſimorumq́ue hominum inſidijs obiecta eſt, atque propoſita.

PROSPERA FORTVNA VTI.

Bene fortunatum eſſe.

SVbtexui prioribus contrarias eloquendi formulas, quibus rerum ſucceſſus exprimeretur, propterea quod eiuſmodi orationes frequẽter incidũt, quales ſunt: Fortunatus is verè eſt, qui remot⁹ à ſtudijs ambitionis, otiũ ac tranquillitatẽ vitæ ſequitur. Fortuna

tuna hic ampliſſima perfruitur. Omnia illi, quæ vel ad famam ingenij, vel fortunæ ſucceſſum pertinent, copioſè adſunt. Omnia ſumma conſecutus eſt, Virtute duce, comite fortuna: eaq; adeptus eſt adoleſcẽs multis inuidentibus, quos ingenio induſtriaque fregit. Fortuna ſuffragante videris res maximas conſecutus: quod quanquam ſine virtute non potuiſſes, tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ attribuuntur. Res tibi ſecundæ, honores, imperia, victoria; opes amicorum, ſtudia ex animi ſententia ſuccedunt. Vt res, inquit Cicero, aduerſas, ſic ſecundas immoderatè ferre, leuitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idẽ ſemper vultus, eademq; facies, vt de Socrate & C. Lelio Cicero refert. Panetius quidem Africanum auditorem & familiarem ſuum ſolitum ait dicere: Sicut equos propter crebras præliorum contentiones ferocitate exultantes domitoribus tradere ſoleant, vt his facilioribus poſſint vti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibiq; præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, vt perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq; fortunæ. Cùm proſpero, inquit Cicero, fortunæ flatu vtimur, ad exitus prouehimur optatos, & cùm reflauit, affligimur. Idem ſcribit quibuſdam ſummis viris, quandam ad amplitudinem ac gloriam, & ad res bene gerendas diuinitus adiunctam fortunãm fuiſſe.

ANIMO PERTVRBARI.

Perturbari. Metũ in ſe concipere. Vehemẽti timore inclinari. In perturbationem, in terrorem ſe conijcere. Saluti ac fortunis deſperare. Contremere mente omnibuſq; artubus. Conturbari animo. Conturbatur animus vtilitatis ſpecie. Deſpondere animum. Abiecto & fracto animo eſſe. Frangere animum, atq; dimittere. Animũ mœrori dare. Malorũ concurſu defatigari. Exagitari mœrore. Exulcerare animũ. Exulcerato animo facilè fictũ crimẽ inſidet. Languori ſe dedere. Spoliari animo. vt, Prauarũ opinionum perturbatio ſanitate animũ ſpoliat, morbiſq; perturbat. Cõcidere animo. Omnes meæ ſpes hoc infortunio cõciderũt. Allato de patris morte nũcio mẽte concidi. Infeſtus Africani caſus mentẽ meam metu debilitatam infregit. Proſterni animo. Grauiter me animo proſtratum, perculſum, abiectumq; ſentio. Deficit animus ad opprimendam obrepentem moleſtiam. Debilitari atque abijci conſcientia ſcelerum. Frãgi animo. Fractus animo ab omni ſpe atq; cõſilio abijcior. De mente deturbari. Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. De ſpe deiectus, languori deditus, fractus animo, quò ſe ferat, neſcit. Magna de ſpe in grauem omnium rerum deſperationem excidere. Timorem inijcere. Dolorem inurere. Victrix improbiſſimorum hominum nequitia ac libido grauem mihi dolorem inuſſit.

Pertur-

Perturbationem facere. Varia rerum earum, quibus & vitæ dignitas, & fortunæ meæ nituntur, expectatio, grauem mihi perturbationem adfert. Languorem dare & offerre. Contentio honoris, laudisque alienæ inuidia multis affert languorē. Non eſt, cur eorum, qui ſe legum ſtudijs dedunt, aut ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Pendere animo. Salus mea exigua ſpe extremaque pendet. Mœrore affligi & profligari. Humili animo, imbecillo, infirmo eſſe. Metu ac cogitatione perturbari. Omnis tranquillæ vitæ ſtatus mortis metu perturbatur. Succumbere doloribus. Nihil tam humile, enerue, tam fractum, quàm ferre, quæcunque humanitus accidunt, non poſſe, aut ſuccumbere dolori. Iniectus homini ſcrupulus & dubitatio. Laborare ex animi perturbatione. Vacandum eſt, inquit Cicero, omni animi perturbatione, tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & voluptate animi & iracundia, vt tranquillitas animi, & ſeueritas adſit, quæ adfert tū cōſtantiam tumverò dignitatem. Contrahere animum atque dimittere, id eſt, deſpōdere. Deſcendere ad animi dimiſſionem. Non eſt animus propter reflantis fortunæ inuidiā dimittendus, ſedcontrà, bonorū ſpe virtutiſq; præſidio ad laudem, ad dignitatem, ad rerum humanarū contemptionem, excitandus. Corruere metu, timore, periculo. Infringere animum. AEſtuare dubitatione, verſareque ſe in v-

in vtranq; partem. Non cadit in magnum, excelſum, & bene à natura conſtitutum virum infractio animi atque demiſſio. Voluptatum blanditiæ perſtringunt ingenij aciem, atque à præclaris magniſq; inſtitutis & cogitationib. animũ abducũt. Omnes in aduerſ. rebus amicorũq; periculis iuſto animi dolore, ac mœrore neceſſario tangimur. Incertus belli euẽtus formidine hominum animos magniſq; malis perterritos certo de ſtatu dimouet. Mors Thomæ incredibili nuper mœrore atque luctu noſtrorum hominum animos omnium, menteſq; perturbauit. In luctu atque angore verſari. Vbi animus in moleſtia ægritudineq; verſatur, ratione ac memoria magnam aliquam & arduam rem aggredi nemo poteſt: magnam enim claro ingenio obſcuritatem adfert, mens mœrore affecta. Præ nimia animi ægritudine iucunditatis ſenſum omnem amiſi. Ex morte Nicolai Herborei optimi viri & ſanctiſſimi nactus ſum patentẽ mœrendi excurſum. Nullæ recordationes tã grauem doloris ſenſum excitant quàm earũ rerum, quæ nobis chariſſimæ ſemper fuerũt, & fatali inuidia ſunt ablatæ. Nulla me voluptas alleuare impreſſa animo meo moleſtia poteſt. Ex morte auunculi multò maximam multoque grauiſſimam contraxi moleſtiam. Abſumor doloris, ex amici deſperata valetudine contracti, vehementia. Furor hunc & ſcelerum conſcientia ad inſaniam amentiáq; impellunt. Nihil tam occupatum, nihil tam lacerum, nihil tam varijs conciſum affectib. quàm

quàm mens ſceleris conſcia. Nihil tam miſerum, ſeruile, & abiectum, quàm animus ex metu, ex inuidia, ex alienæ famæ ac nominis obtrectatione ægrotans. Nihil perinde luctuoſum, atque in rebus proſperis ſecundas fortunas amittere, in aduerſis ſine vllo remedio atque alleuamento permanere.

CONSOLANDI.

FRequens eſt huius argumenti triſtis vide licet & acerbi vſus. Nam qui propinqui ac familiares alios mœrentes conſolari ſolent, ij pari moleſtia afficiuntur: neque ſine lachrymis adhibere mœrentibus poſſunt luctus leuationem: adeò vt ipſi videatur magis aliorum conſolatione indigere, quàm alijs poſſe ſuum officium præſtare, aut mœroris vulneri remedium adhibere: imitanturque Medicos malos, qui, vt Cicero ait, in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt. Perpauci enim ſunt, qui ea, quæ alijs in conſolationem alleuationemque luctus præcipiunt, ea ſibi vel ſubijciunt, vel apud animum proponunt. Et qui res ſecundas pulcherrimè & cõſtantiſſimè ferre potuerunt, magnam ex ea re laudem adepti, eaſdem aduerſas nec æquè ferre, aut ſuas rationes ad omnem fortunam confirmatas habere potuiſſe. Et ſanè vt nos ab omnibus moleſtijs & angoribus abducamus, transferamusque animum ad ea, quibus res ſecundæ ornantur, vel aduerſæ ſine luctu *Conſolari.*
mode-

moderatè ferantur, in noſtra poteſtate poſitũ videtur: vt res humanas præclarè contemnere, cõtra fortunæ acerbitatem optimè parati, ornatique eſſe, & quæ maxima ſapientiæ laus eſt, non aliunde pendere, nec extrinſecùs aut bene aut malè viuendi ſuſpenſas habere rationes, ſed cuncta, quæ humanitùs accidere poterunt in noſtra moderatione, noſtra animi magnitudine, noſtra voluntate poſita & locata eſſe exiſtimare velimus, & eam mentis excelſitatem erigere & retinere, quæ tanquã tempeſtatum vi, & calamitatum concurſu aut labefactata, aut ſuo ſtatu deiecta videtur. Et magni conſolandique luctus ac doloris loci poterunt ſumi ab exquiſita ratione & doctrina, præcipuè Philoſophia, quæ nos ad modeſtiam, magnitudineq; erudit, quę animis noſtris mœrẽtibus medetur, ſolicitudinem detrahit, cupiditatibus liberat, timores pellit, commonetq; vt omnia, quæ fortuna adfert, moderatè feramus: & cogitemus, quid forti, & ſapiente homine dignũ ſit, quid grauitas, quid animi magnitudo, quid acta tuta vita, quid literarum ſtudia, quid liberales artes, quid denique publica dignitas poſtulet atque efflagitet. Leuat enim dolorem hæc cogitatio, & communis quaſi legis, ac humanæ conditionis recordatio. Cicero lib. 2. Tuſcul. quæſt. ſcribit multum valere ad minuendum dolorem animi prouiſionem &. præparationem. Nihil enim eſt, inquit, quod tam obtũdat, leuetq; ægritudinẽ, quã perpetua in omni

õni vita cogitatio: nihil eſſe, q accidere non poſsit. Philoſophi leuationẽ ægritudinis in duabus rebus poſitã eſſe dixerunt, auocatione videlicet à cogitanda moleſtia: & reuocatione ad voluptates contemplandas. Neq; ſanè vel melius, vel potẽtius quicquã eſſe poteſt ad leuandũ animi dolorem, quàm vt memoria rectè factorum, & libertate contenti ſumma contemnere velimus. Et, vt ille ait, homines nos eſſe meminiſſe velimus, ea lege natos, vt omnib. telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra: neq; eſſe recuſandum quò minùs ea, qua nati ſumus cõditione, viuamus: neúe tã grauiter eos caſus feramus, quos nullo cõſilio vitare poſſumus: euentiſq; aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe noui nobis cogitemus. Loci ſanè conſolationis eſſe poterunt. Adhibere leuationẽ doloris ad moleſtiam minuendam. Alleuare miſerias luctu perditas. Cùm in tantis te malis iacere animaduerterẽ, putaui humanitatis eſſe meæ, mœroris tui vulneri paruum ſaltẽ remediũ adhibere. Tua in rebus humanis perferẽdis ſententia omnem mihi moleſtiam deleuit. Ego te in magnum luctum mœroremq; detruſum, vt tempora noſtra, vt amor erga te meus fert, ab omni moleſtia conatus ſum vindicare. Abſit quæſo obteſtorq; te à ſummi luctus acerbitate dolor mœrorq; tuus; & illam animi tui ægritudinem ſi ſanare non poteris, aliqua ſaltem conſolatione leua. Nihil eſt, quod vxoris tuæ lectiſsimæ fœminæ mortẽ

tam

caſu, vel infortunio fracti firmitudinem grà uitatemque animi abijciamus, abducamusq; ab angoribus ad ea animum, quibus publicà vtilitas conſeruatur, res noſtræ ſecundæ ornantur, adiuuantur aduerſæ. Fac animo forti, quo in alienis eſſe rebus ſoles, nũc in tuis ſis fortunis ferendis: neq; committas, vt de naturę tuę ſtatu declinaſſe videaris. Scribis, grauiſſimum tè dolorẽ ex filij morte contraxiſſe: mihi verò non tã conſolandus, quàm laudandus videris, quod maximum Reipub. præſidium genueris, quod magnum & domeſticũ virtutis exemplum reliqueris, quòd tali filio ſis priuatus, quem propter præclaras & præſtabiles animi virtutes laudare, quàm lugere præſtat. Neque enim maior doloris leuatio, neque ad iucunditatem vehementius quicquam eſſe poteſt, quàm quòd eum amiſéris, qui mortuis circumfluente virtutis gloria perpetuò prędicabitur. Quare hunc mœrorem, qui tibi iucunditatis ſenſum nunc omnem adimit, ex animo depone atque abſterge: cogitaque cùm multa & varia mortis pericula indies homini impendeant, ijs tamẽ ômnibus filium exemptum, perpetua cum dijs immortalibus felicitate perfrui. Sed humanarum miſeriarum contemptio pręcipuè valet cùm ad æternam nominis gloriam fortibus conatibus parandam, tum verò ad leniendum dolorem atque luctum. Itaque præſtantibus in Repub. viris vile corpus ſemper fuit. Magnũ animi dolorem ex tuo in fortunio capio, ſed tamẽ moleſti⁹ fero, ita te

affligi & perturbari eorum,qui tuę vitæ inſidiati ſunt,iniuria,vt nullam conſolationem admittere poſſe videaris: nec illud recordari,cuius te meminiſſe oportet,quãtò grauiora ſunt ea,quę animo concipiuntur,quàm illa, quæ corpore, tantò infeliciores eos, qui ſceleris illius illiberalitatẽ in ſe admiſerũt, quã te,qui illorũ iniurias ſubiueris, eſſe. Magno te in dolore eſſe,vel mœrore potiùs,quẽ ex miſerabili fratris morte accepiſti, triſtis mœrensq́ue ipſe audio, ſed te & conſolor,& hortor,vt quã animi magnitudinem in aliorum negotijs ſubeundis adferre ſoles, eam mortalitatis humanę memor in tuis luctibus ferendis aſſumas: ferasq́ue non culpes, quæ vitari non poſſunt. Omnes alienis in rebus aduerſis, quàm noſtris, ad animi moderationem, lenitatem,tranquillitatem ſumus propenſiores. Sicut ingenij fortaſſe mei non eſt, vehementi aliqua & docta oratione ſtratum te atque abiectum ſubleuare : ita vna hæc te conſolatio ſuſtentare debet, quod nullum meum tibi amoris, nullum ſtudij, nullum pietatis officium deerit. Hoc ſapientiæ, hoc magnitudinis animi tui eſt, recentem ſcilicet iſtam doloris tui ægritudinem, ſi ex rerũ natura non poſſis euellere,ex animo quidem certè excidere: & hunc mœrorem, quo omnes permouemur,amicorum voluntati concede. Dolendum verò inſidere quorundam ingenijs hanc labem & quandam quaſi maculam, vt cùm ipſi nihil rectè, nihil præclarè agere conentur, inuidere tamen alienæ

vir-

virtuti velle, ac ipſum dignitatis florem infringere: quorum inuidia quia te magna ex parte premit, conſolaberis teipſum excelſæ virtutis tuæ, quæ inuidia carere non poteſt, conſcientia. Tu verò animi magnitudine & patientia iniurię leuabis atrocitatem: declinabis paululùm tanquam tempori cedens, & ſpe reliqua tranquillitatis præſentes fluctus tempeſtatesque fugies. poſtremò fore propediem ſperabis, vt quorum nunc obfirmatior in te eſt offenſio, ij interiecto breui doloris tempore, in priſtinam te dignitatem reſtituant. Mihi ſcias ſtudio eſſe, ſi non omnem, quod à nemine fieri poſſe arbitror, at aliquam partem mœroris tui deponere, & quibus poſſum officijs ærumnam ſolicitudinemque tuam ſuſtentare. Si contemnere graues animi dolores, & communem naturæ ſenſum repudiare non poteris, colligere tamen teipſum debes, & ad aliquam ſaltem lenitatem moderationemque affectionum referre. Non debes ſtatus conuerſione, communiumq; temporũ inclinatione, remota ab omni populari honore vita tua, deprimi: ſed multò magis excitari ad Rempub. propugnandam, vt officio ſuperatus, non fractus ſuſceptæ rei magnitudine videaris. Tu verò ita te fractum calamitate atque afflictum putabis, vt nihil tibi ex priſtina dignitate perijſſe arbitreris: aut ſi quam dignitatis amiſſionem ſubiueris, eam tibi cũ ampliſſimo modeſtiæ tuæ fructu, vel fortuna, vel virtus tua reſtituet. Erige animum tuum luctu dimiſſum

atq; oppreſſum, & in his tuis malis ab animi tui virtute & innocentia, non autem à ſtultis hominum querelis, doloris tui perfugium pete. Extremum illud eſt, vt meo in te ſtudio amorique noſtro mutuo obſecutus, te rogem atque obteſter, animo vt magno, conſtanti, & elato ſis: nec ad ea ſolùm, quæ à ſummis philoſophis, de contēnendis fugiendisq́; rebus humanis ſcribuntur, animū referas, ſed eorum quoque memineris, quæ ſtudij vehementia ingenijq́ue altitudine es conſecutus: quæ ſi animo pertractata teneas, ſperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunque erunt, feres ſapienter. Hoc ſi feceris, retinebis omnes nos in lætitia, & ingenij tui tranquillitatem ad res præclarè agendas cōuertes. Tu fac bono animo fortiq́ue ſis aduersùs inuidētis fortunæ ſæuitiam leniendam, meq́ue tibi nulla in re defuturum eſſe confidas: quod cū facies, omnes nos ſolicitudine leuaueris. Tu verò abijcias perditiſſimorum hominum inſanas contumelias: ſperesq́ue fore, vt fracto impetu, extinctoq́ue cæterorum hominū furore, priſtinā tuam dignitatē conſequare. Tu fac animū fortem habeas, & ea, quæ tibi nunc ſunt aduerſa, rectè factorum innocentia remiſſiùs placatiusq́ue feras. Non videor mihi dolorem tuū oratione lenire poſſe, aut leuare: ſi tamen hoc partium mearum eſſe velis, vt te nonnihil à priſtina animi iucunditate digreſſum reuocem, velim turbidiſſima hæc tempora ſapienter feras: vt illis periculis, quæ grauia tibi eſſe nō poſſunt, perfunct⁹,

tran-

tranquilliore aliquando animo, lætioreque feras. In rebus tuis anguſtis atque luctuoſis magno te animo eſſe oportet, ne dolore implicatus animus tuus, aliò, quàm quò te ratio Reipublicæ dignitatisque tuæ, ducat, ſequatur. Hoc ſapientiæ erit tuæ, propter magnitudinẽ & animi & ingenij, omnia moderatè ferre. Abduc à ſolicitudine animum, & te aduerſùs omnes ſæuiẽtis fortunæ impetus philoſophorũ more, arma. Caue ita imbecillo & inhumano ſis animo, vt in communibus miſerijs dolore te atq; ægritudine vinci patiaris.

Iſtum ego tuum, quo mihi confectus propemodum videris, mœrorem leuarem, teque à nimio iſtò luctu deterrerem, niſi illiberale eſſe mihi perſuaderem, quod tu in communium temporum caſibus, & miſeris humanæ vitæ conditionibus tam prudenter alijs præcipere ſoles, hoc ipſum me in te viro grauiſſimo & longo humanitatis exercendæ vſu inſtructiſſimo deſiderare: & qui mœrore debilitatos iacentesque aliorum conſolando excitare ſoleas, meis te literis conſolari. Nũc verò, quum in eandem mœrentis animi dimiſſionem deſcendiſſe, molliusq; fati neceſſitudinem ferre, quàm prudentem decet virum, mihi videaris, viſum fuit ita te conſolari, ex me vt intelligeres integrum tibi iã non eſſe, vt propter cuius auctoritatem cæteri in ijs ferendis, quæcunque fors fert fortuna, omnes ſint fortiores, cum ipſum animo frangi: & quibus remedijs aliorũ ſanas vulnera, ijs te mederi tibi nõ poſſe. Quanquam confirma

tione mea nõ eget animi tui magnitudo:ſi tamen lenis tibi conſolatio adhibēda erit, poteris ita à me vel admoneri, vel rogari, vt ab ijs moleſtijs animum abducas tuum, quæ vitari nullo humano conſilio poſſunt:neq;gigãtium more, cum dijs tibi pugnandum ſtatuas, habeasq́; in memoria, quod ad Meſſiuiũ Cicero ſcripſit, prçter culpã ac peccatum homini accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendũ. Et ſi in his meis dolorib⁹ ipſe ſim conſolãdus, tamen memoria veteris noſtræ amicitię tuaq; benignitate admonit⁹ nolui vllo vel loco, vel tēpore ad conſolandũ tibi deeſſe. Videris enim iniquior in nominis tui exiſtimationem, fortunasque, quàm fortē deceat virũ, eſſe, cùm te perditum & afflictum toties conquereris. Nihil enim turpitudine tua, qua ſemper caruiſti, auferri tibi poteſt, & plus tibi virtus tua dedit, quàm abſtulit fortunæ acerbitas:quare te ad priſtinã animi tui moderationē cõpone. Extat in hãc ſententiam inſignis præter cæteras Ciceronis epiſt. lib. 5. Famil. epiſtola ad Titum.

COLLIGERE ANIMVM.

Colligere animum. COnſolationis ferè cauſula cõſtat adhortatione, qua mœrentem amicum monemus, vt animum ab omnib⁹ angoribus abductũ ad ea conuertat, quibus & res aduerſæ leuantur, & ſecundæ ornantur. In hanc igitur ſententiam comparandus optimarum elocutionum apparat⁹: cuius generis ſunt in epiſtolis Ciceronis pulcherrimæ.

Abducere à ſolicitudine animũ. Abducere men-

re mentē ab omnib⁹ moleſtijs & angoribus. Abijcere animi ægritudinē & dolorē. Deſcēdere ad remiſſionē mœroris. Colligere animū & reuocare. Abiudicare mala & reijcere. Deducere à timore animum. Abſtergere metum, dolorē. Cicero ad Att. Amabo te, aduola conſolabor te, & omnē abſtergebo dolorē. Addere alacritatē. Amouere moleſtiā. Deponere dolorē. Ab indignatione animū abducere. Alleuare ſollicitudines. Cura conſidet, id eſt, ſedatur, ex animo eijcitur miſeria. Iniuriæ dolorem hominū erroribus condonare. Iniuriā acceptam obliuione conterere. Cicero in epiſt. Grauiſſimas iniurias cōmunis cōcordiæ cauſa volūtaria quadā obliuione cōtriuerā. Demere ſolicitudinē. Ab angoribus animū abducere. Relaxare animum & dare ſe iucunditati. Periculorū metum à mente conſilioq; deducere. Delere moleſtiam. Deleuit mihi omnē moleſtiā recentior epiſtola. Malorū memoriam ex animo funditùs tollere. Effugere, eripere moleſtiā, curā, furorem. Expedire ſe moleſtia. Sedare animi permotiones. Eſt enim prudentis, nulla re impotenter permoueri, vbique & ſemper animi permotiones, ne violenter erumpant, componere. Nam concitati animi permotio iram excitat, ex ira furor, ex furore incendium pugnæ naſcitur: Curas, offenſiones, ſimultates deponere. Obtundere animi ægritudinem, hoc eſt, depellere. A contentionibus animum relaxare. Lenire miſerias. Contumeliæ, audaciſſimorum hominum patientia animique

moderatione ſunt leniendę. Animo & ſpe bene confidere. Erigere, firmare animum. Magnitudinem animi, ad ferẽdas moleſtias adferre, nulliusque iniuria inflectere. Laxare curis, moleſtijs, occupationibus animum. Priuare ſe animi ægritudine. Animum lætum agere, & nulla miſeria ſuffuſum Confidentiam ſumere & habere. Animi excelſi & inuicti magnitudine atque robore inniti. Animi excellentia magnitudineque in rebus amplectendis & fugiendis elucere. Transferre animum ad ea, quibus res aduerſæ leniũtur. Abſtrahere à ſolicitudine animum. Spes mihi maxima adfertur. Iſtud in ſpe optima pono. Spes mihi animusque lætus proponitur. Stamus animis, id eſt, bene ſperamus. Timorẽ mihi eripui. Mẽte me releuaui Spes mea omnis, quæ fortium virorum mentes cogitationeſque ſuſtentat, in proſpera fortuna eſt poſita atque defixa. Tempus ſpes confirmat. Ipſe me ſpe confirmabo. Relaxare animi contentionem. Cicero in Offic. Cùm animos relaxam⁹, iucunditatiq́; damus, cauere debemus intemperantiam, & meminiſſe verecundiæ atque decori. Tanquam ex iactatione, atque ex magnis curarum fluctibus ſpem meam omnem in honeſto præſidio, in dignitate, in gratia collocaui atque defixi. Vacuus, expers, ſolutus, ac liber ab omni moleſtia. Magna me ſpes tenet, fortunæ meæ miſeræ multumque iactatæ portum ac perfugium mihi non defuturũ. Exultare lætitia & triũphare gaudio. Mihi certè in hoc nouo Reipub. ſtatu, lenitatis,

tis,modeſtiæ,moderationiſque partes ſuſcepi,depoſita ſeueritatis perſona.Proxima tua excuſatione ita flexus animo ſum atque fractus, vt qua ſum lenitate omnem iniuriam ante acceptam depoſuerim. Incitatum animum ad vlciſcendam iniuriam reuocare, atque reflectere. Permittere aliquid alterius iracundiæ.Conſtituere moderatum vitæ ſtatum.Beneficij memoria offenſionem oblitterare.Memoriam doloris veteris noua lætitia abijcere. Erigi pulcherrimi facti conſciētia. Deuorare magnis animis moleſtiam.

DE GENERE IVDICIALI.

Generis iudicialis tractatio.

Genus cauſarum iudiciale in præteriti temporis diſceptatione verſatur :cuius finis eſt æquitas: in quo præcipuè quæritur,quale ſit illud,de quo quæſtio vertitur:cuius loci cùm à Rhetoribus paſsim,& nuper à nobis in editis libris de vſurpatione legum ſunt traditi,nihil neceſſe habuim[9], eos hic repetere.Eſt autem duplex iudiciorũ ratio: conſtat enim ex accuſatione & defenſione: quarum etſi laudabilior ſit defenſio, quæ quidem ad bonos viros, non autem nocentes,nefarios, aut impios homines referatur, perſæpè tamen eorum,veluti L. Craſsi, M.Antonij, P.Sulpitij, & aliorũ probata fuit accuſatio,qua & eloquentia eſt illuſtrata,extinctus inflammatus eorum furor,qui omnia iuris vincula, proiecta audacia conuellere ſunt conati.Quod tamen non adeò frequenter, nec vnquam niſi Reipub.cauſa faciendũ:

cuius ſalute commotus Cicero, pro Sardis, S. Roſcio Amerino contra L. Syllæ dominãtis opes: pro Siculis, quorũ cauſam non magis ab ijs receptã, quàm Romani populi ſuſceptam profitetur, quaſi non vnus homo improbus ſit opprimendus, id quod Siculi petiuerunt: ſed omnino improbitas, id quod populus Romanus iamdudũ flagitabat, extinguenda atq; diluenda: & quibuſdã alijs fortem propugnationẽ ſuſcepit. Sicut autem in nullã iuſtam repræhenſionem incurrit, qui perpetua virtutis voluntáte, & Reipublicæ nocentes homines in iudicium vocat, & inimicos vlciſcitur: ita modus adhibendus, ne quem temerè aut cupidè laceſſere, atq; in dimicationem vitæ ac fortunarum diſcrimen adducere, & quod grauius eſt, ad nominis exiſtimationem ſordidiùs, etiam nobis periculoſiùs innocentem iudicio capitis arceſſere voluiſſe repræhẽdi poſsim⁹: propterea quòd hoc ipſum ſine ſcelere atque flagitio fieri nequeat, & inhumanum, barbarum, atq; propè impium ſit, ipſam illã eloquentiam, qua omnia vitæ atq; dignitatis ornamenta præcipuè illuſtrãtur, velle ad optimorũ hominum peſtem atq; perniciẽ conuertere. Nam etſi multitudo accuſationem improborum hominũ, etiam conſuetudo patiatur, feratq; humanitas, vt compeſcantur impia ſcelera, & conſeruetur Reipublicæ tranquillitas, maior tamen capta & gratia defenſionibus eorũ, qui iniquiſsimè fuerunt oppreſsi, ſemper fuit. Eſt enim perquã graue, difficile, & multorũ

repre-

reprehenſionibus implicatum,alterius vitã, mores,actiones in criminationem,&accuſationem adducere, quod in eo, qui alteri periculum parare conatur, eſſe oporteat integritatẽ atq; innocentiã ſingularẽ, ne quod criminationis cauſa alij probro vertit, in eo hærere ipſe conuinci poſsit. Cũ præſertim nihil ſit, quod minùs cenſeatur ferendum,& quod cognoſcẽtium animos magis offendat, quàm rationem ab altero vitæ repoſcere eũ, qui non poſsit ſuæ reddere. Omnes, inquit „ Cicero,oratione quarta in C.Verrem,qui al- „ terũ,Iudices, nullis impulſi inimicitijs, nul- „ la priuatim læſi iniuria,nullo præmio addu- „ cti,in iudiciũ Reipublicæ cauſa vocãt, pro- „ uidere debent, nõ ſolùm quid oneris in præ- „ ſentia tollãt, ſed etiam quantũ in omnẽ vitã „ negotij ſuſcipere conentur.Legem enim ſibi „ ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, vir- „ tutumq; omnium,qui ab altero rationem vi- „ tæ repoſcunt:atq; eò magis,ſi id,vt antè dixi, „ faciunt nullã re cõmoti alia, niſi vtilitate cõ „ muni. Nam qui hoc ſibi ſumpſit, vt corrigat „ mores aliorum,ac peccata repræhẽdat, quis „ huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione „ officij declinarit? Quapropter hoc etiã ma- „ gis ab omnibus eiuſmodi ciuis laudãdus,ac „ diligendus eſt, qui nõ ſolùm Reipublicæ ci- „ uem improbum remouet, verùm etiam ſe „ ipſum eiuſmodi fore profitetur, ac preſtat, „ vt ſibi non modò communi voluntate vir- „ tutis atque officij, ſed etiam, vt quadã magis „ neceſſaria ratione rectè ſit honeſteque vi- „ uendum.

In omni

In omni ſanè accuſatione, quæ enarratione obiecti criminis, eiuſque confirmatione maximè conſtat, vt quod iuſtum & rectum ſit, diffiniatur, abeſſe debent maledictio, & contumelia, quæ ſi petulantius iactetur, conuitium : ſi facetius, vrbanitas appellatur, & tamē ſuos habet aculeos, qui ſemel hominū ſenſibus infixi, vix vnquam poterunt euelli, ipſaque illa quoq; dicacitatis moderatio, tēperantia, raritaſque conuitiorum ſiue dictorum, oratorem verecundum ab impudente ſcurra diſtinguit, qualis fuiſſe dicitur C. Statius, qui inuerecundo, petulanti, & furioſo dicendi genere vſus eſt. Econtra verò C. Titius orator eloquens temperatus, & facetus. Modeſtæ & verecundæ orationis exemplum refertur apud Ciceronem in ipſius oratione de lege Agraria contra Rullum habita: qua cùm Decemuirorum immenſos & intollerabiles quæſtus, & importunam eorum auaritiam populari legis Agrariæ nomine proſtitutam inſectaretur, ne quid acerbiùs illos dicere, aut Pompei benignitatem lædere videretur: non conſueui, inquit, homines appellare aſperius, Quirites, niſi laceſſitus. velim fieri poſſet, vt à me ſine contumelia nominarentur ij, qui ſe Decemuiros ſperant futuros, iam videretis, quibus hominibus omnium rerum & vendendarum, & emendarum poteſtatem permitteretis. Sed quod nondum ſtatuo, mihi eſſe dicendum, vos tamen id poteſtis cū animis veſtris cogitare, &c. Et ſanè is demum orator in quocunque dicēdi genere eloquēs

erit

erit habendus, qui ad quodcunque decebit, poterit accommodare orationem; & cuius oratio rebus ipſis par & æqualis ſit, qui humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè, vel parua ſubmiſsè, poteſt dicere.

Iudicialis generis formas Cicero quoque in lib. I. de Oratore facit accuſationem, defenſionem, querelam, expoſtulationem, expurgationem, exprobrationem, comminationem, inuectiuam, & deprecationem. Eius non ſimplex eſt tractatio, propterea quòd priora duo genera ferè complectitur, & præter ſummam illam inueniendi ac diſponendi difficultatem, elocutionem quoque habet omnibus tropis & figuris expolitam: cuius hic exempla aliquot iuuãdæ imitationis cauſa proponemus. Illud enim in toto hoc libro egimus, vt dicendi vias eloquentiæ ſtudioſæ iuuentuti muniremus: quando locos omnes verborum & rerum explicare nec voluntatis fuit noſtræ, in maxima præſertim librorũ egeſtate: nec eius temporis, quo hæc ſcripſimus, maioribus ſtudijs in publica iuris ciuilis profeſſione occupati. Quò etiam æquiorem fore lectorem mihi ſpero, ſi quædã à nobis neglecta, quædam etiam, ne dicam omnia ingenio non ſatis elaborata eſſe cognoſcat. Porrò in hoc genere omnib. nobis, qui boni viri eſſe volumus, debemus quidẽ omnes velle, magnoperè cauendũ, ne quẽ iniuria laceſſere, aut iniquis criminationib. premere, aut vnquã innocẽtem iudicio capitis accerſere,

aut

aut contra æquitatem contendere velimus: quorum vtrunque ſine graui ſcelere & impietate fieri non poteſt: etiam actionis noſtræ laudem & initium potiùs ex defenſione bonorum virorum, quàm publica occaſione malórum nobis petere velimus.

ACCVSANDI.

- Accuſare
  - Capitis.
  - Ambitus.
  - Maieſtatis.
  - Furti.
  - Impietatis.
  - Latrocinij.
  - Parricidij.
  - Peculatus.
  - Rei capitalis
  - Adulterij.
  - Stupri.
  - De negligentia.
  - De veneficijs.
  - De epiſtolarĩ negligentia.
  - Grauiſs. criminibus.
  - De pollutis cæremonijs.
- Damnare
  - De maieſtate.
  - De vi armata.
  - De repetũdis.
  - De capite & capitis.

Citare reum, qui manifeſto in flagitio tenetur. Accuſationem iudiciumque conflare. Reum maximis plurimiſque criminibus in iudiciũ vocare. Adducere in criminationem, inuidiam, vituperationem, ciuium odium, fortunarũ & capitis diſcrimẽ. In crimen atq; iudicium vocare. Criminibus arguè-

arguere, & ſuſpicionibus in iudicium vocare. Obterere laudem criminibus auaritiæ, furti, ſtupri. Litem flagitioſè intendere. Maieſtatis crimen in iudicijs iactare, commemorare in ſenatu, agitare in concionibus. Iudicio aliquem circumuenire, & opprimere. Omnia criminationis tela in reũ cõijcere atq; defigere. Præcipitantem reum actione impellere, & perditum proſternere. Criminationis ruinam atque tempeſtatem concitare. In ſummam inuidiam ſeditioſis & turbulentis cõcionibus aliquem adducere. Infamiam & atrociſſimæ turpitudinis ſuſpicionem alicui inijcere. Periculum capitis, iudicium ſceleris, fortunas alterius in iudicium adferre. Circumuenire iudicio capitis aliquem. Infeſtum ſcelus atque immane alicui intendere. Incumbere ad alterius perniciem. De alterius pernicie atque exitijs cogitare: Inflammatus incredibili nocendi cupiditate hanc accuſationem ſuſcepit. Dignitatem alterius ludere, & in inuidiam vocare. Intendere periculum iudicij. Inſidiarum ſuſpicionem in aliquem conijcere. In diſcrimen adducere tactam contumelijs alterius dignitatem. Coarguere aliquem furoris, immanitatis, & inauditæ crudelitatis. Periculum fortunarum omnium ac mortis alicui inijcere. Defeſſa ac refrigerata accuſatione nouam litem excitare. Reum nefarijs criminibus euincere. In contentionem certamenque pertrahere. Crudeliſſimum carnificem, ciuium vexatorẽ, peſtem Reipub. otij perturbatorem in iudicium adduce-

adducere. Actione publica aliquem fortunis euertere. Homo audaciſsimus ſceleris conſcientia conuictus eſt. Sententijs reum configere. Coarguere quempiam ſuſpicionibus & criminibus. Iniurias factas imponere. Falſum crimen in vitæ innocentiam conferre. Periculum creare. Conijcere in aliquem crimen. Conſtituere actionem & animaduerſionem. Conſtituere in reum ſupplicium. Solon, referente Cicerone, ideò nullum ſupplicium in eum, qui patrē necaſſet, cōſtituit, quòd id neminem putauerit facturum. Homo ex conuentu quadruplatorum deterrimus iniuriarum accuſatus & condemnatus eſt. Conuincere aliquem criminibus. Scelus fraudemq́ue nocentis ſupplicio conſtringere. Litem capitalem inferre. Actionem habere. Accuſatione adulterium crimini dare. Deferre nomen de pecunijs repetundis. Defigere furta & flagitia. Ad iudicem deferre. Denunciare periculum. Actionem in aliquē dare. Inferre periculum fortunæ & capitis. Inſtituere actionem. Intendere periculum. vt, Multa me ſolicitant ex Reip. tanto motu, & ex his periculis, quæ mihi intenduntur. Notare aliquem furti. Suppetere crimina. Accuſationem facere & factitare. Crimen facere & accerſire. Iniquo iudicio aliquem opprimere. Perniciem alicui quærere. Incumbere in alterius oppreſsionem & exitiū. Iudicum ſententijs damnandum aliquē tradere. Graui & vehemēti criminatione alterius dignitatem euertere. Crimē aliquod in aliquem quærere. In

IN FRAVDEM ADDVCENDI.

ET quoniam eos plerunq; accuſamus, qui induſtriam ſuam, naturæq; inſtrumentã ad dolũ, fraudem, nequitiam, ſcelus, atq; grauem alterius perniciem conuertunt, adſcribimus in hanc ſententiam communes loquendi formas. Ad fraudem, perniciem, & periculum aliquem vocare. Fallaciam facere, intendere, adferre. Fraudem creare, inducere, moliri. Facere inſidias. Machinari in aliquem peſtem. Inteſtinam aliquam perniciem Reipublicæ moliri. Perniciem creare. Per ſimulationem amicitiæ aliquem prodere. Iuuentutem libidinum illecebris irretitam in fraudem & nequitiam pellicere. Per errorem in maximam fraudem incurrere. Singulare genus fraudis, & nouam inſidiarũ rationem inire. Singulari fraude atque odio aliquem euertere. In fraudem me officij ſimulatione adductum video. Multos Catilina adoleſcentes promiſsis, regni honoriſque expectatione, officij denique mira ſimulatione in fraudem atque perniciem adduxit domeſtico lenocinio cupidæ iuuentutis animos ad omne facinus pellexit. Furor illius multos illuſit, & in perniciem traxit effrænata libido. Nullius prouidentia ad inueterati huius fraudatoris inſidias ſatis munitã eſſe potuit. Multos in errorem ignominiamq; deturbat præmatura ingenij oſtentatio. Facilè nos in perniciem deducunt impunitatis ſpes & cæca rerum cupiditas. Callidiſsima quæq;

Decipere.

conſilia faciliùs nos fallunt. Vt quiſquis maiore in amicos beneuolẽtia.ſtudio ac fide exiſtit, ita facilius aliorum offertur inſidijs. Maiores eum in ciuium numero haberi non oportere iudicauerunt, qui vitæ fortunarumque ſocium fefelliſſet. Nullum tam illiberale facinus, quàm eum, qui fidem noſtram ſecutus eſt, in perniciem & fraudem illicere. Humanitatis iura omnia violat, officiorum religionem conſpurcat, qui in hac ciuilis vitæ ratione induſtriam ſuam ad dolũ conuertit.

INVEHENDI, ET CALVMNIANDI.

ADmonenda hîc mihi iuuentus, nihil tã indignum ciuili & liberali homine eſſe, quàm innocentiſſimum quemq; ab omni humanitatis, religionis, pietatis, fidei, ac probitatis exiſtimatione in graues calumnias, vituperationẽq; adducere. Habet enim omne conuitium grauem ac intollerabilem repræhenſionis aculeum, quem prudentes ac boni viri ægrè admodum ferũt: nec aliud vel ſtabilius ad memoriæ diuturnitatem, vel vehementiùs ad æternas inimicitias excitãdas, quàm mens calumnijs affecta, atque ex dignitatis ſuæ oppreſſione ægrotans. propterea, ꝙ ipſa vitæ dignitas in illuſtri honoris ſplendore poſita, non rarò improbiſſimorum hominum calumnijs labefactatur atque conuellitur: quare ea animi bene à natura conſtituti adhibenda in omni vita eſt moderatio, ne quem ignominioſè ad inimicitias

Illiberalis omnis calũniandi cupiditas.

niſi

niſi vtilitatis publicæ cauſa prouocemus. Dolendũ verò hoc calumniãdi vitium ita vſitatum hodie eſſe,atque peruulgatum,nemo vt in hac vitæ ratione,in rebus gerendis ferè verſetur,cui nullum probrum, nulla turpitudo,ſi non vera,attamen cum aliqua ſuſpitione obijciatur.Quòd ſi quantam voluptatem maleuoli homines ad opprimendam alienæ virtutis laudationẽ capiunt, tantũ haberent ad fingendum ingenia, vberior eſſet clariſsimorum hominum, quorũ paucitate vbique ferè laborat Reſpub.profectus,atque admiratio.In quo illud vehementer iucundum eſt,quòd inuidiam dies mitigat, oratio deprecatur,hominum fides atque æquitas ad veritatis diſceptionẽ, vt ille ait,non reijcit. Eſt aũt calumniari, cõuitia in aliquẽ iacere, ſcelerisq́; ſuſpicione inflãmare. Intorquere cõtumelias.Imponere honeſtiſs. viro perſonam calumniæ.Omnibus priuatim iniurias plurimas,cõtumeliaſq́; imponere: honeſtam familiam,quæ opibus antea & dignitate florebat, turpiſsimis dictis flagitijsq́; infamem facere.Importunis libidinibus ac cõtumelijs alienã dignitatẽ operire atq; opprimere.Calumnijs alterius laudẽ obterere. Iniurioſius aliquẽ tractare,ſuperbiusq́; appellare. Periculũ & infamiã alicui quærere.Arripere maledictũ ex triuio,aut ex ſcurrarũ aliquo cõuitio.In laude ponere obtrectationẽ alienæ virtutis.Nõ odio inimicitiarũ ad vituperandum, ſed ſtudio calumniandi ad inimicitias

deſcendere. Omnem orationem variam,obſcuram, & multiplicem ad ſuſpiciones & ſimultates fingere. Studio & voluntate in alterius infamiam ac criminationem incumbere.Petulanti ac maledicta lingua,quaſi flabello ſeditionis omnium dignitatē violare.De alteri⁹ dignitate detrahere atq; diripere.Verborũ iactationem in alterius repræhenſione exacuere. Hic calumniandi exercitationem cum intollerabili petulantia,tũ diuturna impunitate muniuit: iucũdiſſimam multorum vitæ officiorumque ſocietatem falſis criminationibus diremit.Diſrumpatur ſua iſta furioſa inuidia: frangatur odio ſuo nefanda & pernicioſa hæc ciuitatis labes, cuius contagioſo ſpiritu omnium laus atque honores contaminantur. Magni & excelſi eſt animi,falſæ criminationis & calumniæ tela, quæ ab inimicis conijciuntur,leuiora atque hebetiora arbitrari,quàm quæ retorqueri debeant. Inuerecundi,impudentis,& improbi eſt ingenij,alienæ vitæ ſplendorem maculis conſpergere: exiſtimationem nominis aſperioribus facetijs perſtringere: putare omnium dignitatem ſuis conuitijs, ſuo furori, ſuæ irriſioni ſubiectam eſſe. Omnia denique alterius deformandæ,detrahendæ,ſpoliandæque dignitatis cauſa facere. Omnibus bonis inſignem ignominiam inurere.Inſigni nota atque ignominia omnes condemnare. Omnia maledicta & conuitia in alterius contemptionem nominiſque infamiam conferre,ac ſēpiternā vitæ turpitudinem infligere. Nouũ

ignem

ignem atque inuidiæ flammam ampliſſimo ordini ſubijcere. Iniuriam nouo ſcelere con flare. In alterius vitam atque mores contume liam dicere. Inuidiam in aliquem concitare. Minis contumelijſque in omnes inuehi. Omnem maledicendo quærere voluptatem: laborare procacitatis cõuitio. Virtuti alterius inuidere, ſuę confidere. Furorem violentum, conuitia ac probrum in optimum & innocẽtiſſimum quemquę effundere. Conuitijs aliquem inuadere atq; incurrere. Inuehi in aliquem ſcurriliter. Ludibrio alterius ſimplicitatem circumuenire. Eruditionis famam alteri maledicendo inuidere. Inurere contumeliam. Alterius labefactare dignitatẽ. Exiſtimationem florentiſſimi viri probro & contumeliæ offerre. Scurrili ludibrio alterum lædere. Oblatrare, obloqui, debacchari. Obtrectatione & maleuolentia cupidè aliquem obruere. Maledicere ore alieno. Inimici animum in alium inflammare ementiendo aliquid & criminando. Deſtruere optimorum hominum induſtrias. Deſpicere eorum frugalitatem, pudorem contemnere. Calumnijs ingenium & virtutem depreſſam extinguere. Contumeliam dicere, facere, iacere, intorquere, imponere, iactare. Prudentiſſimũ virũ atq; optimum quemq;, ſplẽdidiſſimum atq; ornatiſſimum probris omnibus maledictiſq; diuexare. Effrænata maledicentia rixam ſempiternam excitare. Odium & maledicta in aliquem congerere. Detrahere alteri ſuum honorem ac dignitatem. Alterius exiſtimatio-

nem turpiter proſtituere. Effrænato & præcipiti furore in quemlibet inuehi. Improbi eſt hominis & inuerecundi orationem in abſentem, ore impuriſſimo euomere.

Exprobratio

EXPROBRANDI, ET EXAGGERANDI.

HIc eos, quos beneficio proſequi, pietate colere, veneratione ſuſcipere ac obſeruare debebat, inaudita crudelitate perdidit. Quorum beneficio vitam ſuã agebat, in eos ſingularem amentiam, inauditum furorem profudit. Hic ille nefarius, impius religionis conſpurcator, à quibus benigniſſimè exceptus fuerat, eos cõtumelia, luctu, gemitu, & nefario ſcelere affecit. Hic ille libertatis expugnator, legum euerſor, tranquillitatis publicę perturbator, hoſtis virtutis, ſcelerum ac flagitiorum auctor, quorum venerationem, ſenectutem, auctoritatem, propter ſummum dignitatis ſplendorem, propter prçclara in Remp. merita colere debebat, eos nullo ſcelere obſtrictos, ſolius virtutis reos, indicta cauſa, nullo accuſatore oppreſſos dãnauit, damnatos nouo ſupplicij genere affecit, affectos publico omniũ ludibrio in crucem adegit. Sceleris erat principum virorũ infirmam, & ætate affectam ſenectutem, quæ natura virium inops & abiecta eſt, in vicina morte, præmaturo ſupplicio violare: crudelitatis, homines de Rep. bene meritos omni honore & dignitate indigniſſimè ſpoliare: impietatis verò, in homines innocẽtes nouũ ſupplicij gen⁹ excogitare. Hoc deniq; omniũ

iam

iam flagitia ſuperat, qd' vnus hic natura ád eam rerum omnium [illegible]olentiã proiectus videtur, vt nec pœnarum metus illum à flagitio, nec religio ab impietate, nec deorũ vis à furore, nec hominum exiſtimatio à turpitudine & infamia auertere poſſit. Hic adoleſcẽtiam, quam virtutis inſtituere præceptis ac tueri ſingulari prudentia atq; integritate debebat, ad ſummã ſtultitiã nequitiamq; adduxit. Hic imperij vim, hic ornamẽtorũ omniũ dignitatẽ, hic omnia iuris repagula, pudoris ac officij ſic perfregit, vt omniũ virtuti ſe inimicũ eſſe apertè declararet, nulli⁹ vt res tuta aduersùs illius rapinas, nullius vitá aduersùs inſidias ſepta atq; munita videretur. Omnes omniũ fortunas ſua cupiditate atq; audacia obtriuit. Omnes culpas auaritiæ, maieſtatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis in ſe admiſit, dum quos prudentia regere & conſeruare debet, propter animorum innocẽtiam, eos perdere propter crudelitatem maluerit. Hic verò inhumanus & crudelis tyrãnus, cuius oportunis beneficijs auctus mirabiliter fuerat, cuius domum per hoſpitium exhauſerat, cuius opibus ad alleuandam domeſticam egeſtatem ſæpè vſus fuerat; eum omni ludibrio ac contumelia abiecit: nulla humana commiſeratione in optimi viri lachrymis commoueri potuit: naturæ clemẽtiam manſuetudinemq́ue cæco quodam impietatis ſtudio in crudelitatem inhumanitatemq́ue conuertit. Virum primarium & hominem nobiliſſimum, quem iniquo iudicio

oppreſſerat,inſigni calamitate extinxit: furtorumq́; ſuorum maculas innocentis ſanguine luere conatus eſt, adeo furor illum quidã ſceleris & audaciæ comes effrænatum illius animum importunamq́; naturam tanta oppreſsit amentia, vt tot tantaq́; dedecora tegere diſsimulatione amplius non potuerit, vt in communi omnium luctu ac lachrymis cõmoueri ad miſericordiam non potuerit. Magnum ex huius impotentis naturæ importunitate Reſpub. vulnus accepit. expilatæ prouinciæ, vexati ſocij, dij immortales ſpoliati, ciues cruciati & necati impunè. Legatum Verres, quem ius gentium violari prohibebat,vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit.In miſera & luctuoſiſsima fortuna huic reo lucis vſuram plenam lachrymarum atq; mœroris eripere conatus eſt. Quem virtutis prædicatio laudiſque nobilitas ad ſummos honores euexit, eum tu flagitioſis tuis factis deprimis ad ſupplicium.Inutilis hic patriæ ciuis,non ſolùm præcipitanti Reipub. non ſubuenit, ſed etiã eam concidere paſſus eſt: ea porrò ſæuitia in bonos ciues, vt eius libido nulla officij religione contineri queat. Quos beneficio contineri debebat,eorum ſanguine ſuam exatiare crudelitatem, diuturnumq́; odium, quod in optimos viros inueteratum habebat, deponere cupiebat. Eſt autem inſignis indignitatis exaggeratio in oratione M. Tull. Ciceronis de Prouincijs conſularibus.Milites,inquit,Romani capti, necati, deſerti, diſsipati ſunt:

ſunt:incuria,fame,morbo,vaſtitate conſumpti,hoſtilem in modum vexati,&c.ampliſſimus ordo deſpectus,afflictus,deletus. Quem officijs tueri ac colere debuit,eum negligendo ingratus impiusque contempſit. Satis fuerat,communi hominum infortunio atq; errore lapſos non erigere, vrgere verò iacentes,aut præcipitantes impellere, certè inhumanum eſt. Hoc verò plus quàm barbarum, in miſerorum ac infelicium hominum fletū irrumpere,& in communi multorum miſeria perfugium miſericordiæ tollere. Quàm autem illud intolerabile?nepos auum in diſcrimen capitis adduxit,adoleſcentiæque terrorem intulit ei,cuius ſenectutem tueri & tegere debebat, commendationemque ineuntis ætatis ab impietate & ſcelere duxit. Talis eſt in eadem oratione pro Deiotaro rege:Sceleris non ferendi eſt, in conſpectu deorum penatium necare hoſpitem:importunitatis, omnium gentium atque omnis memoriæ clariſſimum lumen extinguere: ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimeſcere: inhumani & ingrati animi, à quo conſeruatus ſis,in eum tyrannum inueniri:furoris, tanti ſceleris offenſione omnium arma contra ſe vnum excitare. Immemor humanitatis in ſenem hominem & auum,inſaturabilem ſuam exercuit crudelitatem,lacerando atque vexando eum,à quo toties fuiſſet conſeruatus. Ciconiæ defeſſos ætate, & ſenio languentes parentes ex humeris deferunt:ac cætera bruta animalia,venerationem parentum non ab

ijciunt, tu verò patrem, cui vitam, cui fortunas, cui dignitatem omnem debes, illiberaliter atque impiè contemnis: & cuique ſolicitudine tot tantiſque curis eductus, ab omnique iniuria fueris conſeruatus, eius neceſſitatem intermori, cùm opem auxiliumque ferre posſit, tot annis ſuſtines. Nihil turpius, quàm eum, cuius plurimis & neceſſarijs vſus ſis officijs, non ſolùm non colere, ſed etiam contemnere.

COMMINANDI.

Comminari. FErocitatem iſtam tuam comprimam, audaciam frangam, loquacitatem interrogationibus impeditam retardabo. Si pergas maledictis me prouocare, contumeliarumque in me aculeos excutere, ita viciſſim mea in te tela conijcientur, in tuis vt pulmonibus & viſceribus adhæreant. Tibi iſtam ego licentiam fractis cupiditatibus concutiam. Adhibere vim veritati, iactare minas, pericula intendere, formidines opponere. Maledictis & mortis periculo aliquem prouocare. Cædem ac ſanguinem omnibus bonis minari. Comminationibus aliorum infirmitatem ſolicitare. Metu atque formidine ſuſpenſos omnes tenere. Adferre metum ciuibus. Deſignare hoſtili animo vnumquemque ad cædem atque ſanguinem. Formidoloſum ſe cunctis præbere. Periculorum minis in fortunarum deſperationem ciuium animos adducere. Metu ciuitatem, non prudentia atque amicitia regere. Magnum de ſe metum

tum excitare. In amicitia odium, in tranquillitate ſeditionem, in publica omnium lætitia metum periculumque creare. Niſi iſtam tuam maledicendi libidinē profuſamq; con ſtringas ſcurrilitatem, oſtēdam eum me eſſe, qui nec dignitatem, nec nominis ſui exiſtima tionem, ludibrio tuo oblatam eſſe patiatur. Vide ne maiorem viribus tuis hoſtem prouo ces, neúe quas ſeditiones excitas, in tuum ſan guinem redundent atque perniciem. Inuitus facio, vt ad tuam impudentiam, nequitiam, furorē animi mei abijciam moderationem: ſed niſi humanitate potiùs mecū, quā iniurijs certare velis, cogar & ipſe in te violētior eſſe, quā vel vſus me⁹, vel natura poſtulat. Ego tibi iſtam linguæ laſciuiam præcidam. Sic tuos furores excitabo, ac frangam inſolentiam, vt, quò te vertas, neſcias. In eam te fortunarum omnium deſperationem adigam, vt nullum tibi neque laboris, neque miſerię, neque periculi perfugium relinquatur. Obtundam iſtam tibi, quæ ſe nunc proteruè ac petulanter effert, maledicendi cupiditatem. Frenum inijciam nefarijs iſtis animi tui affectionibus.

BELLVM INFERENDI.

NIhil refert prioribus cognatis aliquot elocutiones locupletandæ orationis gratia colligere: Vt, nefarium bellū omnibus indicere. Ex turbulenta Repub. ex pa ce & tranquillitate bellū excitare. Aquilam patriæ inferre. Animum ad bellū patrię infe- *Bellum inferre.*

ren-

rẽdum intendere. Ciuile diſſidium excitare. Difficile belli certamen inire. Famem vaſtitatemque patriæ inferre. Exercitum perditorum ciuiũ ſcelere & rapinis conflatũ euertendæ vrbi cõparare. Expugnatione vrbẽ, internitione ciues, vaſtitate agros, interitu Remp. appetere. Bellũ Reip. inferre. Exciſionem, inflãmationem, euerſionem, depopulationẽ, vaſtitatẽ vrbi, terris atq; agris inferre. Luctuoſũ bellũ excitare. Vim ciuitati armatam inferre. Laceſſere ciues bello. Bellũ ſuſcitare. Bello agros vrbesq; vaſtare. Gliſcens bellũ concitare. Bellum impendere, parare, denunciare, inducere, inchoare. Certamen inſtituere. Bellũ inteſtinum, inſidioſum, domeſticum, & poſt hominum memoriam crudeliſſimum denunciare. Detrimentum ac calamitatem Reipub. iniungere. De imperio certare, belloque victoriam quærere. Patriam ſcelere lacerare, atque bello funditus euertere. Catilina ſaxis atque ignibus ferroque vaſtitatem vniuerſæ Italiæ intulit. Italiæ multa proponi pericula, multas iniurias, ciuilesque ſeditiones inferri ſparſo rumore publico obnunciatur. Ex tuis literis non modò reſtinctũ bellum ſed etiã inflãmatum intellexi. Nullũ autẽ bellum iuſtum, niſi quod ꝓ rebus repetitis geratur, aut denunciatũ ante ſit & indictũ.

Defendere.

DEFENDENDI.

Caput alterius, famam, fortunasque defendere. De maximis acerbiſſimisq; rebus ciuium cauſam, honorem, fortunas, iudicij grauitatẽ ſuſcipere. Summis opibus, ſum-

ſummo ſtudio,ſumma potentiſſimorumq́ hominum gratia aliquem defendere. Crimina defenſione iudicioque diſſoluere.Reum omni gratia atque auctoritate ſubleuare.Defendere alterius dignitatem atque honorem. De ambitu defendere.Omnes boni alienæ dignitatis iniuria oppreſſæ defenſionem ad officium ſuum pertinere exiſtimant. Implicatũ ſeueritate iudicum, circumretitum populi inſidijs eximere atque tueri. Innocentem nõ ſolùm à calamitate,ſed à metu calamitatis defendere.Conflatam inuidiam vitæ innocentia tueri.Legum præſidio à capite periculum propulſare. Calumniam effugere. Profiteri ſuum ad communem dignitatem defendendam ſtudium.Propulſationem laborantis & afflicti amici ſuſcipere. Nullius amicitia ad propulſanda pericula impediri. Furibundã accuſatoris mentem ab alienis periculis repellere.Inimicorum impetum propulſare ac propellere. Aduerſariorum vim atque factionem repellere. Sartum tectum ab omni periculo conſeruare.Ad deprecandam calamitatem adeſſe.Bonus ciuis & patriæ vtiliſſimus nullas pro amicorum fortunis tuendis, inimicitias,nullam vim,nullum vitæ diſcrimen vitandum vnquam putabit. Omnis mea ratio,actio,cogitatio nihil aliud erit, quàm conſtans,fortis & perpetua ſalutis tuæ defenſio.Hominis eſt, opibus,precibus, periculis pro hominis ſalute laborare. Adiumento in periculo capitis eſſe.Contumeliam, vim, iniuriam,periculum ſuſcepta cauſa defendere.

Reum periculis eximere. Diluere atque depellere obiecta crimina. Crimẽ propulſare. Inficiando vel defendendo crimẽ deſtruere. Conuertere operam, curam, induſtriam ad fortunarum capitiſque propugnationẽ. Rei ſalutem in fidem atque tutelam recipere. Cõtrà vim atque accuſatorum gratiam præſidio rei ſolicitudini atque inopiæ eſſe. Pugnare pro alterius liberalitate & fortunis. Laboráti Reip. grauiſſimisq; temporum caſibus proiectæ ſpem, auxilium, ſalutem ferre.

EXPVRGANDI CVM HONESTA officij commendatione.

VAldè vtilis eſt cùm ad beneuolentiam, multitudinisque erga nos voluntatem atq; fauorem conciliandum, tum verò minuendam inuidiam illa officij noſtri vel excuſatio, vel ciuilis quædam commendatio. Cupit enim optimus quiſque in rebus agendis conſilium rationemq; cognoſcere: & in tantis hominum ſuſpicionibus vix cauſa proponitur, quæ non tacita aliqua vel inuidia, vel criminatione laboret. Animaduertit hoc Marcus Tullius Cicero, qui omnibus in cauſis officij ſui rationem reddit, vt iuſtiſſima de cauſa vel amicitiæ, vel cõſuetudinis, vel Reipublicæ cuncta facere videatur. Itaq; eius epiſtolæ atque orationes, pulcherrimas atque elegantiſſimas habent vel ad officij conſilijque excuſationem, vel inuidiam deprecandam προλήψεις. Habet enim incredibi-

Omnibus in cauſis neceſſariam eſſe officij noſtri conſilijq; rationem.

dibilem quandam gratiam perſpectus noſter atq; omnibus cognitus labor, quem ad ægras, conuulſas, ac propè depoſitas Reip. partes alleuandas, ad laborantis patriæ opem, ciuiũ ſalutem, amicorumque propugnationem cõuertimus. ET PRVDENTIAE pars eſt præcipua, poſſe omnibus in rebus conſilij, voluntatiſque noſtræ rationem honeſtam adferre: vt quæ nobis ad inſtituendum conſilium, eadem alijs ad exequẽdum cauſa iuſtiſſima videatur. Parandus igitur in hanc rationem optimarũ elocutionũ apparat⁹, quo noſtra in ſcriptiõe dicendiq; vſu quotidiano vtamur.

Quòd nullas ad te literas dederim, caue ſuſpiceris amicitiæ noſtræ obliuione factum eſſe, aut etiam conſuetudinis intermiſſione, ſed quòd in eam communium temporũ perturbationem inciderimus, quæ ſpem noſtrã cogitationemque vehementer fefellerit.
Quòd me ſcribis rationibus tuis obſtare, ſic velim exiſtimes, nihil me vnquã aut contra rem tuam, aut exiſtimationem feciſſe, voluntatemque tuam commodis meis omnibus anteposuiſſe: ſed tamen in communibus noſtris negotijs conficiendis magis ſecutum fuiſſe, quod fides me & dignitas publica, vt facerẽ, coegit, quàm tua, quæ mihi non mala, ſed nimia viſa eſt, cupiditas. Vereor, ne me putes obliuione amicitiæ noſtræ potiùs, quàm valetudinis meæ grauitate rariùs, quàm ſolebam ad te ſcribere. Non enim ita ſum negligens, vel in conſtituenda, vel leuis in retinenda amicitia, vt tui memoriam ex animo vnquam

vnquam depoſuerim meo, aut voluntãtem neglexerim, aut non res tuas omnes maiori mihi curæ, quàm negotia mea omnia eſſe voluerim: ſed me vehementer perturbauit, atq; à priſtina cõſuetudine nonnihil inflexit malorum concurſatio, quæ ferenda mihi magis, quàm accuſanda fuit. Si ea fuiſſet ſtudij mei ſuffragationiſque libertas, qua ante hoc tempus vſus ſemper fui, non deſiderares vllum in te officium meum vel beneuolentiam: nũc verò quum vnius hominis crudeli ambitione omnia ſint impedita, neque quicquã, quod ad te pertineat, hoc tempore confici poſſit, ignoſces ſolicitudini meæ. Ne iudiciũ tuum à voluntate mea atque iudicio tuo diſcrepet, velim tibi perſuadeas, quicquid eius eſt, quod facio, id vt facerem, ſic vehementer amicos aliquot contendiſſe, vt aut faciundũ illud mihi fuerit, aut officium neceſſitudinis repudiandum. Si liberiùs tecum, quàm naturæ meæ moderatio, vel etiam vſus poſtulat, agere videar, quæſo obteſtorque, ne id conſuetudini meæ potiùs, quàm huius diſputationis magnitudini attribuere velis. Libenter enim, quæcunque tribui dignitati, fidei, auctoritati tuæ velis, concedam omnia: neq; committam, vt tuam ſententiam propter ſingulare meum de animi tui prudentia iudicium, ſpreuiſſe videar, ſed tamen ſuſtinebis me quoque aliqua in parte conformare eam, vel emendare: nó quò prudentiam tibi oſtentem meam, ſed vt ex me quid alij ſentiãt, cognoſcas. Quanquam egò non ingrato animo, ſed

ſed obſtinatione quadam ſentétiæ à tuis diſſentiam conſilijs: malo tamen prudétiæ hic, quàm vel amicitiæ vel conſuetudinis noſtræ iacturam aliquam facere. Non hæc partiendę inuidiæ, ſed communicandæ laudis cauſa loquor, laboris mei partem nemini impono, laudis verò bonis omnibus. Valdè venuſta eſt illa inuidiæ ambitionisque deprecatio apud Ciceronem actione quinta in Verrem: Non „ me herculè, inquit, criminis augendi cauſa „ dicam: ſed quem accepi ipſe oculis animoq; „ ſenſum, hunc verò apud vos, & vt potero pla „ niſsimè exponam. Nihil his formulis frequẽtius eſt in Ciceronis ſcriptis.

Qui bene dicendi artem literis tradunt, valde laudãt eam figurã, quæ Græcis πρόληψις, Latinis occupatio & pręſumptio appellatur, propterea quòd nos admonet præuidendum animo eſſe, quæ hominum de nobis ſint iudicia: & eorũ vſus maximus eſt in omniũ cauſſarum prooemijs: quorum vt cõmunes quaſdam, de captanda beneuolentia, attentione, & docilitate præceptiones Rhetores tradũt, ſic erit non inutile fortaſſe vel ad ſubleuandum, vel excitandum ſtudioſæ iuuentutis conatum, in explicandis expurgandi excuſandique formulis prooemiorum apparatum aliquem ceu locos quoſdam communes indicare. Nam & hanc diligentiam, cùm olim Lutetiæ Gallorum mihi ingenia optimarũ artium ſtudijs excolenda ſuſcepiſſem, deſiderari à multis animaduerti. & illa demum laudabilis, prudens atque honeſta exordiẽdi eſt ratio, *Quæ in exordijs ſint obſeruãda.*

ratio,quæ ſuſcepti officij cauſam excuſationemq́ue habet:ne qua in laudãdo aſſentatio & popularis rumor,in vituperando inuidia, in ſuadẽdo cupiditas,in accuſando ſimultas, in defendendo gratia quæſita videatur.

LOCI ALIQVOT COMMVNES exordiendi per prolepſim in genere Demonſtratiuo.

Loci communes exordiẽdi.

IN epiſtolis laudatorijs hæc ferè exordiendi proponitur ratio. Scribimus enim vel ad eum,qui cum nobis ſtudij,vitæ, voluntatisq́; conſtituta eſt ſocietas:vel cuius nunc primùm amicitiam,beneuolentiamq́; cõtrahere conamur:aut aliorum literis reſpondemus.Non eſt difficilis ad eum ſcribendi ratio,qui iam ante ad noſtram ſe beneuolentiam contulit:propterea quòd illius erga nos animus nobis eſt cognitus, & quaſi perfecta beneuolentia.Minor etiam aliquantò eſt cura reſpondendi. Nam & ſcribendi nobis argumentum affertur, & amplificationis loci ex cauſa ipſa naſcuntur.Cùm ad ignotũ ſcribimus, erunt omnia epiſtolæ argumenta ex cauſæ ipſius neruis ac viſcerib⁹ potiùs, quàm ex communibus Rhetorum præceptis ducenda:atq; ita quæſita demum & deliberata cauſa cõſulendi loci communes vel ad ciuilem fauorabilemq́; aliquem ingreſſum, vel beneuolentiam captandam. Eiuſmodi fortaſſe erunt.

Incredibilis meus erga te amor, aut conſtans potiùs perpetuaq́; mea præſtantis ingenij tui,

nij tui,prudentiæ,atque laudis admiratio,vt ad te ſcribam me impulit:vicitq; naturę meę cùm pudorem,tum moderationem. Nā cùm libenter eorum ſuffragari soleā dignitati, quorum laus cum Reipublicæ coniuncta eſt ſplendore,tum multis de cauſis à me es laudandus,& propter ſingularem tuam erga me beneuolentiam valdè amandus,&c.

Natura ferè comparatum eſt,vt quarum rerum gloria ipſi ducamur,in quib' eæ præcipuè laudentur, eorū nobis conciliare beneuolentiam ſtudeamus. Habet enim gratiam alienæ virtutis cōmendatio : & ipſe ille liberalis honeſti amor beneuolentię inter nos ſtudium concitat atque auget.

Nulla firmior eſt amicitia,arctiorque vitæ ſocietas,quàm quæ ex morum ingenijque ſimilitudine paratur : eoque fit, vt qui in eundem laudis ambitum incumbant, mutuò ſe ament, communique laudis ac gloriæ ſtudio faueant atque gratulentur. Quod in cauſſa fuit,vt cùm te,&c.

Cùm ea ſit admirabilis virtutis tuæ magnitudo,omnium vt animos ad te ſtudiosè amplectendum concitet atque impellat,mirari non debes,&c.

Cùm omnes,qui in aliqua ſtudij laude verſantur, gloriæ tuæ mirabiliter faueant, non potui non declarare, quæ mea erga venerationem tuam eſſet voluntas.

Et antea virtutum tuarum pulchritudine

mirabiliter ſum accenſus,& noua laudis tuę, quæ indies magis ac magis efflorefcit, acceſſione ſic afficior, vt totum me ad rationes tuas adiungere cogar.

Qui antea tecum mihi communi quadam virtutis voluntate conſtitutus fuit amor, is plurimis poſtea à tuis in cōmunem Rēpub. officijs auctus in ſummam accreuit beneuolentiam. Sic enim in omnem ampliſsimarum rerum gloriam incumbis, vt cùm cæteros in ſummam maximarum virtutum tuarum admirationem cōuertas, tum verò me ad te colendum amandumq́; excites, atq; impellas.

Si virtutis proprium eſt optimorum hominum animos atque voluntates cōciliare, ſperare licet noſtram eam gratiam firmiſsimam fore, quæ non vulgaribus officijs, ſed naturæ conciliatione primùm inita, & meo perpetuò de pluribus tuis virtutibus iudicio eſt confirmata.

Si nullus iuſtior eſt honos, quàm qui viris claris propter magna in Remp. merita debetur, facilè agnoſco, quantū omnes, qui Rempub. ſaluam eſſe cupimus, tibi debeamus.

Cùm nulla ſit neque iuſtior, neque grauior neceſsitudinis amicitiæq́ue cauſa, quàm animorum ſtudijq́ue coniunctio atq; ſocietas, mirari non debes, ſi meis his literis occupationes tuas grauiſſimas interpellare audeam.

Quod ante hunc diem nullas ad te literas dederim, in cauſa fuit, quòd meæ imbecillitatis conſcientia deterritus, in tuam me conſuetu-

ſuetudinem, quam meus mihi pudor clauſit, non fui auſus inſinuare.

EXORDIVM EPISTOLAE AD amicum.

ANnotauimus ſuprà facilē eſſe ad eum ſcribendi rationem, qui nobis iam antè aut officiorum, aut cognationis neceſſitudine eſt conciliatus. Si quis tamen prę ceptiones communes requirat, erunt eiuſmodi quidam exordiendi loci:

Quanquam non ignorem, omnia te dignitate metiri ſolere potiùs, quàm amicorum vel iudicio, vel laudis ambitione: faciendum tamen mihi putaui, vt me cognoſceres cùm dignitatis tuæ fautorem, tum verò laudis amplificatorem. Hoc enim me & Reipublicæ, quam tu illuſtri omnium virtutum exemplo quotidie ornas, & noſtræ neceſſitudini debere ſemper iudicaui.

Cùm omnes, qui de gloria ac vitæ ſplendore cogitant, magnam tibi debeant venerationem, tum à me tibi vel propter communis beneuolētiæ cognationiſq; neceſſitudinem, vel tua in me maxima beneficia, omnia officia debentur.

Si mihi non tecum grata amicitiæ vetuſtas, quotidiana vitæ conſuetudo, ſumma verò propter plurima tua in me officia neceſſitudo intercederet, nullum tamē poſſem pro meo de excellentis naturæ tuæ bonitate iudicio, prædicandi tui dimittere tempus.

Magnam capio animo delectationem ex ea laudis tuæ nobilitate atque prædicatione, quam tibi admirabili conſenſu docti omnes attribuũt. Sic enim afficior, vt cùm antea affinitatis vinculo tibi eſſem obſtrictus, nunc etiam tua magis gloria, quàm rebus meis omnibus delecter, gaudeamq; occaſionem mihi datam, omnia mea ad nominis tui amplitudinem ſtudia conferendi.

Cùm eſt omnis veterum officiorum iucũda recordatio, & grata memoria, tum is fructus eſt ampliſſimus, quem è recenti optimi cuiuſque laude capimus. Habet enim & nouitas gratiam, admirationemq; ſingularem, & acceſſio luculentam vtilitatem.

Quod mihi pro mea ſumma in te venerationecurę fuit, vt nominis tui gloriã chariſſimam mihi eſſe intelligeres, id mihi aliquãdo faciendum fuit. Ea enim eruditionis, prudentiæ, atq; humanitatis tuæ publica eſt cõmendatio, nemo vt vir bonus ſit, qui non gloriæ tuæ faueat atque congratuletur. Eiuſmodi loci facilè petentur ex Rhetorum præceptis.

EXORDIVM DECLAMATIONIS.

EADEM eſt exordiendi ratio in declamationibus, inuectiuis, & concionibus, quã ſupra in Epiſtolis oſtendimus: niſi quòd & breuius & ſimplicius in Epiſtolis omnia tractentur. In concionibus verò ad conciliandã vel retinendam multitudinis beneuolentiam, omnia & copioſius & illuſtrius explicantur.

cantur. Adferenda enim conſilij ac voluntatis noſtrę ratio cum honeſta aliqua & liberali officij commendatione, & προλήψει nonnunquam tacitæ inuidiæ, arrogantiæq́; atq; iactationis ſuſpicio eſt amouenda.

Loci eius ſunt à { Perſona & rebus,
Inſtitutis veterum,
Officio,
& eiuſmodi circumſtantijs. }

Arduum & imprimis difficile eſſe, eius hominis laudes oratione complecti, qui omnē laudis nobilitatem virtutis magnitudine ſuperauit: vt ſi ad hunc modum exordiaris.

Πρότασις κατὰ τὴν πρόληψιν.

Quanquam difficile eſt & arduum, eius hominis laudationem complecti, qui in omni laudis genere maximè floruit, & qui omnium excellentiū virtutū admirationē in ſe conuertit: nulla tamen pudoris ratio hanc meam operam officijq́; religionē vel defuncti honori ſupremo, vel amicorum voluntati debitam potuit detrectare.

Αἰτία.

Nam & ea me præclaris illius in me beneficijs, quæ optimo cuiq; prę̄ſtanda ſunt, debere intelligo: & optimorum hominum negligere voluntatem eius eſſe arbitror, qui nullam ſuperbiæ ingratitudinisq́; metuit reprehenſionem.

Ἀπόδοσις.

Quod eò feci libentius, quò clarius illuſtriusque virtutum omnium exemplum in huius viri prędicatione cunctis proponitur.

Ἀξίωσις.

Quando igitur aggredior rem magni nominis, magni exempli, gloriæ, nouitatis, peto à vobis, vt veſtram mihi attentionem, beneuolentiamq́; accommodetis.

Aliud.

Cùm omnis præclariſſimorum hominum virtus illuſtri gratia excipiatur: tum eorum iucunda laus eſſe ſolet, quorum animi prudentia conſilijq́ue magnitudine Reip. dignitas eſt conſeruata. Nam & ſuam quiſque fortunam iucunditatisq́; ac vitæ ſenſum cum Rep. coniunctum eſſe putàte, & ij demum in quadam gloriæ nominiſq́ue æternitate viuere creduntur, qui pro Repub. otium deuouerunt ſuum.

Nulla re homines ad omnia honeſti officia vitæq́; dignitatem amplectendam magis excitantur, quàm excellentium virorum laude atq; æmulatione, &c.

Natura adfert, vt omnes, qui de nominis noſtri gloria atq; Reip. ſalutē cogitamus, alienæ virtutis prædicatione ad res præclarè agendas impellamur atq; excitemur.

AB INSTITVTIS VETERVM.

Multa ſunt & præclara veterum inſtituta, P. ampliſs. nihil tamen præclarius ad laudis atq; gloriæ ſplendorem excogitari potuit, quàm optimorum vt virorum laus publica haberetur. Nam & prꝑſtantiſſimus quiſq; gloriæ, qua ſola vitæ breuitas compenſatur, cupiditate maximè ducitur: & perirēt maximarum virtutum ſtudia, niſi in poſterum animus

mus laudis ac famæ prædicationem præſenti ret. Nullus enim pro Repub. labor, nulla pro patria vitæ dimicatio, nullum in omni laudis genere ſtudium, ſi ignobilis optimarum virtutum commendatio eſſet, poneretur. Itaque &c. Si bene præclareq́ue de rebus humanis mereri videntur, qui illuſtrium virorum propoſito exemplo ad laudis atque honoris ſtudium alios prouehunt atque impellunt, ſperare mihi bene de veſtra erga me cùm beneuolentia, tum attentione licet. Eum enim in hac mea oratione laudãdum mihi ſumpſi, in quo ſecuti virtutum omnium ſunt exempla, ita præclara eius facta nec memoria conſequi, nec oratione complecti poſſum, quare genera ipſa tantùm attingam, quãdo vox me citiùs, quàm orationis defecerit argumentũ. Nullum maius aut excellẽtius eſt beneficiũ, quàm quarũm rerum gloria Reip. decus continetur, earum ſtudijs vel exẽplo iuuentutis animos ad omnem virtutis pulchritudinem inflammare.

LICEBIT ET AB OFFICIO EXordiri: ſitq́ue tale exemplum laudationis perſonarum ab officio & cauſa magnitudine.

ETſi vereor, auditores humaniſſimi, ne propter eruditionis egeſtatem, puerilisq́ue linguæ lubricum, temerè ac impudenter facere videar, qui in hunc doctiſſimorum hominum cœtum dicturus conſcenderim,

rim,mea tamen de veſtra humanitate opinio, fiduciam mihi adfert, bene de vobis vniuerſis ſperandi.

Αἰτία.

Nam cùm hic locus omnibus ijs pateat,qui ſuam ad Reip.decus & optimorum hominũ laudationem conferre induſtriam ſolent,ſperabam mihi quoque veſtram beneuolentiam non defuturam. Et ea cauſæ huius dignitatis laudationiſque eſt amplitudo,vt inde plurimum honoris & patriæ communi, & vobis omnibus adferatur.

Ἀπόδοσις.

Cùm verò eorum, qui in optima Repub. ampliſſimis honoribus ſunt perfuncti, æmulatione libentiùs ad omnem dignitatis ambitum incendamur, video cauſam eſſe, & huic tempori opportunam,& vobis non iniucundam,&c. Hic cauſæ argumentum paucis indicabitur.

Πρόληψις tacitæ reprehenſionis.

Quod tamen me in nullam mei commendationem facientem, neque quo popularem gratiam, quæ iuſtam virtutis laudem ſæpè corrũpit,ambitiosè aucuper, ſi veſtra facilitate alleuaueritis,intelligetis nimirùm, neq; in dignitate veſtra amplificãda,neque in publicis communis patriæ honoribus augendis induſtriam meam vobis vnquam defuturam.Quare à vobis peto,&c.

LOCI

LOCI ALIQVOT COMMVNES EXordiendi in genere Demonſtratiuo rerum & factorum.

RHetores in hoc genere breuiora exordia eſſe oportere præcipiũt, propterea quod ipſa rei, quę laudatur, vel facti dignitas popularem fauorem meretur.

Ab officio plerunque vel ad excuſationẽ vel commendationem, vel beneuolentiæ cõciliationem acquirendam exordimur. Quod quoniam frequentius fit in genere iudiciali, referimus illic aliquot locos communes.

A REI DIGNITATE ATQVE vtilitate.

CVm multæ præclaræ res ſint, quibus vel Reip. amplitudo illuſtratur, vel vitę dignitas retinetur, tum nihil ad inſtituendos mores efficaci⁹ fingi poteſt, quàm vt præclariſſimorum hominum fortibus conatib⁹ propoſitis, iuuentutis induſtria ad omnem laudis pulchritudinem excitetur.

Nam & præſtantiſſimorum virorum laudatiſſimis exemplis optimus quiſque vehementiùs, quàm nudis philoſophorum præceptis ad Reipublicæ decus, ad laudem atque res præclarè agendas inflammatur. Et ipſa illa fortium factorum æmulatio, ceu quibuſdam virtutis ſtimulis, vt in laudis æternitatem incumbamus, nos hortatur atque impellit. Itaque, &c. Hîc enim explicabitur rei ipſius ſumma quædam & illuſtris dignitas.

A CIR-

A CIRCVNSTANTIIS LOCI VEL temporis, per quandam querelam.

QVod mihi in votis fuit, P. ampliſſ. vt ſi meas rationes ad earum rerum, quibus communis patriæ ſalus retineretur, amplitudinem conuertiſſem, daretur aliquando mihi occaſio mei erga vos animi declarādi, id mihi hoc tempore propè neceſſarium eſſe videtis. Nullū enim poſt hominum memoriam tempus extitit, quo rariora omniū virtutum exempla in hac Rep. & quaſi ſeneſcente Romani nominis laude fuerint. Incidimus enim ſiue fato, ſiue culpa noſtra, & virtutum neglectione, in eam veteris diſciplinæ perturbationem, vt pro labore deſidia, pro induſtria ignauia, pro laudandiſſimarum artium ſtudijs fœda animi corporíſque vitia in Rempub. inuecta eſſe videantur. Vt igitur à communium officiorum religione dilapſam iuuentutem in auitam laudis poſſeſſionem reſtituam, volui ex hoc loco, &c.

A MAIORVM INSTITVTIS.

CVm veſtra Reſpub. P. ampliſſ. maiorum inſtitutis, prudentia, admiratione abundet, tum nihil præclarius ad laudis atq; gloriæ ſplendorem inſtitui potuit, quàm vt hoc ex loco præſtantiſſimorum hominum excellentia & fortia facta iuuentuti proponantur amplectenda.

Laudaturi virtutem aliquam, aut eam artem, cuius profeſſionem ſuſcipimus, frequentiùs

tiùs ferè exordimur prolepticôs ab officio: & nouitatis inuidiam longa oratione amoli mur, hôc quaſi modo.

πρότασις.

Et ſi infirmitatis meæ conſcientia non mediocrem mihi, quale de me iudicium facturi ſitis, ſolicitudinem adfert, veſter tamen liberalis conſpectus, vt magno fortique ſim animo, hortatur. Cùm enim iam inde à primo ætatis meæ deflexu in eam cogitationem incubuiſſem, nihil vt expetendum præter honeſtatem eſſe mihi perſuaderem, putabam hunc mihi vel ad gratiam, vel ad ſtudij commendationem ingreſſum vnicum patere, ſi ipſe naſcentis virtutis expectationem aliquam de me excitarem. Quod vt facerem, ſuſcepi, &c. Hic vtilitas rei, vel facti paucis laudabitur.

Πρόληψις.

Qua tamen in re non ita mei ignoratione laboro, vt neſciã honori meo conſultum rectiùs fuiſſe, ſi me liberum inuidia, qua fortes excelſique conatus non caruerunt, inter priuatos cõtinuiſſem parietes: propterea, quòd certorum hominum odio in eam incidimus miſeriã, vt quoties præclarè faciamus, toties audiamus malè. Sed me tamen vicit cùm mea de veſtra humanitate opinio, tum etiam optimorum hominum voluntas. Itaq; animum ſuſcepti oneris magnitudine ſtupentem, ipſe colligam: & quemadmodum nauiculatores faciũt, qui in altũ mare euecti artis eſſe putãt,

cùm

cùm perueniendi quò contenderant, ſpes adimatur, minore tamen cum periculo tempeſtati obſequi: ita mihi ſatis fuerit, eum me honeſtiſſimum præſtitiſſe conatũ, qui vt omnibus in rebus ſuam habet laudem, ita eum mihi ad gratiã ſuffecturũ confido. A vobis igitur pro mea perpetua in vos veneratione atq; volũtate omni gratia contẽdo, vt mihi &c.

Tale quoque exemplum in publica artis cuiuſdam profeſſione eſſe poterit:

Si quis fortè nunc adſit, V. O. ignarus conſuetudinis, facilitatis, beneuolentiæ erga eos omnes meæ, qui inflammato ſtudio ingenij ſui vim omnem ad pulcherrimarum rerum laudem atque gloriam conuertunt, miretur profectò, quæ tanta ſit animi magnitudo, vt in prouehendis communibus literis nullum vitæ ſpiritum tranquillum ducam: neq; tamen ambigat, quin naturæ meæ facilitas, officij religio, pudoris ratio, optimorum hominũ voluntati fuerit conceſſa. Idẽ, ſi depoſita ambitione liberè ac verè de hac mea voluntate exiſtimare voluerit, ſic conſtituet neq; deſcenſurum me ad huius profeſſionis amplitudinem fuiſſe, ſi, quorum pręſtabili eruditione ſcholæ huius celebritas illuſtratur eorum mihi auctoritati vllum honeſtum ſtudium detrectare licuiſſet: neque cùm ſemel deſcenderim, aliud captaturum, quàm meos vt conatus animorumque ſenſus ad augenda ſtudia veſtra conuertere dicar voluiſſe. Cùm enim eorum, qui hoc à me contenderunt, ſit ferè nemo, cuius non extet in me

ſuum

ſuum beneficium,cui non ſum obſtrictus beneficij memoria ſempiterna , intelligebam integrum mihi iam nõ eſſe, vt quos olim nulla re alia, quàm honeſtæ voluntatis conſciẽtia adductus labores ſuſcepiſſem,eos nũc propoſito honore delatos deponere : ne ſi optimorum hominum negligam voluntatem, ſuperbiæ culpa,inhumanitatiſque contracta videatur. Et cùm ingenij mei induſtriam in earum amplitudinem libenter pónere ſoleam , qua re gloria,vitæ dignitas retinetur,vel laudis ſplendor illuſtratur,facilè ſum paſſus in priſtinum me dicendi mórem vel reijci vel relabi : ſuſcepique quod imponebatur onus , non tam perueniendi, quò me vocatis fiducia,quã progrediẽdi,quátum poſſem,volũtate.Malo enim, cùm in hac perdifficili & lubrica dicẽdi ratione,& ſicut nouitatis,ita inuidiæ pleniſſima obeunda optimorum hominum ſtudio ſim obſecutus, ſuo ipſi de me iudicio,ſi conatus hic me' ſucceſſu deſtituatur , aliquid detrahant, quàm ſi illis defuero,beneuolẽtiam erga ſe meã deſiderent vel voluntatem.Neq; tamen huius mihi arrogantiæ inſolentiam ipſe impono, vt cùm omnia hic auguſtiora ſint,quàm quò conatus mei imbecillitas aſpirare poſſit,veſtræ me expectationi ſatisfacere poſſe confidam, ſed quò huius ſtudij argumento declarem,omnia mea ſtudia cum dignitate veſtra eſſe coniuncta. Hæc ſi mihi cauſa non eſſet, tamen rei ipſius,quæ à me ſuſcipitur, dignitas, cuius ſplẽdore omnis antiquitatis memoria,

omnis

omnis vitæ propugnatio ac Reip. decus continetur, hunc mihi laborem imponere poſſit, &c.

RATIO AGENDI GRATIAS.

INitio epiſtolarum, aut etiam orationis vtimur aut recta gratiarum actione, aut obliqua. Nam aut agimus, vt magnis officijs acceptis reſpondere velle videamur: aut declaramus conſtantiorem amicitiam maiuſque beneficium eſſe, quàm vt gratiæ agi debeant. Eruntque eiuſmodi recti exordij formulæ.

Multæ ſunt cauſæ, quamobrem exiſtimẽ ad referendam gratiam tibi me nunquam ſatisfacturum, ad prædicandam verò & tribuendam, aliquãdo eſſe fortaſſe ſatisfacturum. Expertus enim in te ſum cùm gratiſsimi hominis beneuolentiam & amiciſsimi fidem, tum verò prudẽtiſsimi in meis periculis pro pulſandis conſilium. Itaque eò referenda omnis cogitatio mea, vt tuæ erga me pietatis atque officij referas fructum.

Incredibilem tuum erga me amorem, ac ſtudium ſingulare, vt libenter agnoſco, ita ſtudio colam ſempiterno.

Quòd tuam mihi obſeruantiam, liberalitatem, beneuolentiã nouo humanitatis exemplo declaraueris, & gratias ago immẽſas, & quandiu vitam hanc egero, habebo.

Quibus tibi verbis gratias agam, non reperio. Sunt enim in te omnia auguſtiora illuſtrioraque, quàm quò conatus mei infirmitas aſpirare poſſit. Itaque cùm parem beneuolen

lentiam nauare nõ poſſim, ſtudium tibi meũ vel agnoſcendo, vel prædicando beneficio libenter declarabo.

Quanquam libenter tibi & gratiſſimo animo gratias habeo, tuum tamẽ ſtudium, quod mihi in rebus meis omnibus conſeruandis plurimùm detuliſti, non tam mihi nouum atque iucundum, quàm gratum & neceſſarium fuit.

Et ſi nulla oratione par tuis promeritis gratia haberi poteſt, malo tamen tuis me beneficijs victum confiteri, quàm eorum, quæ acceperim, diſſimulatione haberi ingratus.

Multis in rebus cognitum mihi eſt, quotidiè pro mea dignitate fideliter atque honorificè à te dici fieriq; multa, nihil tamen mihi ex omnibus beneficijs gratius fuit, quàm quòd, &c.

Si parentes chariſſimos habere debemus, quòd ab ijs nobis vita tradita ſit, debeo tibi quoq; plurimùm, cuius beneficio in ampliſſimum honoris gradum ſum adductus. Nam neque gratior cuiquam vita, quàm honos eſſe debet, ſine quo omnis ignobilis, obſcura, & ingrata eſt viuendi ratio.

Quod tam præſtanti in me beneuolentia, & diuino quodam ſtudio eſſe volueris, dici non poteſt, quantam apud me gratiam merearis.

Ea eſt liberalitas, beneuolentia, benignitas erga me tua, vt quum in rebus tuis ornan-

dis fecero omnia, aut plùs etiam, quàm vſus meus ferat contendero, minùs tamen aſſequar, quàm tibi me debere intelligam.

EXORDII EXEMPLVM.

EXimia veſtra erga me beneuolentia, dignitatiſque amplitudo, qua ſtudia mea hodierno die in maximam honoris pulchritudinem adduxiſtis, viri clariſſimi, cùm certum mihi benignitatis veſtræ argumentum fidemq́; faciat, tum verò ipſius honoris ſenſu obſtupefacit, ac metu quodam curaque ſolicitat. Vereor enim ac pertimeſco, ne in tanta veſtra vel ingenij laude, vel fortunæ amplitudine, vel gloriæ admiratione, veſtrã benignitatem vllo ſatis amplo honeſtoque beneficio deuincire queam. Et hoc mihi magnopere metuendum eſt, vt quoniam ſingulari ac incredibili fauore ſtudij mei profectũ & decurſum confirmaſtis, ego non perinde expeditus, vel in agnoſcẽda, vel in referẽda fuiſſe videar gratia. Siquidem arduum in primis eſt magnis & immortalibus beneficijs parem gratiam referre poſſe, & iuxta Heſiodi præceptũ, quę vtenda acceperimus, maiori menſura reddere fertilium agrorum exemplo. Et fidei tamen noſtræ conducit, in loco & tempore beneficium rependere: propterea quòd nullum officium referenda gratia eſt magis neceſſarium. Quare mihi tot & tantis veſtris beneficijs obſtricto neceſſariò petenda eſt venia, vt ſi vobis parũ cumulatè gratias egero, nę meæ naturæ potiùs, quã ve-

ſtri beneficij magnitudini id tribuendum exiſtimetis. Quæ enim tanta eloquentia, quæ tāta ingenij vis, tanta vbertas omni eloquentiæ genere affluens eſſe poteſt, qua gloriæ veſtræ ac beneuolentiæ magnitudo non modò oratione ornari, ſed enumerari poſſit? Declaraſtis enim incredibilem & omni memoria inauditam veſtrorum animorum manſuetudinem, &c.

OBLIQVA EXORDIENDI RATIO.

SI putarem ad referendam gratiā, vel prædicandam ſatisfacere me poſſe, multis tibi verbis gratias agerem. Nunc verò cùm noſtra amicitia perpetuaque beneuolentia verbis creſcere non poſſit, nolo in prædicanda tua benignitate officioſus videri.

Cùm meritorum tuorum amplitudinem mutuo officio amplecti nequeam, nō putaui committendum mihi eſſe, vt agendis gratijs beneficium reponere videar voluiſſe. Magnā hi loci cum ſuperioribus habēt cognationē.

Finem epiſtolarum, quibus gratias agimus, his ferè clauſulis facimus illuſtriorem.

Quare ſi mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias atq; pias propinquitates in tua obſeruantia, ſtudio, indulgentia, aſſiduitate vincam. Hoc certè tibi polliceor, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum & defenſurum.

Tibi igitur, quòd ſic de me ſis meritus, perſuadeas velim, in tua me voluntate perpe-

tuò futurum, nullamque rem eſſe minimam, quę ad te pertineat, quę non mihi charior ſit, quàm meæ res omnes: idque cùm ſentiam, ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum, re quidem ipſa ideò mihi non ſatisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum.

In rebus tuis me omnibus pari ſtudio & volũtate, qua fortunas meas auxiſti, futurum cognoſces: nec modò gratiam habiturum, ſed etiam cumulatiſſimè redditurum.

Si quibus té rebus ornare poſſim, mihi ſignificaueris, reddam cumulatè debitum tibi officium, nullaque mihi tui amplectendi colendique voluntas deerit.

Si qua mihi detur occaſio res tuas amplificandi, elaborabo omnes vt intelligant à me habitam eſſe rationem cùm beneficij, tum dignitatis tuæ.

In referenda gratia hoc tibi repromitto, ſemperq; præſtabo, mihi neque in rebus tuis augendis diligentiam, neq; in periculis propulſandis animum, neque in negotijs induſtriam, neque in amicitia conſtantiam fidemque tibi defuturam meam.

Hoc tibi velim pro mea in te veneratione perſuadeas, nullam eſſe gratiam, quam vel non capere animus meus recipiendo, vel remunerando cumulandoque illuſtrare poſſit.

In concluſione hoc ferè ſequimur, vt ſine ſuperba, aut ambitioſa rerum noſtrarum iactatione polliceamur viciſſim nos omnis for

tunæ

tunæ noſtræ communitatẽ meritò facturos: aut ſi reponendi beneficij facultate deſtituamur, animum tamen noſtrum beneuolũ propenſumq́ue conatum pollicebimur.

EXORDIVM GENERIS DELIBERATIVI.

EXordiendi rationem eam optimam eſſe iudicauimus, quę prolepſin tacitę reprę henſionis ad diſſimulandam arrogantiæ cupiditatem haberet. Qualis eſt illa lib. 4. Epiſt. ad M. Marcellum in primis venuſta. Etſi eo te, inquit, adhuc conſilio vſum intelligo, vt id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quòd ea te ſapientia eſſe iudicem, vt meum conſilium non antepo nam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & ſumma erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia cognita eſt, me hortata eſt, vt ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate. Nos etiam exemplum ſuaſoriæ vel adhortatoriæ epiſtolæ inſtituendæ ſimpliciter iuuentuti ſubteximus.

Quanquam te pro animi tui altitudine nõ arbitror monitis meis & præceptis egere, vt tamen me quoque de dignitate tua cogitare intelligeres, putaui hæc pauca ad te ſcribi oportere. Quod certè amore impulſus feci, non quò prudentiam tibi oſtentarem meam, quod eſſe arrogantis videri poſſit, ſed potiùs vt meæ erga te obſeruantiæ ac voluntatis ſignificationem aliquam facerem. Nam & dignitati tuæ, quam honeſtiſſimis optimarum

artium ſtudijs paraſti, mirabiliter faueo: & nullum meum in te officium præteriri ſine graui culpæ reprehenſione poſſe mihi perſuadeo. Quare pro ea, quæ tecum mihi conſtituta eſt, officij ac vitæ conſuetudine tibi ſuadeo, & etiam adhortor, vt in eam curam ac cogitationẽ magnis conatibus incũbas, quæ tibi ſummam ingenij famam & nominis gloriam adferat. Neq; committas in hac optimorum hominum de te expectatione, in optima ætate, in ſumma occaſione, vt propter pigritiam ipſe tibi defuiſſe, aut propter deſperationem gloriæ tuæ curſum impediuiſſe videaris. Non enim conuenit, neque iam integrum erit, qui ingenij moderatione ac induſtria certorum hominum inuidiam fregeris, in ipſo nunc honoris decurſu, vel labori ſuccumbere, vel laudi.

Hinc ſequuntur loci communes eius rei, quam ſequendam & amplectendã proponis.

Pulcherrimum quoque exordium erit, vel epiſtolæ, vel orationis, quod ſumptum ſit ab apophtegmate: quale eſt.

Quod Alexãder rex inuictiſſimus ſibi permiſit, qui cùm munera ſua ſperni à Zenocrate Philoſopho intelligeret, reſpondiſſe fertur, Zenocrati quidem regis Alexandri munificentia opus non eſſe, ſibi tamen propè eſſe neceſſarium, vt liberalis in Zenocratem videatur. Idem mihi vel ad gratiam, vel ad huius temeritatis veniam profuturum puto: vt quanquam nullis meis conſilijs egeatis, ego tamen officij mei putem, quæ ad digni-

dignitatem Reipublicę pertinebunt, vos cõmonefacere. Breuia omninò in hoc genere ſunt exordia & veluti inſignes ſententiæ, quarum aliquot iam oſtendimus formulas.

EXPVRGANDI OFFICII RATIO *in exordio generis iudicialis.*

Diuinatio Ciceronis, eiuſque in Verrem actio quinta, elegãtem, illuſtrem, & admirabilem habet officij commendationem locis omnibus amplificatam : & extant in hanc rationem vbique apud Ciceronem pulcherrima prudentiſſimaque exempla. Indicabimus tamen nos aliquot eius locos, ſi fortè noſtra mediocritate atq; conſilio iuuẽtus ad ſtudia eloquentiæ excitari magis poſſit. Sit igitur eiuſmodi exordij locus ab officio ductus, ad demoliẽdam omnem ambitionis inuidiam. Vereor, iudices, ne quod de amicorum ſententia ac voluntate facio, audaciæ potiùs, quàm officium, temeritas, quàm obſequium appellanda cenſendaque videatur. Graue enim eſt, in hac lubrica vitæ ratione, in tantis præſertim hominum ſuſpicionibus, aliorum vitam corrigere, ac repræhendere peccata. Et qui hoc ſibi ſumit, vt nocentiſſimorum hominum ſcelera à Repub. remoueat, nulla re alia, niſi cõmuni virtutis voluntate commotus, is ſibi, ne ab officij religione declinet omnẽ viuendi licentiã pręcidit. Quò etiã grauiùs fero hoc mun⁹ ab ijs mihi impoſitũ eſſe, qui vt hoc ſuſciperem,

cùm iubere ſua auctoritate poſſent, efflagitare tamen maluerunt: effeceruntq; ſuo incredibili erga me ſtudio, vt hoc quicquid eſt officij ampliùs detrectare non fuerim auſus. Qua in re me pcipuè ſolatur, quod nulla gloriæ ac laudis ambitione inductus ad hanc accuſationem acceſſerim: ſed ne fortunæ ac ſanguis innocentium, ne afflicta ciuiũ dignitas in perniciem pertraheretur, opera mea ac diligentia prouidere volui. Non enim conſuetudinis eſt meę, cuiquam in rebus afflictis atque calamitate inſultare, aut intercludere fortunæ perfugium, aut caſum infeſtum obijcere, à qua illiberalitate & natura & ſtudio ſemper abhorrẽs fui: ſed vt conſtantẽ ac fortem optimorum hominum defenſionem cunctis pollicerer, &c. Nõ ſum ignarus, iudices, quàm multæ non obſcuræ ſimultates in accuſando mihi ſint ſuſcipiendæ: quare ſic agam, nullam vt animi mei ægritudinem, ſed quod grauitas me veſtra, quod auctoritas, quod periculi magnitudo poſtulat, ad hanc cauſam videar attuliſſe. Neq; enim in hac tanta communis inuidia ambitione has partes ſuſtinerem, niſi hoc mihi onus honorifica optimorum hominum voluntas impoſuiſſet. Nolim in hac mea actione, iudices, ambitionem, qua ſemper carui, in me quiſquam repræhendat, qui miſericordia adductus, hanc mihi ſolicitudinem impoſui non quò alteri periculum crearem, ſed vt miſerijs leuarem perditas afflictas atque ciuium fortunas. Cauſam ego hanc ſuſcepi, non quò aliquam bonam mihi

gra-

gratiam ex defenſione quæram,aut ſimultatẽ ex accuſatione ſuſcipiam, ſed vt laborioſiſſimam hanc vitæ meæ rationem ad commune Reip.præſidium conuertere videar voluiſſe. In hac ego cauſa ſic mihi rationem conſtare volo, vt in homine innocentiſſimo defendẽdo, cuius mihi omnibus in rebus cognita eſt ac perſpecta innocentia,neque fidei officijq́ue religio, neque cuiuſquam amicitia in confutandis aduerſarijs violata eſſe videatur. Cauſam ego hanc propterea ſuſcepi lubentius,quòd exiſtimarem nihil me poſſe, vel honorificentius ad publicam iudiciorũ famam,vel æquiùs,ad propugnandas ciuium fortunas, vel vehementius ad infringendam certorum hominum audaciam libidinemq́; coërcendam facere poſſe. Magnum fortaſſe onus,& maius viribus meis ſuſcepi:ſed tamẽ eiuſmodi in quo optimus quiſq;, & maximè laudis cupidus omnes neruos induſtriæ contendere debeat. Non autem valde laboro,Iudices, vt huius mei facti rationem cauſſamq́; vobis probem: quem ſi non rogatus, & multis optimorum hominum querelis atque lachrymis à naturæ meæ ſtatu deductus ſuſcepiſſem,ſi hoc à me officij non ij popoſciſsẽt, quorum ego volũtatem negligere,aut aſpernari auctoritatem ſine graui ſuperbiæ crudelitatisq́ue culpa non póſſum,ſi non perpetua vitæ meæ conſuetudo atq; in Remp. voluntas me coëgiſſet,tamen cauſa digna fuit, cur mihi in defendendis ciuibus, vnius hominis impro biſſimi inimicitias appeterẽ. Etenim

multorum mihi pręceptis perſuaſi, qui pernitioſum & improbum Reipub. ciuem in ius vocat, eum laudandũ eſſe ac diligendũ: propterea, ꝙ certam ac perpetuam communis officij ac virtutis voluntatem ſtudiumq́; cunctis profitetur. Et cùm hoc ſępè multi & graues viri ante me fecerint, quorum ego huma nitatis atq; officij exemplum ſecutus, ſpem ſummi pręſidij ciuibus meis proponere volui: non vereor, ne quis non exiſtimet ſummam à me officij rationem habitam eſſe, &c.

Defenſio. In defenſione pulchrè cõmmẽdabitur officij noſtri ratio, ſi dicamus: Cùm in omnium ciuium fortunis propugnandis iuſta neceſſitudinis cauſſa cuiq; eſſe debeat, tum ea etiã neceſſaria eſt, quæ amicorum periculis vel propulſandis, vel retinendis voluntatibus conceditur. Hæc prooemij protaſis ſubiecta deinde ratione probabitur. Nam cùm optimi hominis perpetua in me voluntas amicitięq́; vetuſtas hanc operam requirat, tum verò humanitatis conſuetudiniſq́; magis neceſſaria ratio vt hoc facerem, propemodùm impulit atque coëgit. Declarandum hic, quæ nos cauſſa impulerit. Quòd eò etiam feci libentiùs, quòd hunc virum non admiſsi ſceleris flagitium, non violatæ Reipublicæ ſuſpicio, non ciuium odia, non inimicitiæ cum quoquam ſuſceptæ in fortunarum capitiſq́; vocarint diſcrimen, ſed quòd certi homines hoc nefario impietatis ſcelere agant, vt cuius virtutem in florentiſsima Repub. ferre nequeant, eius ſenectutem, infirmitatem, ſolicitu-

licitudinemq́; extinguant. Creſcit enim inuidia & pathopœa his locis. Addetur ad finē petitio. Quamobrem à vobis peto, ſi optimorum hominum conſenſio & fauor ſemper plurimum contra peſtem ac perniciem ciuitatis valere debeat, vt meo huic in defendendo labori ſtudium veſtrum commune eſſe velit, &c. Hanc exordiendi rationem excipiet locus attentionis à cauſæ magnitudine, &c.

Cùm nulla neque iuſtior, neque grauior neceſsitudinis cauſa eſſe poſsit, quàm coniunctio vitæ atque voluntatis, videor hunc mihi iuſta de cauſa tueri debere. Adductus enim ſum non tam meo officio, quòd optimorum hominum innocentiæ propoſitum ſemper eſſe volui, aut miſericordia, qua hic reus digniſsimus eſt, aut eorum denique auctoritate, qui à me quiduis contendere ſuo iure poſſunt, quàm bonorum exemplo, maiorum inſtitutis, præcipuè tamen huius rei innocentia, cuius ſaluti inuideri eos videbam, qui omnis virtutis hoſtes ſemper extiterunt. Incidunt etiam eiuſmodi loci: Quod ſi non ita iam inde à primæ ætatis meæ ratione vitam inſtituiſſem, vt mihi perſuaderem, laudabilem eorũ omniũ eſſe conatũ, qui pro cõmuni omniũ vtilitate omnes labores contẽnũt, tamen faciendũ mihi non fuerat, vt ornatiſſimi homines, ad quorũ me volũtates tuẽdas ſemel dediſsẽ, hanc à me operã auxiliũq́; amplius deſiderarent. Extat in hãc rationem elegãtiſſimum exordium pro Archia poëta, pro L. Murena, &c.

Cùm omnis mihi ratio ad propellenda optimorum hominum pericula iuſtiſſima ſéper fuerit, tum eius mihi defenſio prope neceſſaria videtur,qui mihi affinitatis neceſſitudine, & multis in Rempubl. beneficijs eſt coniunctiſſimus. Nã & natura affert,vt quos nobis Reip.dignitas, honeſtiſſimique in rebus gerendis labores conciliauerint, eorum periculis permoueamur. Nec vlla ęquior officij ratio eſſe poteſt, quàm eum defendere ac tueri,quē non delicti culpa, ſed falſa quorũdam criminatio oppreſſum in capitis diſcrimen adducere conatur.

Valde prodeſt ad conquirendam rerum inuentionem,ad locupletandam orationem, ad parandum certum quoddam & ſobrium animi iudiciũ, pleraq; Ciceronis exordia ediſcere. Nam & laudabilē locorum communium ad officij commendationem habent inuentionem: & admirabilem cùm rerum & perſonarum, tum verò conſiliorum proponunt dignitatem. Quarum rerum omnium laudem atque imitationem diligenter velim à præceptoribus iuuentuti proponi.

DEPRECANDI.

DEPrecandi formulis vtimur, quoties in criminalibus actionibus & omnibus alijs grauioribus cauſis aut erroris veniam petimus,aut ætatis, impulſionis caſuſque alicuius infeſti excuſatione admiſſi ſceleris culpam deprecamur. Eius formæ quoniam mul-

multæ in epiſtolis,præcipuè verò in orationibus M. Tull.extant, ſubijciemus, quæ ferè frequentiſſimæ ſunt, vt hanc quoque inuentionis ſolicitudinem ſtudioſæ iuuẽtuti adimamus.

Adiuua me quæſo laborantem, & graui aduerſariorum inuidia oppreſſum: alleua hanc mihi ſolicitudinem, qua defatigor miſerè.

Vt patrocinium aduersùs infirmorum hominum perniciem innocentię noſtræ miſeræ atq; afflictæ feras, ſic à te petimus, vt maiore ſtudio, magisúe ex animo petere non poſſimus.

Oro te, ſi qua erit ſpes poſſe ſtudijs bonorum atque ſuffragatione rem confici, des operam, in eamq́ue rem incumbas, vt perpetuam vitæ negotiorumq́ue tranquillitatem tibi feram acceptam.

Te oro, ſi meam in omni vita moderationem modeſtiamq; cognouiſti, vt te mihi hodie auctorem & præceptorem omnium conſiliorum totiuſq́ue vitæ præbere velis.

Ignoſcas oro, fer opem, qui ſpem dare innocenti, qui dolore iuſto moueri, qui cauſæ æquitate adduci ſoles, moueat tua te miſericordia, flectat pietas, alliciat humanitas, in commiſerationem deniq; adducat cùm ſortis humanæ miſeræ & ſemper incertæ, tum communis caſus recordatio.

Noli quæſo tuam miſeris benignitatem claudere, aut conſeruandis hominibus defatigari.

Oro atque obſecro, fer opem Reip. faue innocentiæ, ſubueni ſolicitudini. Quæſo abs te, vt aliquam dolori meo veniam tribuas, & mecum cōtra eos pugnes, qui humanitatem opprimunt, virtutem lædunt, induſtriæ sūt inimici.

Obteſtor oroque vos iudices; vt floreſcentem huius iuuenis induſtriam, quæ firmata virtutis ſtirpe ſe profundit, non ſuſtineatis aliorum hominum oppreſſione peruerti: vt veſtro beneficio tectus atq; conſeruatus, uerorū ſuorum omnium atq; laborum fructus vobis vberes diuturnoſq; pariat.

Peto à te, vt tantum meo dolori & iuſtæ querelę concedas, quātum oppreſſæ virtuti atq; innocentiæ afflictæ concedēdum putes.

Illud vnum te magnopere oro atq; obſecro, ne fictis auditionibus, ne diſſeminato diſperſoq; rumori falſo innocentis nomen atq; exiſtimationem ſubijcias.

Precor ac quæſo, ne me patiamini opibus veſtris deſtitutū miſerrimi mortalis caſum ſubire.

A vobis iſtud peto & rogo, vt quem veſtra laude cohoneſtatis, eundem in vitæ periculis veſtra virtute conſeruetis.

Hoc cùm cauſſę ipſius dignitas à vobis impetrare debet, tū eſt veſtrę virtutis, quorum fortitudine ciuitas propugnata aliquādo fuit, eorum protegere fortunas atq; tueri.

Summa à vobis gratia contendo atq; exigo, ſi neminem iniuſtè læſi, nullius violauerim fortunas, aut offenderim voluntatem, ſit apud

apud vos innocentiæ meæ perfugium, auxilium pudori, ſalus afflictæ & oppreſſæ dignitati.

In oratione pro Murena eiuſmodi eſt: Vos, inquit, pro mea ſumma in Rempubl. diligentia moneo, pro hominis dignitate hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, veſtram denique fidem amici officio adductus, oro atq; obſecro, vt ne hominis miſeri, & animi dolore confecti, & lachrymis perditi fortunam dignitatemq; ab inimicis conuelli patiamini. Vos obſecro quorum poteſtas proximè ad Deorum immortalium numen accedit, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in ſalute prudentiam.

Si tua natura Præſes ampliſſ. pudorem, bonitatem, virtutemque diligit, leua quęſo me in falſa inuidia verſatum.

Iſtud mihi à te impetrare debere videor, vt mea ſaltem religio, fides, omnibus perſpecta exiſtimatio, aliquid apud te momenti habeat.

Vos imploro atque obteſtor, iudices, vt ſi omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationeſq; ad communem ciuium ſalutem, innocētiſſimorumque hominum defenſionem laborauerint: ſi hunc miſerum, afflictum, & infelicem reum cùm acerba fortunæ inuidia, tum pertinax certorum hominum odium oppreſſerit: ſi anteactæ vitæ dignitas & præclara in Rempublicam merita ad culpæ deprecationem plurimum ſemper valuerint, vt quæ mea in hoc defendendo fuerit fides, eadem

veſtra in hoc abſoluendo miſericordia ſit atque pietas.

Veſtræ erit miſericordiæ ac pietatis, iudices, leuare hunc miſerum, afflictum, & in falſa inuidia verſatum reum, iacentem atq; iniquis criminationibus oppreſſum, ad ſpem ſalutis erigere atque excitare: fauere voluntati optimorum hominum, quos hic ſupplices & multis lachrymis huius rei culpam non ſtudio, ſed caſu admiſſam deprecari intelligitis.

Breuis hæc poterit eſſe doctrina à Cicerone tradita, vt principia eſſe velimus verecunda, non elatis intenſa velis, ſed acutè ſententijs, vel offenſionem aduerſarij, vel ad commendationem dicentis. Eſt enim exordium tanquam veſtibulum & aditus ad quamcunque cauſam, quo tanquam prima congreſsione audientium cognoſcentiumque animos conciliamus: quod tamen, vt rectè à nobis adſumatur, cognoſcendum in primis cauſæ genus, ad quod vniuerſa oratio ſit referenda. Narrationes verò credibiles erunt, non hiſtorico, ſed prope quotidiano ſermone explicatæ & dilucidæ. Si cauſſæ ſint tenues, argumentādi quoque tenue filū & in docendo & in refellendo rectè adſumetur, vt quanta ad rem, tanta quoque ad orationem fiat acceſsio. Quum verò cauſſa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ poſsit exprimi, tum ſe latius fundet orator, tum reget, & flectet animos, & afficietur vt velit, id eſt, vt cauſæ natura, & ratio temporis poſtulabit. Indicauimus ferè

pro

pro eius, quod in hoc ſtudium exiguum admodum impendere voluimus, temporis ratione, aliquot communiores omnium cauſarũ generum elocutiones, quarum exemplo alias iuuentus in Ciceronis lectione vel colligeret, vel obſeruaret. Sunt enim infinitæ, nec vnum in locum cogi poſſunt, cuiuſmodi sũt & illæ:

GRATVLANDI.

GRatulor iſtam tibi raram felicitatem: Gratulor, inquit Cicero, tibi, lætorque cùm præſenti, tum etiam ſperata tua dignitate ſerius, non negligentia, ſed ignoratione rerum omnium. Gratulor tibi de maximis & immortalibus triumphis. Omnes iſtã tibi excelſam & admirabilem rerum geſtarũ gloriam gratulantur, perpetuamq; tibi fore exoptãt. Ex gloriæ tuæ amplitudine non minor iucunditatis ſenſus ad omnes nos peruẽnit, quàm laudis ad te perueniat commendatio. Exempla pulcherrima ſunt apud Ciceronem in Epiſtolis: plurima apud Deſiderium Eraſmum Roterodam. in libris de verborum & rerum copia.

VITAM AGERE.

SPiritu aërem ducere. Ducere animam, anhelitũ. Expetere vitam. Exuperare anima: Quamobrem, inquit Cicero, memoriam beneficij veſtri colam beneuolentia ſempiterna, nõ ſolùm dum anima exuperabo mea; ſed etiam cùm mortuò monumenta veſtri in

me beneficij permanebunt. Vitam inopem & vagam perſequi, hoc eſt, vitam miſerè exigere. Vitam propagare. Vita mihi ſuppetit. Vitam ſeruare. Ad ſummã ſenectutẽ peruenire. Vitam viuere, colere. Vitam tranquillè placideq; traducere.

MORTEM OBIRE.

ANimam efflare. Animam agere. E vita abire. Mortuum concidere. Mortem cõcipere. Concidere atque extingui. Homo innocens falſis criminibus oppreſſus, ſtatim concidit atque extinctus eſt. Conſciſcere mortem. M.T. Cicero in Epiſt. Aut capiendus exilio locus, aut conſciſcenda mors voluntaria. A vita per inediam diſcedere. Dolori conſumi. Lateris dolore conſumptus eſt. Naturæ decedere. Ad Attic. Pater naturæ deceſſit. Agere animam. Excedere è vita. Vitam expilare. Vitam cum ſanguine effluere. Salutem extinguere. Inferre mortem. Interſit inter vitæ dignitatem maiorum atque infimorum: mors quidem illata per ſcelus, ijſdem pœnis teneatur & legibus. Mortem inimicus maturabat. Is enim ex hominum vita ad deorum religionem ac ſanctimoniam demigrauit. Mori repetino deſiderio alterius. Habes exempla apud Liui. lib. belli Punici 2. Morte mulctari. Mortem pro patria occũbere, glorioſum & pium eſt. Pro patria bonus quis non dubitet oppetere. Exturbari anima. Mors neceſſitatem habet fati: aut ſi ante omnia oppetenda eſt, oppetatur cum gloria.

ria. Mortem funeſtis manibus adferre. Honeſtam mortem fugiendam, ſæpè etiam appetẽdam putaui.

Expoſui ferè, vt potui, quæ ad comparandũ verborum apparatum pertinent. Nam de reliquis orationis tropis ac figuris, de argumẽtis, aſſumptis, atq; amplificationibus, quoniam earum ratio in rhetoricis præceptionib. à me tradita eſt, nolui longiorem hic inſtituere orationem.

DE QVARVNDAM DICTIONUM ſtructura atque iunctione.

MAGNAE eſt artis & ingenij præſtantis, poſſe in oratione, qua rerum naturas explicamus, verba aptè ſtruere atque illuminare. Nulla enim admirabilior orationis dignitas, quàm quæ dictionum apta iunctione & tanquã certa quadam verborũ conuerſione fit cõtexta, eſſe fingiq; poteſt. Vt enim in corpore humano, ſic in oratione magnam habet deformitatem deprauationemque verborum inepta & deformis ſtructura. Nam & florentem illum orationis impetſi, tanquam ſcopulo obiecto, infringit: & eam, quam ex apta verborum collocatione habitura erat, dignitatem extinguit vniuerſam. Quæ verborum cura, quoniam à nobis hodie abijcitur, fit quoque, vt in dicendo in fantes, in ſcribendo ieiuni atque aridi ſimus. Incidimus enim & ætate, & nimia noſtra

negligentia in eam veteris eloquentiæ perturbationẽ, nullus iam vt ſermo rectus, vel latinus habeatur. Hęc me cauſa impulit, vt explicatis de imitatione ac dicendi vijs præceptionibus, pauca quædam, de apta verborum ſtructura hic præcipiam.

Non }
Nec } ſolùm { Verùm etiam.
Neq; } { Sed eò etiam magis.

Non }
Neque } modò { Sed vix oratione conſeq.
Nõ tantũ } { Sed & animã tibi debeo.

Cicero in dialogo de Oratore. Non ſentẽtijs ſolùm, ſed verbis etiam orationem ornatam eſſe oportet, &, Eijcere ex animo omnes affectiones non modò virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Probam mulierem decet non tãtùm culpa carere, ſed etiam à ſceleris ſuſpicione abeſſe.

Cauſſa nulla eſt {
Quamobrem
Quare } { Mihi iraſcaris,
Cur
Quin
Niſi quòd laudi inuideas.
Vt parua offenſione cõmotus, optimorum hominum voluntatem negligas.

Cùm

Cùm
- Primùm Romam veni, nihil prius faciundum putaui. Cicer. in epiſt. fam.
- Maximè. Vt, Antea plurimũ te amaui, & nunc cùm maximè te diligo.
- Primis. Vir cum primis honeſtus.
- Interea / interim — vtrunque in oratione pro P. Sylla.

Iam
- à prima adoleſcentia.
- inde à principio hui⁹ vrbis.
- ab illo tempore.
- vſque à priſcis temporibus.
- antea petiui abs te.
- nunc admodum delector.
- tunc de ijs cogitare cœpi.

extant in Cice. orationibus paſſim exempla.

Vt
- ita — vt homo es, ita feras.
- Sic — vt res ſunt, ſic animus.
- item — vt de nobis, item de alijs ferè iudicamus.

Item
- atque. Gloria non item affectanda, atque ſequenda.
- vt. Non item boni, vt mali quidlibet ſibi promittunt.

Ita
- Vt. Eſt iudices ita, vt dicitur.
- Quemadmodum. Eſt ita impudens, quémadmodum audiuiſtis.
- Quàm. Non ita doctus, quàm habetur.

Sic
- Quaſi
- Tanquam.

Cic. in dialogo de ſenectute:Literas Græcas ſic auidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens.In Epiſtolis familiaribus. Apud eum ſic fui,tanquam domi meæ.

Tanquam { pro veluti & quaſi
Ita
Si

Cicero in Tuſcul.quæſtionibus.Gloria,inquit,virtutem,tanquam vmbra ſequitur.Pro Sexto Roſcio. Qui,tanquam ſi offuſa Reipublic.ſempiterna nox eſſet,ita ruebant.In epiſtolis.Sic illum ſemper amaui,tãquam ſi frater eſſet meus.

Sicut——item.Cic. Nihil eſt quod cogat homines, ſicut in foro nõ bonos oratores,item in theatro malos actores perpeti,

Item { atque
vt

Non item in comœdijs,vt in tragœdijs animorum motus regnãt. Non ita commoda in quibuſdam mulieribus forma eſt, atq; grata.

Tam——quàm.Tam deeſt auaro,quod habet, quàm quod non habet.Cicero in oratione poſt reditum. Non tam neceſſarium eſt, malè meritis referre quod debeas, quàm vt bene meritos colas.

Tantum

Tantum {vt / quantum.

In epiſtolis. Tantum abeſt, vt nec cogitauerim quidem. Ad Atticum. Nec tantum proficiebam, quantum volebam.

Tanti {vt / quàm quod

Cicero in Officijs. Eſt igitur vlla res tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni & ſplendorem, & nomen amittas? In oratione pro A. Milone. Id quidem non tãti eſt, quàm quod &c.

Tantidem ———— quanti.

Cicero pro Sexto Roſcio. Is voluntatem municipum tantidem, quanti fidē ſuã fecit.

Tantiſper ———— dum: vulgo, donec.

Cic. in epiſt. Tantiſper dum efferueſcat hæc gratulatio.

Similis / Simile / Diſſimile / Similiter {ac / atque / vt} {vt ſi eſſet, &c.

Non ſimilis eſt hodie honorum cupiditas, atq; fuit olim florente Republ. Romana. Qui moderata atque æquabili fortuna contenti non ſunt, ſimiliter faciunt, vt qui in magna tranquillitate tempeſtatem ſubire cupiunt. Cic. lib. 1. Offic. Apud Plat. eſt, ſimiliter facere eos, qui inter ſe contenderent, vter potius Rempub. adminiſtraret, vt ſi nautæ certarēt, quis eorum potiſſimū gubernaret. exempla ſunt vbique frequentiſſima.

Perinde { Vt
Quaſi
Ac ſi
Atque.

Alienas iniurias perinde, vt noſtras dolere debemus. Impudentiæ eſt, quod nunquam factum eſt, perinde, quaſi factum ſit, confirmare. Perinde triumphas, ac ſi iam viceris. Vereor, inquit Cicero in oratione pro M. Marcello, vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio.

Ironiã nonnũquam habent { Quaſi verò
Perinde quaſi } { Exempla non ſunt obſcura.

Alius } { Atque.
Aliud } { Ac.
Aliter } { Niſi.

Ad Lentulum. Non alius eſſem, atq; nũc ſum. Aliud honeſtum iudicas atq; ego exiſtimem. Pleriq; aliud dicunt, ac ſentiunt. In epiſtolis. Ne ſim ſaluus, ſi aliter ſcribo ac ſentio. Cicero in Tuſcul. quæſt. Nil aliud, inquit, eſt diſcere, niſi recordari. Et ſimpliciter hæc dictio aliter vſurpatur pro alia ratione. Cic. ad At. Fieri aliter non potuit, & Res aliter habere ſe non potuit.

Secus } { Ac
Contrà } { Atque
Statim
Confeſtim } { Quàm

Pro L. Murena. Non ſecus, ac ſi eſſet frater. Et ſimpliciter ſine particula vſurpatur. In Piſonem. Rectè an ſecus, nihil ad nos. Cicero pro Pub. Sylla. Iam enim faciã contra, at

que

que in cæteris cauſis fieri ſolet. Ad Quintum fratrem. Factum eſt enim mea culpa contrà, quàm tu mecum egeras. Vlpianus iuriſconſultus dictionem,ſtatim,coniungit cum particulis,atque,quàm: M. Tullius frequentius, ſtatim , collocat cum particula, vt in epiſtolis,Meque ab eo diligi ſtatim cœptum eſſe, vt ſimultatem depoſuimus. Harum dictionum omnium exempla etiam obſeruauit Adrianus Cardinalis: nos ſolùm rem notare voluimus:& veluti monere iuuentutem,quę in orationis elegantia atque dignitate eſſent diligenter obſeruanda.

	Semel	Bis	Ter
Ordinis dictiones hæ ferè ſunt	Primò	Secũdò	Tertiò
	Primùm	Iterum	Tertiũ.

Primum——Deinde——Poſtremò. Cicero in libro de inuentione. Primò quidẽ decipi incommodum eſt, iterum ſtultum, tertiò turpe.Et pro Fonteio.Semel atque iterum ac ſæpiùs. Pro Sext. Roſcio. Iterum ac tertiò nominaui.

Vir eſt	Cùm,tum	doctus	Tum	Probus.
	Tum		Tum	

Vlpianus iuriſconſultus ferè dicit tunc, cùm,in eam rationem , in quam Cicero ſcribit tum , cùm . Vlpiani exemplum eſt in l. 1. Parag. debitum. ff. de conſtituta pecunia. Tenebuntur , inquit, ad eam quantitatem,

quæ tunc fuit in peculio, cùm conſtituebatur. Ciceronis verò eiuſmodi in oratione pro Sylla, Ne, inquit, ſi argueret quidem tum denique, cùm eſſet interrogatus, &c.

Venuſta eſt, imprimis gratia in his dictionibus	Quemadmodum Quo pacto Qua ratione Qua via Quomodo	Quomodocũq; Quoquomodo Quocunque e- Vtvt(nim modo Quibus rebus poſſis.

Exempla huiuſmodi ſunt apud Ciceronem. In Piſonem. Magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum, quã quemadmodum ceperimus, & alibi. Semper, inquit, vigilaui & prouidi, quemadmodum ſalui eſſe poſſemus. In epiſtolis famil. Hæc negotia quo pacto curari poſſint, non ſatis intelligo. In oratione pro Sexto Roſcio. Ego res tam leues qua ratione infirmem ac diluam, reperire non poſſum. De oratore. In hac arte nullum eſt præceptum, quomodo verum inueniatur. In epiſtolis. Quomodocunque res ſe habet, poteris me iuuare. Ad Atticum. Ego legibus tuis quoquomodo latæ ſunt, pareo. In diuinatione: Quo enim modo nos geſſerimus, fit tamen illud, quod futurum eſt. In epiſt. Iuuabis nos, quibus rebus poſſis. Item in epiſtolis. Sed vt vt eſt, inquit, indulge valetudini.

In ora-

In orationis clauſulis
- Quamobrem.
- Quapropter vos oro.P.S.Roſ.
- Quare quando, quare quoniam, &c.
- Itaque. quæ particula dictionem ferè ſemper præcedit.
- Igitur. hæc particula dictionem ferè ſemper ſequitur.
- Cicero:Habes igitur Tubero.
- Ergo, præcedit,& ſequitur.

Non eſt difficilis harum dictionum obſeruatio,ſi mediocris quædam in dicendi ſcribendique vſu diligentia adhibeatur, quæ efficit,vt quàm doctiſſimè & elegantiſſimè loquamur.

DE ORATIONIS COMPOSITIONE, iunctura,ſonis,& numeris.

NOn eſt mediocris laus, cùm ad orationis dignitatem augendam,tum verò ad animi auriumq; iudicium parandum, poſſe verba aptè collocare, ordine diſponere,iũctura vincire, ſyllabis dinumerare.Habent enim admirabilem cùm gratiam,tũ delectationem ſententiæ, quæ ſuauiſſimis verbis,elegante verborum concinnitate, & numeroſa comprehenſione efferuntur. Et ſicut in ſubſtructionibus, aut etiam vilioribus rebus mirificam voluptatem adfert apta collocatio,ita nihil vehementius ad permouendos animorum motus hac orationis conſtructione fingi poteſt : quam vt ſtylus exercitatus facilem efficit:ita eam Cicero vetat nimi-

nimium conciſam aut minutam fieri. Modus igitur,& prudens animi ratio in hanc verborum coniunctionem erit conferenda: quando hæc res vna vel maximè oratorem ab imperito diſtinguit, quòd hic ſine ſtructura, ſine numeris,ſine ſono, magna ſpiritus cũ vehementia inconditè omnia fundit: in illius verò oratione,verborum compoſitio numeroſè & aptè cadit, & veluti orbem ſuum conficit. Indicauimus priore in libro eius aliquot præceptiones. Quare hîc ſolùm capita, & tanquam ἀνακεφαλαίωσιν paucis enumerabimus.

Quintilianus compoſitionem diuidit in ordinem, numerum, & iuncturam. Ordo facilis eſt, in mediocri animi prudentia poſitus, vt verba & res, & quod ferè natura præſcribit,augeantur atq; amplificentur:& ſententia verbo claudatur. Grammaticorum hæc ferè eſt inſtitutio & mediocris quædam obſeruatio.

Cicero collocationis partes facit	Iuncturam, Voces ſonosq;verborũ, Numerũ aptè cadentẽ.

Iunctura in verborum natura atque vſu, in orationis inciſis,membris,& periodis maximè deſiderat diligentiam. Nam & prudentiæ eſt, poſſe rectum verborum & rerum iudicium facere:cùm indocta etiam conſuetudo in hunc ſuauitatis iucunditatisq;, quam verborum concinnitas, conuerſio, & apta iunctu-

iunctura excitat, ambitum incũbere ſoleat. & latè hic locus patet, de quo olim Marcus Varro, ac plerique alij totos conſcripſerunt libros.

Sonus verborum & voces in primis orationis dignitatem ornant. Legenda igitur verba bene ſonantia, non tamen nimium affectata, aut poetarum more ad ſonum exquiſita, qualia ferè ſunt in hoc Virgilij carmine:

Vaſto rex Aeolus antro
Luctanteis ventos, tempeſtatesq́ ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat, &c.

Maior poëtæ, qui vbique carminis maieſtatem quærit, conceſſa eſt verborum libertas. Oratori ſanè verba erunt de medio ſumẽda, quæ tamen nec humilia ſint, nec inſuauia.

Numerus vocum habet dimenſionem, cuius in clauſulis maximum ſit iudicium: eiuſque duplex eſt ratio: alter enim gratam quandam è figura verborum habet cõcinnitatem: alter ſponte ſua ac natura orbem ſuum conficit. Gorgias eos primùm numeros inuenit, qui ex verborum conficiuntur concinnitate. Thraſymachus diligentius, quàm orationis libertas ferat, omnem verborum ſtructuram in minutos redegit verſiculos. Iſocrates totum genus temperauit, ne vel numerorum aſtricta eſſet ſeruitus, vel diſſoluta verborum compoſitio. In hanc rationem, quoniã mirabiliter multa Cicero ſcripſit, debet ſe ad illius ſelectionem percipiendam imitandam-

damque iuuentus conuertere : nos quoque de numeris amplius priore in libro ſcripſimus.

Hęc nobis de imitationis partibus, de conſilio, de materia, de aſſumptis, de affectionibus, de vijs dicendi, de locis aliquot exordiendi, de orationis vinculis atque iunctione de compoſitione, eiusque formis, vt temporis ratio poſtulabat, in communem ſtudiorum vtilitatem exciderunt : in quibus colligendis, vt propter grauem communium temporum conuerſionem, cuius acerbitatē ſtudia noſtra vehementer impediebantur, non multum operæ poſuimus, ſecuti ornatiſſimorum adoleſcentum Pet. Pauli Caragoſſæ, & Rapha, Ioannis Gilij (quos ſtudiorum ſocietas, & ſimilis penè fortuna in eandem pertraxerat perturbationem) honorificam voluntatem, & excelſum in omni ingenij gloria adipiſcenda conatum, ita valdè optamus, vt hæc qualiacunque ſint, prodeſſe poſſint iuuentuti.

FINIS.

EPI-

EPISTOLAE ALIQVOT FAMILIARES EIVSDEM D. IACOBI OMPHALII ANDERNACI

iuriſconſulti imitationis cauſſa adiectæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. P.

QVanquam, pater ornatiſſime, magnã animo delectationem, ex hac tua iucundiſſima cõſuetudine capiam: tamen ſollicitudinem meã omnem deponere non poſsũ. Vereor enim, ne tuæ expectationi, quam meis de ſtudijs ampliſſimam ſemper habuiſti, parum ſatis feciſſe videar. Nam arduum & in primis difficile eſt, magnam præſertim de nobis opinionem concitatam, ſingulari ingenij laude tueri poſſe. Et mihi in hoc ætatis meæ lubrico non ſatis conſtitit ſtudiorum meorum ratio: propterea, quod natura quoſdam adfectus, adoleſcenti noſtræ ætati inſeuit, quibus à recta virtutis via deturbati, in ludum ac otium facilè dilabimur. Itaque erroris mei culpam, etſi deprecari officioſiùs, quàm vel animi tui ſimplicitas, vel naturę moderatio poſtulat, nolo: tamen argumentum aliquod dare volui, propenſę in rebus arduis voluntatis.

Cætera deſunt.

PETI-

PETITORIA, CVIVS IN CIVILIBVS *negotijs ampliſsimus eſt vſus.*

VEreor,ne ingenij parum verecundi videri poſsit,vt cuius mihi gratiam, nullo hactenus fuerim officio demeritus, ab eo tantum petere beneficium, quantũ ſperare non ſim auſus.Nulla enim in hunc vſq; diem,à te mihi data eſt occaſio,qua voluntatem tibi probarem meam . Et quantò plura tua in me humanitatis,amicitiæ, atque beneuolentiæ extant officia,mea contra in te nulla:tantò maiorem mihi tui, nouis precibus fatigandi induo ſollicitudinem. Me tamen, vt pudorem meum neceſsitati cōdonem,hortatur cùm naturæ tuæ moderatio,tum incredibilis quædam morum facilitas, qua tibi optimum quemq; mirificè habes deuinctum. Faciliorémque huius meæ ruſticitatis veniam,vel inde ſpero,quòd noſtra facultas agendis rebus ſufficere ſemper non poſsit, eoque amicitiæ parētur, vt commune commodum mutuis gubernetur officijs. Quare velim, quicquid eius eſt,quod petimus,in eam partem,quam mea in te obſeruantia, tuaque erga me humanitas poſtulat,accipias. *Subiungitur narratio petitionis.* Pari autem animi benignitate ac beneuolentia,qua officium peto , omnia pro tua dignitate ac gratia ſum facturus. Cuius mei erga te animi, ſi quando periculum facere voles,intelliges, cùm beneuoli, tum diligentis amici officium tibi non defuiſſe, modò eiuſmodi ſit,quod præſtare queã. His

meis rationibus, ſi pro tua voluntate ac beneuolentia, gratificari & poſſis, & velis, confirmo, me totũ in poteſtate tua fore. Sin præſtare per occaſionem, aut citra magnam rei priuatæ iacturam, quod efflagito, non poteris, ignoſcam lubenter, nullo nec amicitiæ, nec venerationis ſtudio remiſſo. Eritque æquè grata mihi rationum tuarum commoditas, atque gratificandi voluntas, quando beneficium, qui ex animô benefactum amicò cupit, iam præſtitit.

RESPONSIO AD PETITIONEM.

EQuidem tibi me beneficium non præſtitiſſe, ſed à te petente accepiſſe me puto; qui tam oportunam tui mihi conciliandi occaſionem obtuleris, qua meum ergà te amorem, ſtudium, ac beneuolentiam perſpicere poſſis. Nam cùm omnibus ijs, quorum induſtria in aliqua ingenij laude ac virtute verſatur, meam probare cupio voluntatem, tum verò te, cùm ſtudio, tum amore prouocatus tuo, vnicè amare, propter ſummam animi moderationem, & diligere, pro ea, quam tecum habeo, officij neceſſitudine, debere me profiteor. Neque enim vel amicitia noſtra vllam officij exceptionem patitur, vel ignoſci mihi ſine graui illiberalitatis reprehenſione poſſe exiſtimo, ſi amico homini, & honeſta præſertim petenti, meum præcluderem beneficium, qui ſollicitam mihi omniũ ſtudia demerendi curam mihi impoſuerim. Quæ ſi cauſa te mihi non tecum conciliaret,

tamen vel dignitas tua, vel neceſſaria illa vitæ officiorumque communitas, ſuperbiæ mihi famam inurere poſſet, ſi voluntatem tuam, petitionemque repudiarem. Quare tibi velim perſuadeas, nihil tibi tam coniunctum fore, quàm domum, res, & facultates meas: nihil eſſe, quod tua in cauſa non libenter ſim facturus.

INVITAT AMICVM, AD COMMVnem voluntatis officijq; rationem.

NIſi ea apud me eſſet, cùm ſingularis humanitatis, tum modeſtiæ tuæ opinio, vel potius iudicium, vt planè mihi perſuadeam, neminem omnium, qui honeſtatis laudem amplectatur, à te reijci poſſe, continerem me potius priſtino in ſilentio, quàm meis te prouocarem literis. Nunc, cùm cæteris animi tui præclaris virtutibus, ſingularem vitæ, ſtudiorumque communitatem conſociationemq; adieceris, eiuſque cõmunionem nulli prorsùs inuideas, temperare mihi non potui, quò minus ipſe tuæ me commendarem humanitati. Neque hîc velim temeritatem incuſes meam, quòd nunc primùm tuam ambiam amicitiam: neque neglig ẽtiam, quòd non antea ſcripſerim. nam obrepere ad tuam familiaritatem, nulla præſertim vitæ dignitate, aut ingenij gratia commendatus, non fui auſus, quòd omnia in te auguſtiora illuſtrioraque animo cernebam, quàm meus vt conatus ad ea adſpirare poſſet. Et à ſcribendo me exiſtimatio deterrebat

tua,

tua, cuius magnitudine meam obteri tenuitatem non ignorarem. Fecit tamen experta mihi humanitas, clementiaq́ue tua, incredibili morum liberalitate coniuncta, vt excuſſo pudore ſubruſtico, per epiſtolas tecum agerem, cuius rei peropportunam occaſionem attulit, &c. *Hic adſcribetur occaſio.* De meo erga te animo, hanc velim cogitationem habeas, omnia mea ſtudia, curas, & ſenſus, cum tua voluntate coniuncta eſſe, nihilq́ue in omni omnium officiorum genere fore, in quo tibi diligentiam fidemq́ue meam probare non cupiam. Quod ſi occaſionem mihi dederis, qua tuæ morem geram voluntati, agnoſces eandem animi mei propenſionẽ ac conſtantiam, in præſtando officio fuiſſe, quam nunc in pollicendo præ me fero.

RESPONSIO.

SIngularis quædam naturæ tuæ benignitas, ac incredibilis animi eruditionisq́ue altitudo, eam apud me opinionem conciliauit, quam nullis tuis virtutibus augeri poſſe confidebam. Erat enim dignitatis pleniſſima, & in ſummam admirationem adducta. auxiſti tamen eam non vulgari benignitatis tuæ commendatione, cùm me, quem ſpernere ob ingenij humilitatem poſſis, non literis ſolùm, ſed amicitia condecoraueris. Intelligo itaque quàm exilem humanitatis tuæ partem, ex tam vberi & affluenti virtutum tuarum magnitudine, animo fuerim

complexus. Neque iſtam ingenij tui moderationem laudare pro dignitate ſatis poſſum, neque exſatiari morum ſuauitate. Fœcundiſſimus hic me⁹ erga te amor & veneratio fuit mihi, quæ tantos amicitiæ, iucunditatis, ac honoris fructus mihi peperit, quantos aliunde ſperare, nefas planè fuerit. Vt eam, quam in me declaraſti, humanitatem retinere perpetuò velis, nec vllius obtrectatione à me deflecti, etiam atque etiam oro.

S. P.

IN maximis animi mei permotionibus, quas mihi amiciſſimi hominis caſus infeſt⁹, & admirabilis quædã fati acerbitas impiè inuſſit, gratiſſimę tuæ fuerũt literæ. Nã & occaſionem mihi, qua tuis rationibus gratificarer, oblatam vehementer gaudebam, & in hoc naſcentis fortunæ atque dignitatis tuæ ambitu, cupiebam eundem me ſperatæ aliquando dignitatis tuæ eſſe fautorem, quem ipſe, ad ingrediendam humanarum ingenuarumque artium rationem, autorem ac principem tibi fuiſſe, ingenuæ voluntatis iudicio profiteris. Cùm enim omnibus ijs, quorum induſtria, exurgentiſque ſtudij conatus, in aliqua ingenij laude & gloria verſatur, ſumma animi mei beneuolentia ac fide ſuffragari conſueuerim, tum verò tibi, propter egregias animi virtutes, ac quandam naturæ tuæ excellentiam meã claudi benignitatem prorſus nolo. Neq; enim mea erga omnes eruditos veneratio vllam officij patitur exceptio-

tionem, neque tibi, qui vitæ ſtudiorumq́ue ſocietate mihi fueris coniunctus, in vllo officiorum genere, quod quidem à me præſtari poſſit, deeſſe poſſum. Quare de meo erga te animo, hanc velim cogitationem, &c. vt ſuprà. Et quanquam nulla mihi nunc occaſio data ſit tibi gratificandi, ſi tamen vlla ſeſe mihi oſtenderit, dabo operam, vt intelligas, &c. vt ſupra.

FORMVLA COMMENDATIONIS.

EVm tibi, quod nihil coniunctius, quàm vos inter vos ſitis, eſſe poſſit, pro mea in te obſeruantia, proq́ue noſtra conſuetudine, commendare non volui: ne ſi, cuius ingenij felicitatem ſemper fueris admiratus, eius tibi dignitatem diligentius commẽdem, aut iudicio diffidere tuo, aut fidem conſtantiamq́ue in tuendo amico videar deſiderare.

B. O. STEPHANO DOLETO

S. P. D.

COnſuetudinem meam ad te ſcribendi, ſuperioribus diebus intermiſi, non obliuione amicitiæ noſtrę, nec neglectione meæ erga te ſummæ & perpetuæ voluntatis, ſed quòd in eam mihi curam cogitationemq́ue incumbendum foret, vt cùm mea aliqua induſtria, tũ verò optimorum hominũ ſuffragatione, ſtudij mei curſũ conſequerer

ſempiternum. Graues enim & acerbos communium temporum, valetudinisque caſus, in hoc altiſſimo ſtudiorum ſeceſſu, iam ferè toto biennio pertuli, neque te, qui longo humanitatis exercendæ vſu certum tibi rerum omnium iudicium paraueris, clam eſſe poteſt, quanta hic ſit quorundam hominum aliena laude dolentium peſtis, quanta dignitatis ingenuarum artium ſtudijs partæ oppreſſio. Quo mihi maiore ſtudio ac diligentia, in illuſtri gratia retinendi fuerant, qui me tanquam ex longa ſtudij iactatione, in tranquilliſſimum honoris portum adduxerunt, & oppreſſam virtutem, ne ſuo pulſa loco, alienis ſordibus obſoleſceret, diuino ſuo ſtudio, aduerſus eos excitarunt, quorum mentes nefariæ, cuius neceſſitudinem laude atque honoribus amplificare debebant, eius exiſtimationem traducere, iucunditatiſque ſenſum adimere ſunt conati. Nunc verò magnis curis alleuatus, quicquid reliquum erit ætatis, id vniuerſum ad nominis tui gloriam, vel tuendam, vel illuſtrandam conuertam. Cuius meæ erga te voluntatis cauſas habeo plurimas, vel meæ in omnes eos beneuolentiæ, qui ſpe atque animo de gloria, de nominis ſui commemoratione, & omni poſteritate adæquanda, cogitant, vel præclari tui in te ingenij, qui pulcherrimis tuis ſcriptis nomen tuum ab aliorum vendicaueris iniuria. Neque enim aliud mihi iucundius ad animi mei lætitiam, quàm quòd me tibi chariſſimũ eſſe intelligam, neque illuſtrius ad nominis

nis mei prædicationem accedere potuit, quã vt à te laudarer, cuius felix ingenium, excellens naturæ benignitas, rara eloquentia, orbem propè vniuerſum in ſui pertraxit admirationem. Hæc ſi cauſa te mihi totum non conciliaret, nullum tamen officium ſine graui culpa prǽterire me poſſe arbitror. Quare, &c. vt ſuprà.

S. P.

POſtquã à te diſceſſi Toloſam profectus, nemo fuit, cuius conſuetudo, aut delectare animum meum poſſet, aut ſolari, tum quòd mirificus erga me amor tuus multis in rebus mihi perſpectus eſſet, tum quòd vnus omnium ſis, in cuius facilitate, ingenijque moderatione, voluptas mea omnis reſidet. Facit hic amor erga me mutuus, quem cognationis vis primùm peperit, voluntatis vtriuſque exercuit, naturę quædam ſtudijque ſimilitudo muniuit, vt quò diutiùs, iucũdiſſima conſuetudinis tuæ voluptate, mihi carendum ſit, hoc tui deſiderio magis ac magis accendar quotidie. Neque enim te, qui longo exercendæ humanitatis vſu in magnam ciuilis vitæ laudem morumque commendationem incubuiſti, clàm eſſe poteſt, quàm plena voluptatis ea amicitia ſit, quæ communi virtutis voluntate, ac vitæ terrarumque ſocietate ſuſcipitur. Auxit etiam animi mei ægritudinem literarum, quæ abſentiæ deſideriũ, ſi non extinguere, lenire certe poſſent, diuturna intermiſſio, & caſus infeſtus,

qui ſicut florentibus rebus incumbit, ita magnarum cogitationum mearum ſpem propè omnem fregit. Incidimus enim eodem ferè anno in duriſſimam febrim, cuius fracti ſæuitia, ægrè perpetuam illam animi claritatem magnitudinemq́;, quę ex rebus præclarè agẽdis, ſuam dignitaté, ſuam adferre conſtantiã ſolet, vel retinere potuimus, vel referre ad intermiſſa legum ſtudia. Fit enim, vt celſum animi impetum debilitet lãguentis corporis infirmitas, ne magnam ſui admirationem, integrum florensque ingenium excitare poſſit, niſi proſpera & commoda valetudine fulciatur. Indixit hanc legem rebus omnibus, quarum communione hic orbis atq; vniuerſitas nititur, prouida natura, vt ſtare diu niſi ſociata functione, non poſſent. Nec dubito, quin morbi gliſcentis difficultaté concitauerint, ſtudij paulo contentius ſuſcepti vehemẽtia, & dolor quidã, iniuſta quadam ex contumelia contractus, quam vir quidam illiberalis mihi inuſſit, vt nunc præcipitantis feſtinationis, & ſtultiſſimæ miſericordiæ pœnas dem grauiſſimas. Colligo tamen me ipſum, & tanquam ij, qui magnis fluctibus iactati, ex alto portum, in quem proſpiciũt, nimiæ vitæ cupiditate, ſenſum omnem obiti periculi amittunt: ſic mihi, modò viuere aliqua cum dignitate liceat, nõ moleſtiſſima eſt fortunæ amiſſio. De rerum mearum ſtatu, niſi ipſe, hoc vt facerem, efflagitares, nõ arbitrarer ad te ſcribi oportere. Sunt enim pertenues atque obſcuræ, & partim nimia mea facilitate, quæ

tamen

tamen in rebus amicorum augendis eſſe debet maxima, non mediocriter attritæ, partim etiam longæ ægritudinis moleſtia & acerbitate exhauſtæ. Quòd minus libenter tibi, quẽ valde amo, in hac re ſatisfacio, non fit detrectatione officij, aut inhumanitate aliqua, quod vereor, ne meorũ malorũ memoria animũ effodiat tuũ, & acri quodã mœrore afficiat. quando tamen ita pręcipis, & ego quoq; magnam alleuationem, ad deponendam mœrentis animi debilitationem, habere ſemper exiſtimaui hanc conſolationem, qua amicus ſe promittit amico, ſcribam de rebus omnib. copioſius fortaſſe, quàm ſtudij tui magnitudo poſtulat, ſed tamen non frequẽtius, quã ipſe velis. Venit ad me Ioachimus Polites, ad mirabili quodam fato, & plus, quàm prodigioſo fortunæ ludibrio, in rerum ſuarum omnium diſcrimen adductus, & ſpoliato, de equo mea pecunia proſpexi, qua tamen ægrè admodum careo. Hic in Italiam profectus, nihil interea ad me reſcripſit. Poſthæc Calend. Decembrib. quod res ſic meæ ferrẽt, hoſpitiſque voluntas, magno omnium conſenſu ac ſuffragatione, adoptatus ſum in Iuriſperitorum collegium, vt prolyta eſſem, quo die, qui antea mihi ad ſuſcipienda legũ ſtudia authores atque principes extitiſſent, eoſdem ſperatæ dignitatis fautores habui, magna nominis mei laude atque commendatione. Nemo omnium diſputationibus meis interfuit, qui nõ de iure publicè reſpondẽti ſiue amore ductus, ſiue iudicio, ad laudem

ingenij,doctrinæque famam ſummo, omnia concederet.Quod ſingulis debebatur, id mihi vniuerſa hominum memoria prædicandũ plerique quò maior exiſtimationis ſtudijq́; mei ratio haberetur, admirabili benignitatis exemplo,publicè remiſerunt.In hoc tã lato ac ſperato partæ dignitatis ſucceſſu, rursũ in nouam rapior infortunium,nimio humanitatis ſtudio lapſus. Conſuetudo mihi aliquot diebus gratiſſima fuit,cum duobus Flãdris, optimis iuuenibus, & omnibus rebus, fortunæque ſubſidijs ad ius perdiſcendum inſtructiſſimis.horum commendatione in amicitiam ac familiaritatem admiſi quendam Ioan. de Lauinia, Mechlin. qui ſe latronum inſidijs oppreſſum fortunisque ſpoliatum magna contentione,& mirabili mẽdacij diſſimulatione,nobis probabat. Hic nos immodicis precibus partim fracti, partim etiam humanæ ſortis commiſeratione, quã patriæ communis charitas excitare ſolet, impulſi, in omnis fortunæ ac vitæ communitatem illum admittimus, germanorum fidem ſecuti. Præbuit ille primis aliquot diebus magnam nobis excellentis virtutis opinionem, quò ſimulata illius vrbanitas,meam pietatem, animorumque beneuolentiam magis excitaret.Poſt menſem quartum, magno iam ære alieno demerſus,quò ſuam apud nos fidem aliqua etiam beneuolentia liberare poſſet,fal ſis literis probat,conſtitutam ſibi N. pecuniam eſſe, & nos promiſſis eò inuitat, vt in vſum itineris,præter viaticum, pallium,pileum,

leũ,ocreas,annulos aureos, quæ omnia mea erant,equum quoque conductiuum, facta à nobis fiducia locatori,interpoſitaq; fide noſtra,illius fidei permiſerimus. His rebus inſtructus ille perditiſſimus fraudator, fugitiuus bonorum decoctor, deſperatuſque nepos,quem natura ad omnem fraudem peperit, fortuna fundauit, amicitiæ neceſſitatem, pietatis religionem,fidem ſuam, iura omnia officij humanitatiſque violauit. Neque enim interim quicquam de illo reſciuimus, ac ſpoliati fortunis quoque noſtris, pro equo conductitio numerare legibus coacti ſumus ſeptendecim coronatos ſolares. Pudet me, pigetque meæ nimiæ facilitatis, qua ille fraudator, qui omnia naturæ induſtriæque inſtrumenta, ad noſtram perniciem, nimis quàm diſſimulanter, conuertit, tam ſuperbè ac impiè eſt abuſus. De illo ſi quicquam iſtic reſciueris,fidei erittuæ, vt quàm citiſſimè moneas. facies auté me de rebus omnibus, quæ ad nos pertinent,certiorem. Quum ſtatueris ſub autumnum in patriam redire, adiungam me tibi itineris comitem.nam mea me ætas, & infirma valetudo admonet, vt certum vitæ genus, in cuius perpetuitate, ſine magna offenſione conſtare mihi poſſim, de ſententia amicorum deligam. ſi mediocris mihi in his meis rebus adflictis, pecunia ſupereſſet, ac decem me aureis iuuare poſſes, fieré doctor,ne ad nugas hæſiſſe videri poſſim. Excuſabis deſertã meã egeſtatem, ſi importunè te admonuiſſe

nuiſſe videar,& tu mihi, quæ rogo, præſtare nequeas. Qui has tibi adfert, magnam meorũ habet conſuetudinem, proinde tu ad me ſcribito, aut etiam, ſi videbitur, pecuniam mittito, quod tamen tuo ſine incommodo fiat.

GVNTERIO.

NONdum ſatis conſtitui, maiorem ne animi moleſtiam, ex literarum tuarum intermiſſione conceperim, quàm voluptatem ex quotidiano illo ſermone, qui de multiplicis eruditionis tuæ laude, de facillimis moribus, de profeſſionis commendatione, clariſſimus honorificentiſſimuſque habetur. Etenim multorum ſermonibus vſurpatur, vnum te eſſe, qui germanus, ciuitate Romana Galemium donaueris, Romanam iuuẽtutem in Græcorum poſſeſſionem, auitamq; laudem quotidie magna auditorum adfluentia atq; admiratione reſtituas, nec induſtria ſolùm, aut ingenio cæteros omnes, qui in eruditionis gloria versãtur, facilè vincas, ſed interpretandi quoque fide, & alta quadam magnarum diſciplinarum cognitione ſuperes. Magna profectò ingenij tui, immortaliſque hæc laus eſt, quam tibi ex optimarum artium vſurpatione, toto ferè orbe ampliſſimã excitaſti: ſed tamen eam illuſtriorem faciet, cùm reliquus ætatis tuę decurſus, qui te ad ſperatum eruditionis finem prope detulit, tũ quoque incredibilis humanitatis gratia, quam in te ſemper ſum admiratus. Eam mihi non inuidiſſe videberis, ſi animum meum,

qui longo malorum vſu iam contabuit, pulcherrimis iucundiſſimiſque literis tuis alleuaueris, & quod in epiſtola ad Gargarũ ſcripta peto, pro tua in me ſingulari beneuolentia confici curaueris. Commendabis me officioſiſſimò vniuerſæ tuæ familiæ, Tiloſæ. 4. Id. Febr. Anno 1536.

AD ZEBVDEVM.

QVOD rariores meæ ad te literæ perferantur, doctiſſime Zebudęe, certè ſuſpicare, illa tui obliuione, aut etiam mea negligentia non fieri, ſed quòd eiuſmodi ſcribēdi officium, in hoc tam alto ſtudij mei ſeceſſu, cũ ipſis propè humanitatis literis, vel ab alienarim, vel intermiſerim. Nunc decurſo aliquo honoris ſpacio, ad priſtinam me ſtudij officijq; facilitatem referam, & quarum rerum gloriam à puero amaui, quibus ex ſtudijs parentur, ad ea me magnis conatibus conuertã. Tibi me chariſſimum eſſe, mirandum in modum gaudeo. Cupio enim tecum mihi conſtitutam ſemel gratiam perpetuam eſſe, quam ego iam inde à noſtra conſuetudine non ſeruare ſolùm, ſed honorifica laudis eruditioniſque tuæ prædicationē atq; nobilitate, augere ſæpè ſum conatus, nec me vnquam abs te, cuiuſquam vel inuidia, vel maledicentia abalienabit: nec fas eſſe putaui, vt meum de multiplici tua eruditione iudicium, leuiſſimorum hominum condonarem maleuolentiæ. Fit enim neſcio quomodo, vt florentiſſimis ingenijs facilius incũbat inuidia, & ipſa excel-

excellens virtutis admiratio, ſuam quoque habeat offenſionem. Sed nos, qui virtutis præſidio, præter hãc æquabilitatem, vitæ fortunam, laudiſque nobilitatem, nihil magnopere expetimus: concuti non oportet, aut labefactari aliorum inuidia. Quod de rebus Ioachimi Politis ſcire cupis, ad te perſcribere ſine magna animi mei ęgritudine non poſsũ. Admiſi hîc illum, in omnis meæ fortunæ ac vitæ ſocietatem, magna & grata optimorum hominum conſuetudine: abeuntemq́;, æger & longa febri fractus, comitatus ſum ad tertium lapidem, ibi inter cœnandum, admirabili fato, & plus, quàm prodigioſo, atq; ſuperbo fortunæ ludibrio, equus illi furto ab eo aufertur, qui temerè nos ſecutus, opinionem innocentiſſimi hominis de ſe cunctis præbuerat. Hoc infortunij, dolorisq́ue vulnere percuſſus Polites, tantam animi ægritudinē cōcepit, vt facilè ab illa ſollicitudine abduci non poſſet. Ego, ne in rebus meis anguſtis, & longo morbo attritis amiciſſimi hominis neceſſitudinem intermori ſinerem, aliũ hic ei equum mea pecunia proſpexi. Menſis iam quartus eſt, quod ille in Italiam profectus, nihil ad me perſcripſerit, quæ res iuſtè mihi dolorē inijcit. Habes tragœdiæ argumẽtũ, cætera ad te perſcribã, cùm aliâs dabitur otium, nunc non licuit. Te oro, ad me, vt quàm ſæpiſſimè ſcribas.

S. P.

S. P.

LIBENTER amplector animum tuum, N.cùm ea ſit voluntas, humanitas, amor erga me tuus, quem tecum mihi amicorũ commendatio conciliauit, patriæ charitas attulit, ſumma vitæ neceſſitudo, & quædã ſtudij naturæque ſimilitudo, vt ſpero, confirmabit. Nam ſi virtutis iſtud proprium ſit, optimorum hominum ſibi animos atque voluntates conciliare, ſperare licet, noſtram illam conſuetudinem, firmam perpetuamque fore, quæ nullis officijs, nulla ſpe futuri beneficij, ſed communi virtutis ſtudio, & quadam beneuoli animi propenſione eſt contracta. Vt eam, quam de ingenij mei facilitate concepiſti, opinionem retinere velis, maiorẽ in modum à te peto. Salutat te Martinus Schoman & Daniel, quibuſcum mihi gratiſſima vitæ ſtudijque eſt ſocietas. Vale.

AD CROCALDVM.

CAL. FEBR.

CVM mihi amor erga me tuus, beneuolentia, officiaque gratiſſima ſint, quæ tu, adductus commendatione mea, multa & magna in communes amicos quotidie confers, tum imprimis gratum fuit, quòd Roberti Britanni cauſſam liberaliſſimè ſuſcepiſti. Adductus enim in eam fuit opinionem, vt tua te ſponte, quæ fides tua, vtilitasq́; poſtularet, facturum omnia liberaliſſimè confide-

conſideret: atq; ad voluntatem tuam magnũ cumulum acceſſurum commẽdationis meæ. Quæ ſpes, quod illum falſum non habuerit, gratias habeo immortales. Negocium tuum pro mea ſumma & maxima in te beneuolentia iam diu confeciſſem, niſi me frãgeret quorundam leuitas, inconſtantia, tarditas. Habes iſtic nepotem Domini de Tharrede, cuius hic frater prothonotarius, ius ciuile profitetur, præceptore Balbutio, apud eum tibi ad feſtum Paſchæ, proſpectam opinor honeſtam & liberalem conditionem, quam ipſe repudiaui, quòd ſic ſuſcepta dignitas referret mea. Excitaſti iſtic magnam eruditionis tuæ prædicationem, famámq; immortalem, quam ego mea commendatione hic facio illuſtriorem. Non dubito, quin ad te, quòd ita à me rogati eſſent, ſint perſcripturi. Incumbes tu quoque in eam fortunæ tuæ occaſionem, quod tibi, qui iuueni ſis præceptor chariſſimus, facilimum fuerit. Cùm hæc ſcriberem, non dabatur eius prothonotarij, qui omnibus officijs mihi eſt coniunctiſſimus, conueniendi oportunitas, propterea quòd diuerſorium nuper mutauerit. Eleemoſynarius ille Regis, de quo ſæpè ſumus locuti, omninò me expetit, non tam animi iudicio, quod tamen illi magnum & excelſum contigit, quàm amore mei nimio prolapſus. Ego quid faciam, nondum certò conſtitui, in his tantis malis, quibus nos oppreſſit incredibilis audacia, impudentia, ac perfidia Ioannis Lauiniæ.

Et

Et quum nihil tam efficax eſt ad mœrentis animi infractionem dimiſſionemque deponendam, quàm mutua amicorum conſolatio, ſcribam id quoque paucis, cùm affectibus meis obſecutus, tum verò ne animi tui moderationem malorum recordatione atq; memoria, in ægritudinem atque mœrorem adducere videar voluiſſe, & à quo medicinā ſpero, eius animum graui doloris adfligam vulnere. Venit ad nos Ioānes Lauinia, quem, cùm apud te eſſem, vidiſti omnibus fortunæ opibus deſtitutum. &c. vt ſuprà.

S. P.

MIrificè me litterę tuæ delectauerunt, in quibus grata fuit memoria noſtri tua, gratior amor, qui te ad ſcribendū impulit, gratiſſima verò de ingenij mei moderatione opinio: quàm etſi tantæ laudis, quā tam iſtic excitari de me ſcribis, commendatione ſuſtinere nequeam, libenter tamen offi cio atque ſedulitate amplector. Non agnoſco, neque mereor, quam tu mihi, amore mei nimio lapſus, attribuis ingenij ſtudijque glo riam, iudicium certè de me tuum ex abundanti quadā tuæ erga me beneuolentię copia profectum, & animum illum rectum, ac nulla alienæ dignitatis inuidia ſuffuſum, colere ſatis atque amare non poſſum. Induxit, opinor, hunc affectū humanis ingenijs natura, vt omnes, qui poſteritatis ſenſu excitati, in aliqua ingenij gloria verſantur, eorum afficiantur prædicatione atque nobilitate, qui ipſi

omnem laudis pulchritudinem virtute atque honeſtate ſunt aſſecuti.Solus enim is verus,immortaliſque honos haberi ſolet, qui à laudatiſſimis viris, nullam ob ſpem futuri beneficij,ſed ſolam animi virtutem defertur atque datur. Itaque quanquam parem in te beneuolentiam nauare hoc tempore non poſſim,hoc tamen pro noſtra conſuetudine, quam voluntas vtriusque nuper coniunxit, tibi polliceor, ſemperque præſtabo, omnia mea me ſtudia ad dignitatem tuam viciſſim amplificandam,libenter conuerſurum, neq; meam tibi voluntatem in officijs, neque in negotijs fidem, neque in rationibus tuis augendis beneuolentiam vnquã defuturam. D. Tyrſtinius apud me, tua nõ eget cõmendatione,vir ad omnem humanitatis gratiã planè factus,eius conſuetudinem, quæ mihi,propter ſingularem hominis modeſtiam gratiſſima eſt,tibi acceptã libenter fero. vt quã plurimos iſtiuſmodi amicos, crebrioribus tuis literis mihi conciliarem, maiorem in modum à te peto,atq; gratia contẽdo. D. Guilh. de Gonea, nomine meo officioſius ſalutem dices.D.Lahetum,aduocatum Regium, vbique ferè in Germania,in Gallia, doctiſſimis viris,magno cùm eruditionis, tum verò autoritatis ſplendore,commendare non deſtiti.quò magis doleo, ſic me illius gratia excidiſſe, vt nihil vnquam meis literis reſpondere ,nihil,totus mutatus,ad me ſcribere voluerit.Vale,Toloſæ,ex ædibus noſtris, Calend.Feb.Anno 1536.

Sca-

SCALIGERO CAL. IVL.

ET antea iucundiſſimam ex ea, quæ tecum mihi, cùm ſtudio meo, tum iudicio tuo, atque incredibili humanitate, conſtituta eſt, conſuetudine capiebam voluptatem, & nuper ex doctiſſimis tuis ad me literis, nominis ac famæ æternitatem mihi videor accepiſſe. Cupiebam enim pro mea ſumma & perpetua in te veneratione, ſtudia tibi mea omnia probare, & quem naſcentis laudis autorem atque principem mihi propoſuiſſem, eundem quoque ſperatæ dignitatis fautorem aliquando habere. Cuius me deuotionis, admirabili excellentis naturæ tuæ bonitate conuictum eſſe, id ſeriò gaudeo atque triumpho: ita nihil mihi præclarius ad obſcuri nominis mei, & nulla ingenij gratia illuſtris, vel prædicationem, vel exiſtimationem, accidere potuit, quàm vt tuo iudicio ad aliquam mei commendationem abuterer. Sic enim sẽper iudicaui, cùm multæ ſint artes, quibus laudis & gloriæ admiratio paretur, nullam tamen aliam, ad ſolidæ, & omni ſeculorum memoria victuræ gloriæ amplitudinem eſſe viam, quàm à ſapientibus viris, & bene à natura conſtitutis, diligi atque obſeruari, nullam diuturniorem nominis nobilitatem, quàm quæ propter animi virtutem ab ijs nobis datur atq; defertur, quorũ pręſtãs ingenij, eruditiõis, ac gloriæ admiratio, cum omni poſteritate adæquatur. Sed graues me cogitationes perturbãt, ne

quem laude atque honoribus amplificãdum mihi ſuſcepiſſem, eius iudicio, propter eruditionis egeſtatem, ſatisfacere nequeam. Emetiar tamen animum tibi meum, & ſtudij officijq́ue diligentia fortaſse aliquando conſequar, vt beneficium referre videar voluiſſe. A te verò maiorem in modum peto, atque gratia contendo, vt tuum Omphalium, qui ſe totum ad nominis tui amplitudinem conuertit, quibus poſſis, rebus ornes. Hoc certè à te vix impetrare àudeo, vt me in regiam profectionem literis tuis ijs commendes, quos in illuſtri apud Regẽ gratia eſſe arbitraris. Vale.

EXHORTATIO AD OPTIMARVM *rerum ſtudia.*

QVanquam te, pro animi tui magnitudine, non arbitror monitis meis & præceptis egere: vt tamen me quoque de dignitate tua cogitare intelligeres; putaui hæc pauca ad te ſcribi oportere. quòd certè amore impulſus feci; non quò prudentiam tibi oſtenderem meam, quod eſſe arrogantiæ videri poſſit, ſed potius, vt meæ erga te obſeruantiæ ac voluntatis ſignificationem aliquã facerem. Nam & dignitati tuæ, quam tibi honeſtis optimarum rerum ſtudijs paraſti, mirabiliter faueo, & nullum in te officium à me præteriri ſine graui culpæ reprehẽſione poſſe mihi perſuadeo. Quare pro ea, quæ mihi tecum eſt, conſtituta officij ac vitæ conſuetudine te adhortor, vt in eam curam & cogitationem magnis conatibus incumbas, quę tibi ſum-

ſummam ingenij famam,& nominis gloriam adferat, neque committas in hac optimorum hominum de te expectatione, in optima ætate, in ſumma occaſione, vt propter pigritiam ipſe tibi defuiſſe, aut propter difficultatem gloriæ tuæ curſum impediuiſſe videaris. Nō enim conuenit, te, qui ingenij moderatione ac induſtria potentiſſimorum hominum inuidiam fregeris, ipſo nunc honoris decurſu, vel labori ſuccumbere, vel laudi. Habes quid ſentiam, quod tu, quoad dignitas vtilitasque patiatur tua, ſequi potes. Quæ meæ partes erunt, quæ ad dignitatem tuam pertinere videbuntur, faciam omnia, atque curabo, cùm ſtudioſè, tum verò libenter. Vale.

EXCVSAT SE AB INTERMISSI officij reprehenſione.

QVanquam me immeritò, & nimio quodam mei ſtudio prolapſus, negligentię inſimules, quod ad tuas reſpondere literas diſtulerim, mihi tamen gratum fuit, vel officium abs te deſiderari meum, vel reprehendi deſidiam. Nam illud tui erga me amoris abundantiam arguit, hoc verò mei in te animi modeſtiam commendat, qui potioribus te rebus occupatum, ad meas nugas auocare noluerim. Itaque aut me officioſius excuſare, aut etiam culpam, quam in me non admiſi, deprecari conſtantius nolui, quàm animi mei ſimplicitas, vel naturæ tuæ moderatio poſtulet. Nullum enim tui amandi, colendi, atque ſuſcipiendi tempus dimiſi, neque

etiam vllo vel loco, vel tempore ſum commiſſurus, vt meam cùm diligentiam, tum fidem in tuis rebus, atque ornamentis augendis, ſis deſideraturus. Quare, ſi quam ex intermiſſi officij ratione ægritudinem animo conceperis, eam deponas, etiam atque etiam rogo: omniaque de me ſtudia, curam & diligentiam, in omni omnium officiorum genere expecta, non fallam expectationem tuam, modò eiuſmodi ſit, quam ſuſtinere queam.

ALIA EXHORTATIO, AD OPTImarum artium ſtudia.

NAtura ferè comparatum eſt, vir ornatiſſime, vt quarum rerum gloria ducamur ipſi, ad earum magnitudinem pulchritudinemque amplectendam eos præcipuè adhortemur, quos certo animi iudicio, morumque ſimilitudine, nobis propoſuerimus amandos. Itaque quanquam adhortatione mea non egeas, tuoque rectius vtaris conſilio, me tamen, cùm beneficijs tuis, tum amore incitatum tui, benignè feres, quam de tuis virtutibus opinionem habeam, profiteri. Eſt enim incredibilis quædam optimorum virorũ de te expectatio, magna virtutis tuæ opinio, & amica naturæ tuæ commendatio, quã tibi omnes boni reddunt, eamque à te pleniorem aliquando & illuſtriorem poſtulant atque expectant. Hanc naſcentis laudis tuæ expectationem, ne vnquã laboris fuga abieciſſe, ab illaque præſtantis animi tui conſtãtia, cuiuſ-

cuiuſquam voluptatis ſtudio deiectus videaris, diligenter tibi cauendum erit. Nam eam excitaſti apud omnes optimarum virtutum, ad quas à pueritia inſlammatus fuiſti, commendationem, vt niſi illam conſtanter obtineas, non tam naturæ tuæ defuiſſe felicitati, quam parentum, adeoque omnium noſtrum, qui de gloria tua laboramus, indicium ſalutare noluiſſe videaris. Neque difficilius tibi, cùm propter induſtriam, tum ſingularem animi magnitudinem, erit conceptam de te opinionem ingenij gratia tueri, quàm turpe & illiberale, vlla in parte ſtudij, laboris, aut officij claudicaſſe, aut à priſtinæ naturæ ſtatu receſſiſſe. Quare pro ea, quæ mihi tecum eſt, amoris vitæque coniunctione, te rogo, & adhortor etiam, ita in omnem ingenij laudem, gloríæque amplitudinem incumbas, vt non ſolùm omnia illa, quæ in te admiramur, adſecutum, verùm etiam nominis immortalitatem apud poſteritatis memoriam, paratam tibi eſſe omnes boni profiteantur & agnoſcant. Reliqua omnia, honor, dignitas, diuitiæ, quæ fortunæ benignitas tibi largita eſt, nec temporis erunt, & cum alijs tibi communia. Ingenij laus tua nunquam eſſe deſinet, quam facilè in hoc ſtudij tui deflexu obtinebis, ſi ea tibi, quæ cum vitæ honeſtate ac virtute coniuncta ſunt, ſola propoſueris imitanda: deinde vt quanti alijs videberis, tanti ſis tibi ipſe.

gloriam tradidiſti, cui dedecori eſſe, nefas eſſet & vitium: deinde mentem animumque meum excellentiſſimorum hominum cogitationi conformabo, qui in optimarum artiũ ſtudio, nec fortunæ ſæuitiam, nec paupertatis mala, nec exilium reformidandum dixerunt. Poſtremò huc rationes meas omnes referam, vt quum cæterorum de me opinioni ſatisfecerim, tibi etiam quàm chariſſimus eſſe queam.

FINIS.

EPISTOLAE ALIQVOT FAMILIARES EIVSDEM D. IACOBI OMPHALII ANDERnaci Iuriſconſulti, imitationis cauſa adiectæ.

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSImo viro D. Franciſco à Tournone Cardinali & Archiepiſcopo Biturig.

ETSI omnes, qui rectum & liberum in communi virtutis voluntate sẽſum retinemus, meritò gloriæ tuę amplitudini gratulamur, Antiſtes ampliſſime, qui tantum nuper præſidij Galliæ vniuerſæ, tantum opis in extremis pènè temporibus attuleris, quantum impetrari poſſe nemo exiſtimabat: magis tamen gaudere debemus his te, cõcitati ſeculi, grauiſſimis tempeſtatibus natũ eſſe, quẽ vnũ maximè præcipitãti Reip. opitulari poſſe cõfidimus. Ea enim eſt ampliſſimarum virtutũ, quæ in te elucent, nobilitas atq; prædicatio, vt excitandis rebus humanis, quæ infeſtiſſimis

mis communium temporum caſibus dilapſæ iam fluxerant, planè notus videaris. Quæ animi tui excelſi & inuicti magnitudo ſic indies augeſcit, ſic apud omnes gentes viget, ſic illuſtri omnium fauore excipitur, nulla vt etiam obliuio ſeculorum memoria obſcuratura, nulla eius ſplendori allatura finem æternitas videatur. Neque enim diuturnior laus eſſe poteſt, quàm quæ ex communi omnium conſenſu ac voluntate nullam ob ſpem futuri beneficij, ſed præclara in Rempublicam merita, præſtantibus viris defertur atque datur. Neque gratia cuiuſquam illuſtrior, quàm eius haberi debet, à quo omnia, ſicut Reipublicæ ornamenta, ita patriæ ſalus, vtilitatis communis propugnatio, priſtina Gallorum gloria, quæ inuidentis fortunæ ludibrio in peius ferri cœperat, relata eſſe atque reſtituta videatur. Hic nominis tui ſplẽdor in vera illa naturæ tuæ laude conſilijq; dignitate poſitus, cùm vniuerſum propè orbem in tui pertraxerit admirationem, tum nobis quoq; ex illo ampliſſimo dignitatis tuæ faſtigio, tanquã alta ſpecula ſignũ aliquod bene de ipſis literis ſperandi dedit. Cũ enim florentiſſimam literarum profeſſionẽ, propoſito ſtipendio apud Tournonenſes nuper inſtitueris, facilè intelligimus, quàm non illa incredibilis Excellentis tuæ gratiæ benignitatis, virtutum denique omnium expectatio nos fefellerit, quantũ omnes, qui in aliqua ingenij laude ac ſtudij commendatione verſamur, tuę debemus Celſitudini.

Nul-

Nullum ſiquidem maius aut excellentius ex omni humano opere eſt beneficium, quàm quarum rerum gloria Reipub. dignitas conſtituitur, quibus ex artibus comparentur, earum ſtudijs iuuentutis animos colere, ad omnemque laudis pulchritudinẽ excitare. Nam & ea eſt literarum dignitas, vt quicquid hic rerum vniuerſitatis ambitus continet, earum regatur præſidio atq; conſeruetur: nec aliam mens humana ex omnibus naturæ beneficijs laboris mercedem ſperare rectè poſſunt, preter hanc laudis, ex optimarum artium ſtudijs partæ, nobilitatem: quæ ſola vitæ noſtrę breuitatem poſteritatis commemoratione compenſat. Nullius itaq; tanta eſt ingenij vbertas, nulla tanta dicendi vis, quæ beneficij tui magnitudinem non dicam exornare, ſed oratione cõplecti queat. videbatur illuſtris tua gloria, hác ſummam & maximam habere admirationem, quod feliciſsimis tuis auſpicijs eò res adducta nuper fuit, vt potentiſsimi reges & principes orbis terrarum viri, veterum iniuriarum, quibus conceptum odium ad omnem perniciem inflammabatur, obliti, amicitiam iniuerint, communeq; conſilium de rebus omnibus, quæ ad Chriſtianę Reipub. dignitatem pertinere videbantur, admirabili cœperint conſpiratione. Eam tamen vincit facti illius pulchritudo, quo ſuus religioni honos, ſuis iuuentus optimarum rerum ſtudijs eſt reſtituta: propterea, quod cæterorum operum tuorum magnitudo, nec omnis ætatis, nec in tanta ho

minum

minum inconſtantia, firma ſtabiliſque eſſe poteſt. Quæ verò literis à te erunt prodita vel excitata, ea poſteritas obſtupeſcens venerabitur, ea æternitas ipſa intuebitur, ea ſuam ſeculorum omnium memoria retinebunt admirationem. Neque iam tibi, qui omnes iuſtæ eruditionis numeros abſolueris, qui magnam omnium artium linguarumque cognitionem animo teneas, qui vnicum es ætatis noſtræ præſidium atque ornamentum, integrum erit, cùm in omnes bene gerendæ rei occaſiones, & quæcunque immortalem apud omnem poſteritatem gloriam tibi ſunt paritura, magno animi impetu ac cura incumbas, tuam propugnandæ Chriſtianæ Reipub. diligentiam atq; prouehendis literis benignitatem præcludere. Nam quęcunque ſentis, vel belli ſæuitia, vel fatorum acerbitate, vel ſeculorum inſcitia, veluti rubigine quadam deiecta atque fœdata, tibi erunt excitanda. Ipſa enim illa fortuna, nullam in te admirabiliorem fortunam conſtituit, quàm vt poſſis; nihil natura in te prętantius produxit, quàm vt velis laudandarum rerum ſtudijs rectiſsimis opitulari. Quò etiam maior nobis ſpes offertur, breui fore, vt cui⁹ opera, cōſilio, prudentia, pacatam Galliam, tranquillam Rempub. tenemus, eius etiam beneficio, literæ bonæ reuiuiſcant. Quamobrem, ſi cauſæ honeſtas magnum ad demerendum fauorem adiumentum adferre ſolet, eiuſmodi petitionis noſtræ eſt ratio, quam propter com-

munem

munem vtilitatem ac Reipublicæ decus, nec piusſpernere, nec humanus abijcere poſſit. Petimus, ampliſſime Antiſtes, qui Valentiæ iuris vtriuſque profeſſionem aliqua ingenij gratia & publico iuuentutis prouectu ſuſcipiunt, his honeſtum ac liberale ſtipendium Chriſtianiſſimi Gallorum regis, ac tua ſingulari & maxima benignitate conſtitui. Petimus, in priſtinam ſtudij libertatem, à qua indigniſſimè in hanc veteris diſciplinæ perturbationem deiecti ſumus, tua reſtitui authoritate. Petimus his malis, quibus barbaræ gentis crudelis ſæuitia, furor cœcus, profuſa nequitia, nos oppreſſos tenet, exempti, patriæ quam debemus pietatem, Ciuibus fortunarum propugnationem operam noſtram cunctis probare. Omnes tibi, omnes Delphinates, omnes Tournonenſes, omnes Aquitanos, omnes Gallos, ſi ad noſtram te voluntatem adiunxeris, tuamq́ue nobis beneuolentiam promptam expoſitamq́ue, præbueris, obſtrictos habebis memoria beneficij ſempiterna: & erit profectò, erit illa dies, cùm te erectis, quæ iam iacent, ſcholis, è cœlo in præcipitantis Reipublicæ ſubſidium datum cuncti venerentur: cùm tibi pacem, honores, literarum dignitatem, vniuerſa iuuentus debebit, cùm tibi ſempiternam rerum geſtarum gloriam cuncta Gallia gratulabitur. De concurſu & affluenti auditorum copia deſperandum non erit, cùm incredibili ſtudio omnes, quos Tholoſa habet, & in hanc cogi-

cogitationem incumbant, & inſtare videantur. Moueat te indigniſſimè proſtrata Iuriſprudentiæ maieſtas, Valentiniſque ſcholis exploſa, quę magna nobis iam inde ab initio humani generis commoda, pergrata vtilitate & dignitate admirabili attulit. Moueat te omnium ingenuarum artium turpiſſimè proiecta dignitas, quæ tibi ſuppeditant, vbi animus tuus ex illa negociorum tuorum iactatione reficiatur. Moueat te etiam iuuentutis, quæ ſe ad laudis tuæ amplificandæ ſtudium conuertit, ſeruiliter oppreſſa libertas. Nimia enim iam olim & effrenata audacia immaniſſimæ gentes, in noſtram patientiam, facilitatem, humanitatem efferuntur, nimis proteruè nobis inſultant, dum multos iam annos perfidia ac iniurijs diuexati, in contemptum, in cædem & ſanguinem rapimur, neque quicquam tam furioſum ac impium eſt, quod non ſibi impunè in nos licere exiſtiment. Quorum furens audacia eò temeritatis nuper eſt progreſſa, vt omnes qui fuga ſalutem quærere prohibebamur, in medijs ſcholis inermes, nulla commiſſa culpa, telis atq; ſaxis transfixi noſtro in ſanguine prope mactati fuerimus, interfectis ac vulneratis (fœdũ Dij immortales facinus) nobiliſſimis quibuſque: quo die ſpurciſſimus quiſque ac deſperatus nepos, & quemcunque ad omne flagitium natura produxiſſet, voluntas exercuiſſet, fortuna ſeruaſſet, in noſtram perniciem propoſita ſceleris impunitate, efferebatur. Quæ ſi cauſa non iuſtam

ſancti-

ſanctitatis tuæ interpellandæ neceſſitudinē nobis impoſuiſſet,tamen ſtudioſorum homi num honeſta præſertim & pia voluntas, vel ipſa Ciuilium legum amplitudo, hanc à te gratiam impetrare deberet.Neque hic te noſtram temeritatem reprehendere, neque aſpernari voluntatem oportet,quod tuā Celſitudinem, cuius nobis honeſto aliquo officio acquirenda fuerat beneuolentia, noſtris literis ſollicitemus. Vnus enim omnium,vel auctoritatis ſplēdore vel eruditionis gratia, vel fortunæ amplitudine, vel deniq; gratiæ excellentia ad id nobis maximè viſus es idoneus.A quo enim literarum præſidium rectius, quàm à te nobis fuerat petendum,qui om nium literarum miraculo cūctis egregiè antecellis?Si labefactatæ ac læſæ Iuriſprudētię maieſtati opēm ferre Iureconſultum oportet,vnus tu ita Iuriſperitus ac prudens es, vt natura,non diſciplina;bonitate,non ſciētia; virtutis denique relligione, non præceptis ac inſtitutionibus ad præclaram ingenij ac famæ commendationem informatus videaris.Si magnus aliquis,excellens ac prępotēs patronus literarum propugnationi eſt præficiendus,vnus tu es,poſt hominum memoriam inuentus,qui eam Eloquentiæ gloriam, quæ tot annis deſiderata caput erigere cœpit,in Gallorum poſſeſſionem, niſi maxima Reipub.negocia ab ea te cura & cogitatione auertant,inferre poſſis?Si rei literariæ defenſor quoq; literatus fuerat proponendus,quo nos in te iudicio eſſe oportuit, qui cōſpirāti

totius

totius orbis conſenſu,omnia ſumma & ad ingenij laudem & dignitatis ſplendorem, virtute duce adeptus es,& quæ ſingula magnam in omnibus laudem merētur,ea vniuerſa naturæ doctrinæq́ue ornamenta es conſecutus? Incumbe igitur, Antiſtes ampliſſime, tota mente in eam cogitationem, qua oppreſſa Valētiæ ſtudia & paucorum vel inuidia,vel ſocordia,iacentia,in priſtinā celebritatē atq; honorē adducas. Nihil eſt,ex amplif. tuis rebus, quod tibi maiori laudi ac gloriæ eſſe poſſit,nihil quod præclariorem famæ commendationem,diuturnioremq́; nominis memoriam tibi ac familiæ tuæ ſit allaturum, quàm vt relatis in ſuam dignitatem Iuriſprudentiæ ſtudijs,de omnibus rebus humanis ampliſſimè meritus videaris. Summa in hoc erit & gratia & gloria,cuius conſequendæ facultatem ampliſſimam Dij immortales tibi dederunt.Eam vt arripere, vt amplecti, vt tuam facere velis, omnes abs te gratia contendimus.Si quis viciſſim noſtri erit vſus, eum vniuerſum ad nominis tui immortalitatem illuſtrandam conferemus.Vale.

(·.·)

ILLVSTRISSIMO PRINCIpi ac Domino D. Eduardo Sommerſtiti Duci, Comiti Hertphordiæ, &c. Angliæ & Hiberniæ protectori, tutoriqúe regio, Iacob. Omphal. Andernacus Iureconſultus S. D.

QVod ſibi Phidios, Mineruæ ſimulachrũ facturus, ſumpſit, Illuſtriſſime princeps, vt in magna formarum cùm varietate, tum excellentia, vnam aliquam eamque eximiam pulchritudinis ſpeciem atque idæam ſibi proponeret, ad cuius ſimilitudinem traducta, veluti in memoriam imagine, penicillum & manus dirigeret: idem mihi in hac legum vſurpatione deſcribenda ſumere auſus ſum, vt quum eorum officia explicarem, qui ingenij doctrinæque ſuæ vſum ad Rempubl. bene & ſanctè gerendam referre cupiant, vniuerſas animi mei commentationes ad virtutum tuarum imitationem effingerem. Nam cùm omnes, qui veræ glorię cupiditate trahimur, non alia re perinde, atque æmulatione & exemplis ad præclariſſimarum artium ſtudia ſuſcipienda incitemur: cùm in rebus gerẽdis, quarum nullæ expreſſa animo eſt imago, prudentem aliquem ducem, cuius veſtigia ſequamur, eligere ſoleamus, & quarum rerum laudem ambimus, quibus ducibus ea comparẽtur, in ijs imitandis plurimum

plurimum operæ & diligentiæ ponamus: cũ denique natura hanc legem cũctis rebus magnis ac præſtantibus indixerit, vt earum excellentia atq; pulchritudo, nec repentè eluceat, nec vniuerſam ſe profundat, ſed leuioribus prætexta initijs, ab exemplo ſumat exordium: nulla autem ſit virtus, nulla rectè factorum laus, nulla honeſtiſſimi officij ratio, cuius non plurima abs te illuſtriſſimo optimoque principe, ſumi queant exempla: Exiſtimaui omninò, animi mei ſenſus in æmulatione tuarũ virtutũ fixos erectosq; detinẽdos fore. Quæ enim optimi principis partes atq; virtutes haberi ſolẽt, bene videlicet de Rep. ſentire, omniaq; rectè & honorificè facere, etiam ad dignitatẽ referre, ius omnib. æqualiter, ſeuerè ac diligẽter dicere, in omnib. actionib. eam adhibere conſtantiã & grauitatem, quæ nec gratia, nec odio varietur, ſed conſeruetur æqualis, nihil crudele, nihil acerbum, nihil immane in omni adminiſtratione inferre, ſed multa clementiæ ac manſuetudinis ſigna populo dare, eas omnes, qui in optimarum rerum ſtudijs atque exemplis verſantur, in te agnoſcunt. Nulla ſiquidem virtus eſt, nulla rectè factorum gloria, nulla ſolidæ laudis prædicatio fingi poteſt, cuius pulcherrima ſignificatio in te non appareat. Tua ſiquidem animi prudentia atque magnitudine Reipublicæ ſalus conſeruata, tuis rebus præclarè geſtis tranquillitas publica aucta, tua diligentia incredibiliq; virtute

cuncta quæ ruere videbantur, in eam honoris amplitudinem, vnde paulò dilapſæ videbantur, ita reducta ſunt, vt magiſtratibus honor, ciuibus verò tranquillitas ſit cõſtituta. Ergo, ſicut plurima mihi exempla ad deſcribenda eorum officia, qui ſibi aut Reipub. gubernacula, aut optimarum legum profeſſionem depoſcunt, ex tuis virtutibus ſumpſi, easque ſpectare & intueri ſoleo, quoties in doctrinæ atq; officij rationibus verſor: ita vehementer vniuerſæ Angliæ & Hiberniæ gratulor, quod eius tu ſalutem atque propugnationem in fidem ac tutelam tuam receperis, in eaque retinenda ac conſeruanda talem te geras ac pręſtes, vt non humano, ſed diuino præſidio ei te præfectũ eſſe omnes boni gaudeant. Et cùm pleraq; multa in his meis meditationibus oratione ſimplici tradãtur, quę cum pulcherrimi officij ratione, cum Reipub. adminiſtratione, cum optimarum legũ dignitate, & eorum functionibus, qui laudi publicæ ſeruire cupiunt, coniuncta ſunt, etiam ad aliquam inſtitutioné ſereniſsimi potentiſsimique principis Eduardi, eius nomine ſexti, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ regis, &c. pertinere videntur, erit tuæ Clementiæ atque benignitatis, illuſtriſsime princeps, hæc noſtra ſtudia, quæ etiam Regiæ Maieſtati inſcripſimus, pro tua erga omnes pulcherrimarũ artium ſtudioſos, incredibili fauore, benignè amplecti, tuumque Omphalium in aliquam Clementiæ tuæ commendationem ſuſcipere ac retinere, qui ſe totum in tua poteſtate,

teſtate,tutela ac fide ponit atque permittit. Vale illuſtriſsime Princeps. Cal. Iul. Anno 1549.

TILMANNO A FOSSA.

GRATA mihi fuit memoria noſtri tua, gratior amica & egregia erga me voluntas,gratiſsima verò de ingenij mei medio critate opinio. Nam, etſi mihi ſit magnoperè extimeſcẽdũ, ne, quãtu incredibili vir eruditione, de me cõcepiſti ingenij atq; doctrinæ prædicationem atque nobilitatem, eam ego propter implacabilem naturæ tarditatem ſuſtinere queam : libenter tamen agnoſco, egregiam & plenam eximiæ charitatis erga me voluntatem tuam. Et tanto etiam plus me tibi pro iſta tua in me voluntate præclara,& laudatione debere,quanto minus promereor. Quid enim amplius mihi ad nominis mei aliquam exiſtimationem parandam, aut principum virorum gratiam conſtituendam accidere poteſt, quàm vt in hoc graui exordientis dignitatis flexu abs te obſeruer, qui omnem laudis pulchritudinem, magnitudine ingenij tam feliciter ſis conſecutus. Neque enim mihi qui infelicis ingenij mei vim omnem, & animi ſenſus atque cogitationes, ad colenda optimarum rerum ſtudia conuertere voluerim, ſperandum fuerat aliud,quàm meam vt voluntatem bonis vi-

ris,ſi non probare,emetiri ſaltem, atque benignè operam deferre aliquando poſſem. Quam cogitationis meæ ſpem amplecti propemodum incipio, cùm tu mihi honorem, in hac futuræ tuæ,vel amplitudine, vel auctoritatis ſplendore deferas, cuius ſenſu obſtupeſcere meritò debeo. Sunt enim in me omnia infra mediocritatem, neque concedi mihi potuit vnquam,vt quarum rerum gloria omnibus præclaris & excellentibus ingenijs foret expetenda, quibus artibus ea pararetur,in earum vt ſtudia, propter neglectam & deſertam meam adoleſcentiam magnis conatibus incumberem.Et ætate etiam incidimus in eam diſciplinæ veteris perturbationem & quandam veluti communium temporum inclinationem, quæ aliorum fortaſſis ſtudia, vana laudis ſpe intempeſtiuè incendit, mea certè non parum impediuit. Itaque nullum magnum adhuc & memorabilem ſtudij mei fructum adferre poſſum ad ciuilium rerum vſurpationem, vel optimorum hominum voluptates, literis meis vel ornandas vel amplificandas. Tibi verò, cuius ego multas & magnas præſtantis ingenij virtutes libenter amplector atque colo, hoc polliceor, ſemperque præſtabo,nullam mihi in dignitate tua amplificanda defuturam voluntatem. Cuius meæ erga te ſummæ ac perpetuæ obſeruationis,ſi quando periculum facere volueris, intelliges non falſam eſſe per me expectationem tuam. Vale, & tuum Omphalium, vt cœpiſti,amare perge.

ge. Augebis etiam tuum in me beneficium ſi D. Cancellarium clariſſimum optimumq́ue virum, nomine meo quàm officioſiſſimè ſalutes. Bornœū miror ad me non ſcripſiſſe, quū eius cauſa magna à me fide & diligentia ſemper fuerit ſuſcepta, neq; alia mihi res maiori ſit curæ. Scribit ad illum de communi noſtra ſententia Doctor N. Iterum vale vir Clariſſime, & ſi quando deponere magnarum rerum ſolicitudinem ſine offenſione poteris, ad nos ſcribito. Spiræ 18. Decembris. Anno 37.

FRANCISCO BALDVINO, I. C.

CVM eſt grata amicitia omnis, quæ & ſtudiorum ſimilitudine, & communi virtutis voluntate conflatur, tum equidem, Balduine Clariſſime, memorabilem & propemodum diuinum fructum illum cenſeo, quem è recenti optimi cuiuſque ad omnem laudis & gloriæ dignitatem contendentis amicitia capimus. Habet enim illa veterum officiorum iucūdam recordationem & gratam memoriam, hæc verò magnam dignitatis lucem ac ſplendorem adferre nobis ſolet; propterea, quòd ad retinendam Ciuilis vitæ animorumq́ue coniunctionem, nihil efficacius, nihil præclarius ad augendam nominis exiſtimationem conſtitui poteſt, quàm augeri doctiſſimorum hominum, quorum eſt actio omnis cum Reipublicæ

dignitate coniuncta, conſuetudine ac beneuolentia. Nam & ſi perm agnum, & cum Deorum immortalium laude coniunctum eſt, in præſtantiſſimarum rerum gloria & dignitate verſari, curas, animique commentationes in Republ. rectè beneque gerenda defixas habere, ius æquale cunctis dicere, & depoſita eius ſtudia ad gloriam & ſplendorem priſtinum reuocare, non vulgaris tamen eſt & dignitatis & laudis, diligi & amari à bonis viris, eorumque ſcriptis ac monumentis illuſtrari. Id quod mihi eueniſſe propemodum video, cùm tu multiplici & incomparabili vir eruditione, eloquentia inſignis, & alta quadam naturæ vi præſtans, hoc feciſti humaniſſimè, vt notas illas tuas ad librum Digeſtorum ſeu Pandectarum, primum & ſecundum, prius mihi inſcripſeris, quàm vllis meis vel literis vel beneuolentia fueris prouocatus. Cùm antea doctiſſimos illos tuos, in libros inſtitutionum Iuris Ciuilis quatuor conſcriptos commentarios legiſſé, admiratus ſum Elocutionis ſplẽdorem, docendi facilitatem, hiſtoriarum lectionem multiplicem, inſignem vbique iudicij altitudinem, cupiebamque inductione mei erga te animi & voluntatis amicæ in aliquam tecum conſuetudinem & amicitiam venire poſſe. Quod cùm mihi nuper Francofurti contigiſſet, gratulabar ipſe mihi, quod ſperatæ amicitiæ fructum eſſem cõſecutus. Nũc verò, cùm hoc mihi ad cóceptam animi

animi delectationẽ acceſſerit, nihil eſt quod mihi gratius ſplendidiusque euenire poſſe exiſtimem. Habeo itaque, mi Balduine, gratias tibi maximas, cupioque tuæ laudi ac gloriæ in omni officiorum genere, quod quidem gratum tibi eſſe ſenſero, omnibus modis ſeruire, cuius mei erga te animi licebit periculum facere. Agnoſces enim, nec ſtudium, nec fidem, nec ſollicitudinem in ijs rebus, quæ vel poteſtatis meæ, vel voluntatis tuæ eſſe poterunt, mihi defuiſſe, aut vllam gratificandi occaſionem neglectã eſſe. Vale vir clariſſime, & quod publico omnium bono facis, in ijs Ciuilis Iuris notis conſcribendis, quarum eſt cognitio neceſſaria & vtilitas maxima, gnauiter perge. Coloniæ 12. Nouẽb. Anno 57.

REVERENDO AC PRAEPOTENTI *principi ac Domino D. N. Epiſcopo Monaſterienſi Domino ſ. ogratioſo.*

QVod T. G. Reuerende Præſul, princeps ac Domine gratioſe, non magis conſentiente hominum ſuffragatione, quàm Dei Clementia atque prædeſtinatione, Eccleſię ac Diœceſi Monaſterienſi bene ac ſanctè gerendæ, ſit præfecta, id omnibus, qui ſaluam Remp. in his communium temporum ac rerum grauiſſimis commotionibus cupimus, vehementer eſt gratum. Vt enim certa nos ſpes tenet, eandem T. G. pro naturæ ſuæ præſtantia atque perpetua virtutis voluntate, omnes laborantes Reip. partes, in ſuam fidem

atque tutelam ſuſcepturã, ita cùm pro mea, erga eandem obſeruantia perpetua, nihil magni officij præſtare queam, volui tamen huic partæ ac conſtitutæ, eiuſdem dignitati Epiſcopali gratulari, ac omnia fauſta precari. Inſeruit enim naturæ lex, quam & ratio auxit, ſtudiumq́ue humanæ ſocietatis conſeruauit, hanc nobis inductionem animi, vt quorum actiones omnes cum Reipub. laude ac dignitate ſunt coniunctæ, eorum nos ſtudia, propter nominis ac gloriæ æternitatem magnópere amplectamur. Mihi tamen in hac ingenij officiorumq́ue tenuitate, maior quædã cauſa eſt, gratiæ tuæ obſeruandæ atque fideliſſimis ſtudijs retinendæ: non ideò ſolùm, quod quædam ſtudiorum officiorumq; coniunctio, quæ ipſa incredibiles amores excitare ſolet, inter nos adhibita quandoque fuerit, ſed quod rationes meas ad præſtabilis naturæ tuæ bonitatem ingenijq́ue magnitudinem conformare libenter voluerim. Equidem vehementer cupio, omnes meas actiones, ſtudia atque officia in G. T. voluntate retinenda, etiam ſalute patriæ augenda, fixa atque collocata eſſe. Cuius mei erga eandem animi atque voluntatis argumentum, hoc quoque erit, quod hunc virum, latinæ atque Græcæ linguæ inſigniter doctum, Iuriſconſultum inſignem, ac præclaræ naturæ moderatione præſtantem D. Guielmum Moller Doctorem, quem vetus Epiſcopus Monaſterienſis felicis memoriæ, commendatione Godfridi Gropperi, & mea, in ſuam fami-

familiam paulò ante, quàm moreretur volũtate omnium ordinum fuerat ſuſcepturus, commendare voluerim eidem G. T. vt ſi fortè eius vſus, qui ſanè ampliſſimus futurus videtur, eidem eſſe poſſit, eũ ſibi ſumeret. Natus enim eſt optimis ac præſtantiſſimis parentibus, liberaliter in magnis ſcholis erudi tus, pro ætatis decurſu, ciuilium forenſiumque rerum vſurpatione exercitatus, & propter graſſantis peſtis ſæuitiam, quæ Coloniæ hoc tempore magna hominum ſtrage acerrimè viget, ad ſuos cum vniuerſa familia profectus, vt vitæ diſcrimini elabatur. Et quanquam nihil magnopere aut ambitiosè, in quadam naturæ ac fortunæ placabilitate ac moderatione expetat, contentus in aliqua vitæ ſtudiorumque laude ac Reipub. luce verſari; ne tamen ſtudiorum ſuorum vſum detrectaſſe Reipublicæ procurationi videri poſſit, videtur multis de cauſis, ingenij ſui vim atque commentationem in quocunque honeſto officiorum genere potius Monaſterij, in Reipub. optimate, principe, ac magnarum rerum laude florente, quàm vel Coloniæ, vel alibi bonis ac principibus viris probare velle. Quod eius ſtudium præclarumque conatum, ſi is fortè referri in G.T. publicum aut priuatũ vſum poſſit, vt iuuare G.T. velit, etiã atq; etiam humiliter rogo. Nihil enim admirabilis Dei erga nos clementis benignitas præſtantius, nihil fortuna amplius T. G. largita videtur, quàm ea vt velit & poſſit doctiſſimorum hominum, rectis

rectis ac præclaris ſtudiis gratificari. Quod ipſum, vt futurum omnino ſpero, ita ſupplex Dom. Noſtrum Ieſum Chriſtum rogo, vt eandem G.T. Reipub. gubernaculis, quorum clauum eadem in maximis concitati ac propè furioſi huius ſeculi tempeſtatibus retinet, bene regendis conſeruare feliciter velit. Duiſſeldorpij. quinta Auguſt. Anno &c. 1553.

G. T.

Humillimus atque deditiſſimus

Iacob. Omphalius D.

AD REVERENDVM IN CHRISTO patrem & Dominum, D. Geruuinum platea, Abbatem in VVeingart.

QVem veteres homines, ingenio, doctrina & pietate præſtantes, in quodā naſcētis eccleſiæ exordio ſecuti ſunt morem, vt omnes ægras & afflictas laborantis Reipub. Chriſtianæ partes in fidem atque tutelam ſuam reciperent, omnem ingenij vim atque doctrinę vſum ad Euangelij profeſſionem, populique inſtitutionem conuerterēt, cum ſibi in hoc libro ſumpſit Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Colonienſis princeps Elector. Nam cùm videret, in his communiū temporum grauiſſimis commotionibus, & quadam animis doctrinæ veteris inclinatione multa irrepere in Eccleſiam, quorum vſus impius & à Chriſti inſtituto eſſet diſſentiēs, voluit pius princeps, nulla re alia quàm communi virtutis volūtate & perpetua erga puram

ram Eccleſiam deuotione commotus,in earũ rerum curam atque cogitationem incumbere,quæ cum ſalute publica & Eccleſiæ dignitate eſſent coniunctæ, & quanto in hoc inclinantis ætatis difficili curriculo minus haberet virium,tanto plus medelæ in curationẽ ægrotæ Eccleſiæ conferre, bene ſcilicet, & præclarè monendo & hortando. Proprium enim Epiſcoporum officium,& cum vera laudis ac gloriæ æternitate coniunctum ſemper fuit,Euangelicæ veritatis profeſſionem etiã Eccleſiæ reformationem contra immanes opinionum deprauationes ſibi ſumere, nihil præter rectam & puram animi conſcientiam & voluntatem, piam etiam mentem omnibus bonis diſciplinis excitatam ad res bene ac ſanctè gerẽdas adferre,omnia vitæ ac mortis incommoda vtilitati ac ſaluti publicæ condonare,verum ac ſolidum Dei honorem, non vllam priuatæ rei aut quæſtus gratiam aucupari,& quam veteris vitæ,ac morum,etiam doctrinæ legem indicant, eam animi innocentia ac vitæ dignitate profiteri ac præſtare. Ad hanc veterum doctrinam atque imitationem, quicunque ſe conformat,vt certè quiſque debet, etiam ſi minus conſequatur aut præſtet,quàm contenderit, dignus tamen eſt,quem boni viri, atque ex vnius Dei gloria propendentes,amore & beneuolentia cõplectantur. Quando ſicut præſtantiſſimarum rerum omnium difficiles & tardi ſunt progreſſus,ita conatus,rectus præſertim & pius, etiamſi ſucceſſu deſtituatur,ſuam tamen lau-

dem

dem mereri debet. Non mihi has partes ſuſcipio, vt principis mei erga Eccleſiam ſanctam deuotionem, Gratiæ tuæ commendem: ſed cùm ea eiuſdem principis mei Reformationem poſceret, volui hac ipſa animi mei teſtificatione commẽdatior eſſe Gratiæ tuæ, cui mea ſtudia ac voluntatem perpetuam in omni officiorum genere humiliter defero. Spiræ.

CLARISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO D. Ioanni Vldarico Zaſio I. C. Romani Imperatoris procancellario.

CVm omnis cogitatio motusque animi, aut in conſilijs capiendis de rebus honeſtis & pertinentibus ad bene beateque viuendum, aut ſcientiæ cognitionisque ſtudijs verſetur, vir clariſſime, omnes, qui vitæ, gloriæ poſteritatisque ſenſu commouemur, gratulari Exc. Tuæ debemus, qui nulla alia niſi virtutis voluntate, non tam ad Rép. acceſſeris, quod tamen ipſum permagnũ eſt, quàm animi iudicio ab Imperatoria maieſtate, vnus ferè fueris, multis iam annis ſelectus, qui eius partes in ipſius ſuſciperet fidem atque tutelam. Eſt enim inprimis pulchrum, depoſcere ſibi, ſi non deferantur magnarum rerum gubernacula, ſed ea delata & quaſi cõmiſſa, actionis dignitate, ingenio & prudentia retinere, eorumque fortem propugnationem ſuſcipere, eius cenſetur hominis eſſe, quem & natura præſtantem, & inductio animi atque voluntatis excelſum & quaſi Rei-

ſi Reipub.parentem genuit. Magnã, & nulla temporum obliuione interituram doctrinæ & ingenij laudem ſibi conſtituit Ex.T. pater D.Vldaricus Zaſius,Iuriſprudentiæ lumen & totius Germaniæ ornamentum, quod ſuis animi commentationibus pleraque in iure, quæ obſcuriora videbantur ſingularibus intellectibus, non ſolùm ſit interpretatus,ſed quæ in ſitu ac ſqualore delapſa fuerant, in priſtinam reſtituerit lucem atque ſplendorem, docueritque leges omnes, non ad vllam priuatam, ſed publicam vtilitatem eſſe referendas,quarum tantus eſt vſus, nulla vt vitæ tranquillitas, nullus florens Reipub. ſtatus,nulla rerum gerendarum gloria, ſine honeſta earum vſurpatione conſtare, aut retinere poſſit perpetuitatem. Ad cuius pulcherrimæ virtutis imitationem,& natura T. Excell.effinxit,& voluntas honeſtiſſima prouexit, ſtudium verò excellentium rerum confirmauit.Nam cùm ex omni opere, nihil vel ad dignitatem præſtantius, vel ad gloriam comparandam illuſtrius, vel ad conciliandas illuſtrium hominum mentes & voluntates admirabilius fingi queat, quàm omnes Reipub. partes, viſcera atque menbra in ſuam tutelam ſuſcipere,de imperij Romani grauiſſimis negocijs conſulere,commoueri Reip.vice,ac ne ea detrimenti quid accipiat,omni diligẽtia prouidere,quod religio, quod lex, quod æquitas poſtulat, rectè alijs præcipere, harum autem virtutum nulla ſit, quæ in T.Exc.non eluceat, facilè ea perſpicit,

cit,quam in publicis rebus atque imperij dignitate perſonam gerat. Non mihi in quadã ingenij & orationis paupertate adſumo, vt te magnum & excelſum virum, cuius honeſtæ actiones in publico quaſi theatro toto ferè orbi Chriſtiano ſunt propoſitæ, vlla mea laude prædicem,ſed hanc tamen meæ erga T. Exc.voluntatis atque obſeruantiæ ſignificationé facere volui,ea vt intelligat,me adſum ptæ noſtræ conſuetudinis eſſe amãtiſſimum. Studia ſanè mea in omni officiorum genere eidem deferre non ſum auſus,quod cuncta in illa ſunt auguſtiora & illuſtriora, quam quo tenuis meus conatus poſſit aſpirare. Si quem ea tamen exiſtimet vſum mei eſſe, eum tanquam ſuo iure ſibi licebit adſumere. Ne grauem,ſegnem & quaſi languentem meam ſenectutem ſine vllo ſtudiorum fructu contabeſcere ſinerem, conſcripſi tres libros de Ciuili Politia,eoſque Imperatoriæ maieſtati, cum omni obſeruãtia dedicaui.Et quoniã natura nil Exc. T. præſtantius dederit,fortuna nihil amplius largita ſit, quàm ea vt poſſit & velit optimorum hominum ſtudijs opitulari,valde rogo, ne eandem T. Excellẽt. hic mihi benignitatem ſuam claudere, ſed potius amicam voluntatem gratificandique ſtudium declarare velit. Deus pro immenſa ſua erga nos clementia Excellent. Tuam ſaluam & incolumem Reipub. bene ac ſanctè gerendę conſeruet.Ex illuſtriſſimi principis mei Iuliacenſis &c.Cancellaria, Prima Martij Anni 66.

CLA-

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE *viro Domino Georgio Sigiſmundo Seldio LL. Doctori, Imper. Maieſt. procancellario &c. Suo patrono &c.*

IN quantas miſerias peruenerim perfidia patris ac filiorum ab N. qui bona fide mihi plus quàm ſeptem thalerorum milia debent, iam ante ex meis Frãcofurti ſcriptis ad T. Exc. literis intellectum illi ſatis eſt, Clariſſime Domine procancellarie. Grauiter, & acerbè fero, cùm propter vxoris meæ lectiſſimæ mœrorem, quæ vna cum duodecim adhuc viuentibus meis liberis in communes perturbationes detruſa eſt, tũ verò propter languentem ætatem meam ſenilem, hanc mihi iniuriã ab illis inuri, de quibus bene ſum meritus. Non ignoro ſapientiæ noſtræ eſſe, vt rationes noſtras confirmatas aduerſus omnẽ fortunam habere, nec aliundè, ſed ex noſtrã animi temperantia & moderatione pẽdere, neque vllo vel caſu infeſto, vel hominum factique indignitate firmitudinem grauitatemq; animi abijcere, ſed nos potius abducere ab angoribus ad ea velimus, quibus vel res noſtræ ſecundę ornentur, vel adiuuentur aduerſæ. Sed tãtum eſt doloris vulnus, quo percuſſus ſum prædictorum illiberali debiti detrectatione, vt vix paruum remedium poſſit mihi adhiberi. Qui enim iam ante in florente ætate, & ciuilium rerum procuratione cęteris ſum viſus temperans & moderatus, nunc in decurſu, grauiſſimæ ætatis ad metas

veluti hæreo, ſentioque natura fieri, omnes vt alienis in rebus aduerſis, magis quàm noſtris malis ad animi moderationem, lenitatem & tranquillitatem ſimus propenſiores: vt tamen animum ab angoribus quocunque poſſem modo abducerem, deſcenderemque ad aliquam mœroris remiſſionem, putaui mihi ægritudinis meæ medicinam ex literarum oblectatione petendam, neque committendum eſſe, vt ingraueſcentem ætatem meam ſuſtinerem, vel languore vel inerti ocio debilitari. Conſcripſi itaque hos de Ciuili Politia libros tres, quantum hoc mihi per ocium, quod exile mihi hactenus contigit, etiam alacritatem animi, quæ non admodum magna eſt, licere potuit, eosque dedicaui sereniſſimo inuictiſſimoque Imperatori Ferdinãdo ſemper Auguſto, propterea quòd in eius cura atque procuratione præcipuè poſita atque locata ſit Ciuilis Politia, & ſtudioſiſſimorũ hominum non reprehendendus mos ſit, vt ſua ſcripta ijs inſcribant, quorum benignitate ac clementia ipſorum ſtudia vel iuuari, vel aduerſus hominum iniquas iniurias defendi queant. Me ſanè in magna malorum acerbitate bona ſpes tenet, fortunæ meę adflictæ multumque iactatæ portum & perfugium quoddam mihi in Cæſareæ maieſtatis beneficentia atque liberalitate non defuturum, maximè tua commendatione & authoritate, quæ bonis viris, pręter omnem culpam in res aduerſas ſtratis, atque abiectis gratificari ſolet. Quæ mea ſit laudis tuæ veriſſi-

riſſima prædicatio, eius argumentum aliquod in Epiſtola dedicatoria detexi. Et cùm illi principi meo Duci Iuliacenſi &c. inſeruiam, in cuius matrimonium imperatoria maieſtas ſuam dederit filiam; ignoſcendum mihi exiſtimo, ſi hos meos libros eius nomine ædam atque in vulgus prodire ſinam, qui & ſumma rerum gubernacula imperijque clauum tenet, & cuius gloria, nulla hominum memoria eſt interitura. Et quoniam Deus pro ſua clementia nihil Ex. T. amplius eſt largitus, quàm vt poſſit; nihil illuſtrius, quàm vt velit optimorum hominum ſtudia tueri atque iuuare, ab eadem magnopere peto, vt amicam ſuam voluntatem atque beneuolentiam ad mea ſtudia, quæ nunc plena ſunt mœroris, prouehenda declarare, & hos meos libros Imperatoriæ Maieſtati deferre, & quæcunque vel dignitati, vel vtilitati meæ conducere arbitretur, ſingulari ſtudio facere velit. Nec enim aliud maiore ſtudio à T. Exc. petere poſſum, nec ea mihi gratius vel honorificentius facere poteſt, quàm hac in re ſuam in me conferre voluntatem amicam & beneuolam, cui in omni honeſto officiorum genere, ſeruire imprimis cupio. Etſi autem non dubito, quin ſine mea hac admonitione, quæ naturæ tuæ ad omnem humanitatis laudem contendentis eſt facilitas, ſtudioſè omnia ſit Exc. T. factura, quæ res mea poſtulat, tamen volui amoris noſtri mutui fiducia leuem hanc admonitionem, tanquam calcar currenti induere,

quò magis ea intelligeret, omnes meas rationes in ipſius tutela atque fide defixas eſſe. Habeo enim præter T.Exc. apud Imperat.Maieſtatem neminem, cui hanc meam cauſſam poſſim commendare. Si quis vllus vnquā vſus mei viciſſim eſſe eidem poterit, non committam, vt vel grati animi voluntatem, vel ſtudium diligentiamque meam deſiderare poſſit. Dominus Deus eandem Reipub. bene ac ſanctè gerendæ, vnà cum ornatiſſima vxore ſaluam atque incolumem conſeruet. Coloniæ 29. Iulij, Anni 1562.

CLARISSIMO AMPLISSIMOQVE *viro D. Stephano Laureo Ampſphordienſi Medicinarum Doctori; & à curatione inuictiſſimi ſemperqúe auguſti Ferdinandi Imperatoris Romani &c. ſuo &c.*

QVantam mihi animi rerumque perturbationē attulerit perfidia N. qui à me ſupra ſeptem thalerorum milia habēt, eius ſignificationem T. Exc. feci, Clariſſ. D. Doctor, cùm nuper Francofurti in Electione Romani regis aliquotiens cōgrederemur. Etſi autem omnes meæ res atque opes huius facti indignitate atque infortunio cōciderint, & quod multis annis, multa laboris contentione, indefeſſo ſtudio partum & acquiſitum fuit, id breui momento, non vlla mea culpa, ſed nimis magna fide, ſeu potius illiberali facto N. perierit: nolui tamen ita languori me dede-

dedere, aut etiam malorum concurſu defatigare, vt ingraueſcentem ætatem meam ſuſtinerem, inerti ocio contabeſcere. Eſt enim omnium noſtrũ, qui immortalitatis ſenſu ducimur, & longius quàm vitæ ſpacium exile poſtulat, de ſpe & gloria poſteritatis cogitam⁹, ita rationes noſtras aduerſus omnẽ fortunã confirmatas velle habere, vt non aliunde, ſed ex noſtra virtute, modeſtia & patientia pẽdere velimus. Vt igitur ab angoribus animũ ad ea abducerem, quarũ dignitate liberalis oblectatio pararetur, cõſcripſi tres libros de Ciuili Politia, quos & ſi nomini Imperatoriæ Maieſtatis inſcripſerim, præclarum tamen teſtimonium magnarum virtutum sereniſſimi Romanorum regis Ferdinandi in ipſa Epiſtola dedicatoria feci, vt eius Maieſtas intelligat, omnia mea ſtudia in eius venerationem atque laudis prædicationem eſſe conuerſa. Non potui per equos plura quàm duo eius exemplaria tranſmittere, cùm alioquin non fuerim commiſſurus, vt non vno Exemplari te Clariſſimum virum ſingularemq́ue meum fautorem donarem, quod tamen libenter ſum meliori occaſione facturus. Et quoniam eadem tua Excell. admirabili Dei benignitate facta, & generata eſt ad omnem humanitatis laudem, neque maior in eadem reſideat virtus, quàm eadem vt poſſit & velit optimorum hominum ſtudijs gratificari, pro noſtra amicitia, aut mea potius erga te obſeruantia perpetua rogo, in eam cogitationem incumbas, quo modo honeſtius & v-

 tilius

tilius meus hic liber de Ciuili Politia offerri poſſit Regiæ Maieſtati. Quod vti per Excell. T. futurum planè confido, ita eidem viciſſim polliceor, ſemperq; præſtabo, ſi quid pro ea potero, totum illud me ad eius amplitudinem conuerſurum, quam Deus pro ſua Clementia ſaluam & incolumem cõſeruare dignetur. Coloniæ 29. Iulij Anno 1563.

CLARISSIMIS AMPLISSIMISQVE viris, familia genere ac virtute præſtantibus D. *Cancellario ac reliquis Conſiliarijs illuſtriſſ. principis electoris &c.* N. N. *&c. ſuis &c.*

CVm ſuperioribus annis, Clariſſimi viri, neceſſarius quidam amicus in vſum N. à me pecuniam, cuius ſumma nunc ſeptem thalerorum millia egreditur, pro noſtra coniunctione atq; perpetua animi inductione rogaret, non detrectaui, amici rogãtis voluntati morem gerens, hanc pecuniam illi in vſum N. dare. Exiſtimaui enim, N. quorum vitæ ac nominis exiſtimatio, induſtria in rebus agendis, fides in negotijs conficiendis, tum mihi magnopere commendabatur, viros bonos eſſe, & eum pecuniæ vſum rectum fore, qui in amicorum honeſtas rationes atq; vtilitates conuerteretur. Quæ ſpes vt me prę ter omnem expectationem fefellit, ita in magnas perturbationes animi, etiam rerum difficultates conijcior, culpa eorundem, qui à data fide, quæ propria eſt bonorum hominum, etiam dicta inter nos conuentionis lege, cu-

ge,cuius obſeruatio iuris naturalis eſt,declinantes,nec ſortem mihi, nec annuã eius penſionem in hunc vſque diem,perſoluerunt. Alijs in nationibus inferioris Germaniæ, nimius eſt luxus & illiberalis quædam licentia concedendi quinquennalis ſpacij beneficij,quod ijs qui videntur bonis cedere velle, plerunque in grauem Creditorum læſionem ſolet concedi. Noſtra Germaniæ pars, cuius maieſtas in vera officij religione,integritate iudiciorum,& ſingulari datæ fidei obſeruatione fuit defixa atque locata, hactenus ſeuerè in eos animaduertit, qui non ſoluendo id,quod debebatur, dirimere ciuilem ſocietatem, etiam ſubmouere hominum commercia videbantur. Non concupiſco cuiuſpiam afflictionem,ſaltem vt meum ex æquo & bono conſequar, ſedulò ago. Et quoniam per N.intellectum mihi eſt,illuſtriſſ. principem Electorem N. ad rogationem eorum creditorum,quorũ ære ac data pecunia mutua obſtricti ſunt N. in arreſtum ſiue ſequeſtrationem deductam eam pecuniam eſſe, quam ijdem Dominis ab N. tanquam vaſallis eiuſdẽ principis Electoris,in iudicio Imperial. Cameræ actione ædita proſequuntur, & mihi ius, vi datæ obligationis omnium bonorum, in nomina ipſorum N.competit, valde ac pro perpetua mea erga vos obſeruantia rogo,vt quoniam clementiſſ. Deus, nihil vobis amplius, nihil fortuna illuſtrius largita ſit,quã vt velitis & poſſitis eos veſtra benignitate alleuare, qui indigniſſimè & cõtra fi-

dem bonam læduntur, ne grauemini apud gratioſiſſ. veſtrum principē Electorem efficere, quo illud debitum, quod N. à comitibus in N. exigunt, tanquā nomen mihi in vim generalis obligationis datæ, arreſtari quoque poſſit. Quod vti à vobis futurum, magna me ſpes tenet, ita hoc vobis ſingulis perſuadere debetis, ſi quis vſus mei vobis in quocunque honeſto officiorum genere eſſe poterit, eum me libenter & ſpontanea voluntate mihi depoſcere velle. Coloniæ 28. Martij Anni 1563.

N N. S. P.

IN quantas animi & rerum perturbationes, perfidia N. deuenerim, iā ante, vt permultis alijs, intellectū tibi eſt, vir ampliſſime, ſingularis fautor atq; amice. Tulit ita caſus infeſtus & quædam furioſi huius ſeculi lues tanquam peſtis, vt in quorum tutelam atque fidem res noſtras demus, eorum fraude in fortunę dimicationē deſcendamus. Quòd magna & indefeſſa laboris contentione, ſuſceptoque vitæ periculo, præcipuè Dei erga omnes nos clementis benignitate partum eſt, hoc ipſum impia, barbara ac prorſus immanis negociatorū iniquitas, breui temporis momento abſtulit. Non eſt per me inſolitum lucrum, quod intereſſe dicimus, affectatū, vel in tradenda mea pecunia quæſitū: ſecutus ſū coniunctiſſimi amici perſuaſionem atque fidem, quæ nunc mihi fraudi eſt atque damno. Te virum bonum ad omnē benignitatis laudem creatum, pro vetere noſtra amicitia

Z 5 rogo,

rogo, vt quod à generoſo Domino meo Comite in N. peto, eius me participem facias. Agnoſces apud me valere memoriam accepti & declarati officij. Quod mihi ſit expectandum fac quæſo cognoſcam. Vxorem tibi tuis moribus atque ingenio, doctrina & pietate culto, dignam etiam obſequentem contigiſſe gratulor, ex animiq́; veriſſimis affectibus gaudeo. Ex eo quod mihi debetur, velim, etiã pro noſtra vetere amicitia rogo, vt illi dari cures pro tuo arbitrio, honorarium quatuor thalerorum, non alia, quã veræ virtutis, mutuæq́; noſtræ beneuolentiæ cauſa. Deus vtrũque veſtrum ſaluum atq; felicem conſeruet, Coloniæ. 1. c. Martij Anni 1564.

Tuus in omni officiorum genere

Iacob. Omphalius D.

D. CHRISTOPHORO *Matthiæ.*

CVM vir Clariſſime, nihil præſtantius Deus, nihil natura T. Ex. maius largita ſit, quàm ea vt poſſit & velit bonis viris, qui nimia quorundam hominum perſuaſione, in diſcrimen ſunt adducti, opitulari, & eum in alienis difficultatibus animum ſibi induere, quem vnuſquiſque ſibi in ſuis periculis adſumere ſolet, omnibus precibus abs T. Ex. contendo, quas literas promotoriales ratione crediti per me dati ad illuſtriſſimũ principem ac ducem N. mihi dari à Reuerẽdiſſimo Archiepiſcopo N. principe Electore

rogauerim,eas vt cõſequi poſsim.Sunt enim multi ac magni viri,quorũ prudentia in ſpè adducor,vt earum literarum vſum mihi ſperem pro futurum.Si quis vllus mei aliquando vſus T.Exc.viciſſim poterit eſſe, non detrectabo vllum officium.

AD D. OFFICIALEM N.

QVAE vis atque poteſtas ſit calumniæ ac inuidiæ, venerabilis ampliſsimeq; Domine Officialis,id in meo caſu infeſto ſentio.Nam etſi Deum animi conſcientiæque meæ teſtem habeam, quod nullas mihi vnquam aduocationis partes ſumpſerim in cauſa N. tamen impij illi monachi, vt optimorum hominum ſtudia pacis atque concordiæ turbent,in me abſentem,indefenſum, & de illis non malè meritum, illiberalia cõuitia atque criminationes ſpargunt: quas conabor vel iure,vel ſcripto publico conuellere.Quare rogo, cùm tua dignitas quoque ſciat,ante inſtitutam amicabilem compoſitionem, nihil me in hac cauſſa vnquam pro noſtro Reuerendo principe ac Domino N. egiſſe:& quod viderem concordiam per monachos reijci,me noluiſſe vitandæ offenſionis cauſa,quicquam in hac cauſa amplius facere;vt tuo teſtimonio, epiſtola, ædito, hoc meum ſtudium, rectum & amicum conatum atteſtari,hanc etiam operam fidemque tuam pietati Chriſtianæ ac innocentiæ,(cùm hoc ipſum bona cõſcientia ac veritate fieri queat)

at) pręſtare velis. Si quid viciſsim in omni officiorum genere pręſtare potero, ſenties nec voluntatem meam, nec fidem, nec ſtudium tuæ dignitati defuturum. Chriſtus omnipotens tuam valetudinem feliciter conſeruet. Expecto autem reſponſum dignitatis tuę in vim aliquam teſtimonij. Ex Duiſſeldorpio 6. Nouęmb. Anno 53.

Iacob. Omphal.

AD D. N. CANCELLARIVM.

ETſi venerabilis ampliſsimeque Domine Cancellarie, præter Dominum Deum, omnium quæ acta ſunt, verum & rectum iudicem, te ac Doctorem Chriſtianũ weick, teſtem habeam, quòd in controuerſa cauſa N. contra N. nullam aduocationem præter poſtremam hanc amicabilem tractationem ſumpſerim, tamen ambitioſi illi monachi, inſignem calumniam in me abſentem ac indefenſum coniecerunt, quò magis animum N. alioquin à me alienatum, in me vehementius concitarent, meque hac cauſa vniuerſa expellerent, expulſum ſuis mendacijs, quæ euidentiſsima ſunt, operirent. Quod ipſum quàm rectè ac piè fiat, Chriſtus vindicabit. Suſpicari certè non potueram, hoc meum ſtudium, quod tranquillitatis communis cauſa ſuſcepi, tantum mihi odij excitaturum. Et ſunt ex ordine Conſiliariorum àliquot, qui obſcurè dicunt, Reuerēdum in Chriſto principē ac D. N. gratioſum Domi-

Dominum meum valdè frigidè me,& (vt illi aiunt)cortuſano more excuſaſſe, quod tamē non credo,cùm eximia ac ſpectata eius virtu te ac probitate,tum verò quorundam hominum nimio calumniandi ſtudio adductus. Et poterit me conſolari conſcientia recti, quando etiam principum virorum rectæ actiones non carent malorum hominum calumnijs: cuius rei exempla nuſquam non extant. Tuam autem dignitatem pro noſtra amicitia & mea erga illam voluntate perpetua rogo, vt quid poſtremò cùm abijſſem actum per noſtrum principem cum N.ſit, & quæ diſputationis, etiam obiectæ criminationis ratio fuerit,id pro noſtra fide atque taciturnitate ad me perſcribere velis.Scribo has annexas literas ad eundem noſtrum principem Epiſcopum N.vt pro naturæ ſuæ bonitate atque Clementia excuſationem mei ſuſcipere velit,qui eius gratiæ cauſa,in hanc perturbationem ſum coniectus.Velim autem principem in hanc rationem Epiſtolæ meæ reſpondere, qua in re vt tuum mihi ſtudium atq; beneuolentiam declarare velis,etiam atq; etiam rogo.Si quid in quocunque officiorum genere præſtare viciſsim potero,non deſiderabis fidem diligentiamque meam. Datum Duiſſeldorpij.6. Nouemb.Anno 53. Iacob.Omph.

IACOB. OMPHALIVS LVDOVICO *Hilleſſemio ſuo* S. D.

CVM omnes eos, qui poſteritatis ſenſu atque ſpe ducti, ingenij ſui vim omnẽ ad earum rerum ſtudia conuertunt, quarũ eſt gloria omnis cum Reipub. dignitate coniuncta, tum multis de cauſsis valde te amo. Nam ſtudij ingenijq́ue ſimilitudo quædam, cuius vis præcipua eſt ad conſtituendam amicitiæ æternitatem, & ipſa illa communis patriæ charitas ſic te mihi coniunxit, planè vt cupiam meum tibi in omni officiorũ genere, quod quidem cum vtriuſque dignitate ſit coniunctum, ſtudium declarare, vel mei ſaltem erga te animi, emetiri propenſionem. Hanc enim ſpem cogitationemq́; de te habeo, vt tu in optimo ætatis flexu, & quadã inſtitutionis rectæ felicitate is ſis aliquando futurus, qui ſeneſcentem patrię noſtrę laudẽ poſſis vel illuſtrare, vel in eam diſciplinæ veteris amplitudinem, vnde deijci ac ruere videtur, publico omnium bono reſtituere. Nobis certè in magnis rerum perturbationibus, in graui ac deſerta egeſtate, quæ cogitationum noſtrarum ſpem propè omnem fregit, non licuit eam, quam tibi cæteriſq́ue præclaris ingenijs optamus, conſequi eruditionis perfectionem, & ætate deuenimus in hanc communium temporum conuerſionem, quæ optimorum hominum ſtudia magnis nuper ſeditionibus afflixit. Tibi felix ad omnes diſcipli-

diſciplinas perdiſcendas ingenium,& ea fortunæ benignitas,quæ tibi omnis ſollicitudinis ſummam ådferre poſſit alleuationem. Quo maiore ſtudio in hanc curam incumbere debes, vt excitatam de naſcente ingenij tui laude expectationem,non ſolùm ſuſtineas, verùm etiàm magno aliquo ac præclaro conatu ſuperes. Vale,& Valetudinem nobis ſtudijſque conſerua. Spiræ ex ædibus noſtris 3. Idus Octobr. Anno 1537.

EIDEM.

MVLTAE ſunt cauſæ, Ornatiſſime Ludouice,quamobrem fidem tibi meam in negocijs, beneuolentiam in Ciuilis officij religione, induſtriam in exurgentis ſtudij tui laude amplificanda in primis declarare cupiam.Non enim meum erga te ſingularem amorem naturæ illa ſanguiniſque cognatio ſolùm conſtituit,aut prouexit ſtudij ſimilitudo, quæ æternas gignere amicitias ſolet, aut voluntas deniq; vtriusq;, animorumque conſenſio exercuit:ſed ea mihi neceſſaria magis amplectendi tui ratio videtur,quod in eam præſtātiſſimarum rerum cogitationem ac curam magnis conatibus incumbas, quarum dignitas & ſeneſcentem patriæ noſtræ laudem magnopere, vt ſpero, illuſtrabit, & Reipublicæ,cuius nuper ægræ, ac propè depoſitæ partes omnes fuerant, magno futura eſt adiumento. Nam eam vitæ rationem es ingreſſus, cuius ampliſſimus

in conſtituenda Republica, propugnandiſque ciuium fortunjs vſus eſſe poterit:& cũ hoc tibi in optima ætate ſumes, nihil vt magnoperè præter honeſtatem & ingenij gloriam,qua ſola nominis noſtri æternitas conſtituitur,expetendum putes, facilè omnem amplíſſimarũ rerũ laudem,ac principum etiã virorum gratiam conſequeris.Hæc ſi mihi cauſa colendi tui non maxima foret,facilè tamẽ patristui erga me perſpecta pietas,cum ſumma beneuolentia impelleret, vt ad tuas me rationes,voluntatemq́ue planè conformarẽ. Quare pro mea ſumma ac perpetua erga te voluntate rogo, vt ſuſtinere atq; amplificare conceptam de te expectationem velis,& de Omphalio tuo omnia in omni officiorũ genere ſtudia expectare, quæ cum aliqua familiæ tuæ ac nominis coniuncta ſint dignitate.Remitto ita vt iuſſeras ſyngrapham, loco acceptilationis. Agnoſcit creditor beneuolentiam tuam non ſine conſuetudinis tuæ ac vitæ laude,cui ego quoque vt fides mè cogit, libenter ſeruire ſoleo.Vale chariſſime Ludouice,& parenti vtrique me commenda. Spiræ ex ædibus noſtris 3.Octob. 1 5 3 8.

Tuus per omnia Iacob. Omph. Andernacenſis.

Agnoſcis hîc Bartholianam,non Ciceronianam Epiſtolam, &c.

IACOB.

IACOB. OMPHALIVS
Antonio Hilleſſemio
S. P.

MVltæ ac magnæ ſunt artes, chariſſime Antoni Hilleſſemi, quibus & vitæ dignitas & verus gloriæ ſplendor paratur, vna tamen eſt Iuriſperitia, quæ ſemper homines in magnos honores & ampliſſimũ dignitatis ordinem collocauit. Docet enim ea, quæ eſſe debeat hominũ coniunctio, quæ iuris conſeruandi æquabilitas, quæ iuſti & iniuſti regula: nobis vt perſuadeamus, nihil maiorẽ ſtudio amplectendum eſſe, quàm vt ſuum cuique tribuamus, viuamus honeſtè, ſine iuſta cuiuſquam vel indignatione vel læſione: Quæ cùm veri Iuriſconſulti partes atque officia, non obſcurè liquet, quã præclarum gloriæ iter ingrediantur, qui ſua ſtudia poſita & defixa habent in huius pulcherrimæ artis præceptionibus tradendis. Mihi ſanè, vt in quadam ingenij atq; rerum paupertate, etiam naturæ implacabilitate non licuit eò, quò contendere ſum conatus, peruenire, & eum ſtudiorum progreſſum facere, quorum magnus aliquis vſus in communẽ poſſit conferri vtilitatem. Ita tè qui optimis parentibus natus, eorum cura atque opibus ſis adiutus, & iã inde à prima ætate, liberaliter inſtitutus, maiorem in modũm rogo, nihil vt cum ſolida virtutis gloria, cum optimarum artium cognitione & Iuris ſcientia conferendum eſſe tibi perſuadere velis. Hæc autem

tem ſcientia,quaſi in altiſsimo honoris locó poſita,magnam laboris contentionem, aſsiduitatem,& quandam quaſi à cæteris abalienationem requirit, neque ſe in diuerſas res diuelli patitur.Quod & ego vſu ſum expertus,& ipſe aliquādo agnoſces. Poterit autem tibi in primo huius ſtudij exordio magnó adiumento eſſe Ornatiſsimus Eruditiſsimuſque vir D. Caſparus Aldenich I.C. qui cum gratia & vetus mihi fuit conſuetudo,cui tua ſtudia ſcripta Epiſtola commendaui,ſi huius fortè commendationis meæ fructus aliquis cum tuis rationibus videri poſsit cōiunctus. Deus pro ſua in nos clementia ſaluum te atque incolumem conſeruet.Ex illuſtriſ.principis mei aula,6.Februarij, Anno 1566.

BAPTISMI TVI SVSCEPTOR & Cognatus Iacob. Omphalius D.

Godefredo Raſſeller &c.

ACTIO quæ meo nomine aduerſus N. cum Doctore N.nō minore cum pietate quàm diligentia eſt ſuſcepta,perquā grata mihi fuit,atque ad cumulum reliquorum tuorum in me beneficiorum accedit,& ſi res ſuccedat,cuius exitus admodum varius eſt,ſenties benignam meam voluntatem,tibiac tuis quos in numero meorum habeo, nullo nec tempore,nec caſu defuturam.Mit-

to ſcriptum ad D. N. quod à te lectum & aliquo modo tibi conueniẽte conſignatũ poteris ad illum tranſmittere. Concordia ſublatam eſſe controuerſiã inter te & inſulſos recti iudicij egentes homines gaudeo, non tam cauſa eorum qui turpiter ſunt coniuncti, quàm ſtudio tuæ tranquillitatis, quam habere maximam poteris. Vxori tuæ filiæ meæ chariſſimæ mittam agnitæ gratitudinis cauſa, vile honorarium, tanquam munus leuidẽſe quod mihi poſt dies aliquot ex Ciuitate Arnheim erit expectandum. Nam hoc tempore, quod quidem dignum vtilitate maiore foret, haberi non poterit. Optaſsẽ me adferre potuiſſe in meæ atq; tuæ vxoris vſum, aut potius voluptatem, oſtrea atq; conchas, ſed metus putredinis vetuit. Mitto exemplar Ciuilis politias pro meo compatre ac communi amico, D. N. Deus ſuam nobis det Clementiam. Coloniæ, in quam ſub hoc tempus ſum ingreſſus, 12. Iunij, Anni 64.

EIDEM.

ACcepto grauiſſimo vulnere, quod mihi equus ante biduum inflixit, in tibiam rectam, non poſſum ipſe nec eques nec nauigio, in hoc excurrentis Rheni aduerſo nixu Francofurtum me conferre, hactenus etiam illuſtriſſimi principis mei negocijs detentus, vix ſum, chariſſime fili, pro mea in te voluntate petere auſus, vt vicem meam adſumere atque gerere velis in exigẽda ſorte,

ſi qua

ſi qua ratione fieri queat,& item duabus pen ſionibus à fratribus N. aut ſi hoc, quod illi conuentionis lege non ſteterint, omninò impetrari nequeat, vt penſiones duæ mihi ſoluantur conſtituta meliori vel hypotheca vel dato fideiuſſore,aut pignore, idq; ad exemplum aliorum creditorum. ſcripſi in eam rationem D. N. & N. meis compatribus, rogauique eos, vt mihi conſilio, ope & quacunque ratione adeſſe velint, vitandi maioris incommodi cauſa. Si caſus ita ſe obtulerit,vt ipſe hoc tempore Francofurtum adire meo nomine ac ſumptu nequeas, vel abeſſe non poſſis ab aula, quorum tamen neutrum velim eſſe,in eum ſanè caſum,huic meo Amanuenſi Petro negocium dedi, vt ſe hac de cauſa Francofurtum, quo melius poterit,modo conferat, meumque negocium ſtrenuè agat,etiamſi tu plus induſtria, conſilio & authoritate valere, etiam conficere poſſis. Quicquid in hanc rem, vel ſtudij,vel operæ,vel ſumptus impenderis, reddam cum fœnore.Deus tuam vxoriſque valetudinem feliciter conſeruet. Coloniæ 19. Martij,Anni 62.

EIDEM.

NEC neceſſe habebas vir ornatiſſime, clariſſime fili,nec vſus poſtulabat, vt pro aduehendis liberis meis & fortè vxore currũ adduci curaueris. Nã & ſi ea res verã certamque tuæ erga omnes nos,cũ pietatis,tũ verò amicitiæ perpetuæ ſignificationẽ

habeat, de qua nullam dubitationem habui vnquam, maluiſſem tamen hanc nimiam tuã curam atq; ſollicitudinem deponi potuiſſe, propterea quod ea tibi oneri & moleſtię ſit, qua ſanè indignus es. Equidem conſtitui hic conſiſtere, & Dei clementis voluntatem expectare, quando nulla me res perinde atque metuenda ſepulturæ deformitas deterret. Mira eſt & abhorrenda obſtinacitas, quæ nec frangi verbo Dei, nec conuelli tormentorũ metu poteſt. Et ea eſt quorundam in omni opere, etiam in magna ingenij recti paupertate atq; inopia audax confidentia, & quidam tamen lethalis morbus, qui nec curationem, nec remediuṁ ſibi adferri ſuſtineat. Mihi cum Dauide orandum, ne ſpiritum rectum conſeruata cordis munditia, omnipotens nobis adimat. Inuitus hæc, inſigni animi dolore commotus ad te perſcribo, in quẽ omnes meas perturbationes locare atque defigere, pro noſtri ſanguinis iure ſoleo. Antea me longa itineris contentióne debilitatum, nunc podagra ex frigore concepta, diuexat. Omnia apud nos ſunt triſtia, neglecta quoque res domeſtica, nihil hactenus vel boum vel porcorum accepi, neque quicquam tale expecto. Nam peſtis metu facilè eſt inuenire occaſionem, quaſi non omnibus, vbi certo domicilio conſiſtam, conſtet. Nobilis vir N. ſcripſit mihi ſe velle dimidiatum vas vini ad me dare, modò cognoſcat quem in locum vinum aduehi velim. Et quoniam vineatorem
ſuum

ſuum habet, non procul à Bonna trans Rhenum, valdè rogo ne graueris ad illum, ſi eius poteſtas haberi poterit, perſcribere, vt curet vinum Coloniam in meas ædes aduehi, cuius ſanè ſum cupidiſſimus, propterea quod multis hoc tempore rebus etiam pecunia deſtituar, quam alioquin ad te fueram miſſurus, amicè rogans, ne hanc meam ceſſationem ægrè feras. Perſolui etenim multam quam debui pecuniam intra dies paucos. Vale feliciter vnà cum vxore, atque vniuerſa familia. Vxor & ego rogamus magnoperè vt Omphalius ad nos mœrentes redire poſſit. 1. Nouemb. Anni 64.

EIDEM.

IN magna animi mei ægritudine, vir ampliſſime chariſſimeque fili, quam mihi vxoris meæ valetudo, etiam tua, vti mihi obnunciatum eſt, & febris ſymptomate malè me afficiente attulit, gratiſſima fuit tua ſignificatio vxoris puerperæ, quæ te voluit pulchræ filiæ eſſe parentem. Et quod mea vxor conualeſcat, cuius meliorem valetudinem malo, quàm ipſius mei hominis ſenis, in ſepulchrum contendentis videre. Quod me baptiſmi tanquam ſuſceptorem honore digneris, gratias habeo maximas, petoque à te mihi permitti, vt ante diem Dominicum 23. Auguſti dilectiſſimæ vxori adeſſe queam, ad quam ſcribo, & ſaluto tuam vxorem, filiam meam vnicè dilectam, tibique in omni officiorum genere ſtudiũ

& voluntatem perpetuam offero. Valę, Coloniæ, 16. Auguſti, Anni 62.

EIDEM.

QVI has adfert, clariſſime fili, eum petijt tibi commendari paſtor noſter Diuæ Columbæ, ad cuius rogationem has promotoriales dare volui, gratificatus voluntati Domini paſtoris, bene de omnibus nobis meriti. Quantum itaque officij religio poſtulat, poteris cognita prius ex illo cauſa ſtudium tuum eidem declarare. Vale, Coloniæ. 17. Iulij, 62.

S. P.

IN maximis animi mei permotionibus, quas mihi amiciſſimi hominis caſus infeſtus & admirabilis quædam fati acerbitas impiè inuſſit, gratiſſimæ tuæ fuerunt literæ. Nam & occaſionem mihi, qua tuis rationibus gratificarer, oblatam vehementer gaudebam, & in hoc naſcentis fortunæ atque dignitatis tuæ ambitu, cupiebam eundem me ſperatæ aliquando dignitatis tuæ eſſe fautorem, quem ipſe ad ingrediendam humanarum ingenuarumque artium rationem, authorem ac principem tibi fuiſſe, ingenuæ voluntatis iudicio profiteris. Cùm enim omnibus ijs, quorum induſtria exurgentiſque ſtudij conatus, in aliqua ingenij laude atque gloria verſatur, ſumma animi mei beneuolentia ac fide ſuffragari conſueuerim,

ūerim, tum verò tibi propter egregias animi virtutes, ac quandam naturæ tuæ excellentiam, meam claudi benignitatem prorſus nolo. Neque enim mea erga omnes eruditos veneratio, vllam officij patitur exceptionē, neque tibi, qui vitæ ſtudiorumque ſocietate mihi fueris coniunctus, in vllo officiorum genere, quod quidem à me præſtari poſſit, deeſſe poſſum. Quare de meo erga te animo hanc velim cogitationem &c. ſupple ex formulis ſubiectis. Et quanquā nulla mihi nunc occaſio data ſit tibi gratificandi, ſi tamen vlla ſeſe mihi oſtenderit, dabo operam vt intelligas &c.

I. O. STEPHANO DOLETO
S. P. D.

CONſuetudinem meam ad te ſcribendi ſuperioribus diebus intermiſi, non obliuione amicitiæ noſtræ, nec neglectione meæ erga te ſummæ & perpetuæ voluntatis, ſed quòd in eam mihi curam cogitationemque incumbendum foret, vt cum mea aliqua induſtria, tum verò optimorum hominum ſuffragatione ſtudij mei curſum conſequerer ſempiternum. Graues enim & acerbos communium temporum, valetudinisq; caſus, in hoc altiſſimo ſtudiorum ſeceſſu, iā ferè to to biennio pertuli, neque te, qui longo humanitatis exercendæ vſu certum tibi rerum omnium iudicium parau eris, clam eſſe poteſt, quanta hic ſit quorundam hominum aliena laude dolentium peſtis, quāta

dignitatis ingenuarum artium ſtudijs par tæ oppreſſio. Quo mihi maiore ſtudio ac diligentia in illuſtri gratia retinendi fuerunt, qui me tanquam ex longi ſtudij iactatione in tranquilliſſimum honoris portum adduxerunt, & oppreſſam virtutem, ne ſuo pulſa loco, alienis ſordibus obſoleſceret, diuino ſuo ſtudio aduerſus eos excitarunt, quorum mentes nefariæ, cuius neceſſitudinem laude atque honoribus amplificare debebant, eius exiſtimationem traducere, iucunditatiſque ſenſum adimere ſunt conati. Nunc verò magnis curis alleuatus, quicquid reliquum erit ætatis, id vniuerſum ad nominis tui gloriam vel tuendam vel illuſtrandam conuertam. Cuius meæ erga te voluntatis cauſas habeo plurimas, vel meæ in omnes eos beneuolentiæ, qui ſpe atque animo de gloria, de nominis ſui commemoratione, & omni poſteritate adæquanda cogitant, vel præclaris tui in te ingenij, qui pulcherrimis tuis ſcriptis nomen tuum ab aliorum vendicaueris iniuria. Neq; enim aliud mihi iucundius ad animi mei lætitiã, q̃ quod me tibi chariſſimum eſſe intelligã, neq; illuſtrius ad nominis mei prædicationem accedere potuit, quã vt à te laudarer, cuius felix ingeniũ, excellens naturæ benignitas, rara eloquẽtia, orbem prope vniuerſum in ſui pertraxit admirationẽ. Hæc ſi cauſa te mihi totum non conciliaret, nullum tamen officium ſine graui culpa præterire me poſſe arbitror. Quare, &c.

S. P.

S. P.

POſtquã à te diſceſſi Toloſam profectus, nemo fuit, cuius conſuetudo aut delectare animum meum poſſet, aut ſolari, tum quòd mirificus erga me amor tuus multis in rebus mihi perſpectus eſſet, tum quòd vnus omnium ſis, in cuius facilitate, ingenijque moderatione, voluptas mea omnis reſidet. Facit hic amor erga me mutuus, quem cognationis vis primùm peperit, voluntatis vtriuſque exercuit, naturæ quædam ſtudijque ſimilitudo muniuit, vt quò diutius iucundiſſima conſuetudinis tuæ voluptate mihi carendum ſit, hoc tui deſiderio magis ac magis accendar quotidie. Neque enim te, qui longo exercendæ humanitatis vſu in magnam Ciuilis vitæ laudem, morumque commendationem incubuiſti, clam eſſe poteſt, quàm plena voluptatis ea amicitia ſit, quæ communi virtutis voluntate ac vitæ terrarumque ſocietate ſuſcipitur. Auxit etiam animi mei ægritudinem literarum, quæ abſentię deſiderium ſi non extinguere, lenire certè poſſent, diuturna intermiſſio, & caſus infeſtus, qui ſicut florentibus rebus incumbit, ita magnarum cogitationum mearum ſpem propè omnẽ fregit. Incidimus enim eodem ferè anno in duriſſimam febrim, cuius fracti ſæuitia, ægrè perpetuam illam animi claritatem magnitudinemque, quæ ex rebus præclarè agendis, ſuam dignitatem, ſuam adferre conſtantiam ſolet, vel retinere potuimus, vel referre ad inter-

miſſa legum ſtudia. Fit enim, vt celſum animi impetum debilitet languentis corporis infirmitas, ne magnam ſui admirationem, integrum florenſque ingenium excitare poſſit, niſi proſpera & commoda valetudine fulciatur. Indixit hanc legem rebus omnibus, quarum communione hic orbis atque vniuerſitas nititur, prouida natura, vt ſtare diu niſi ſociata functione non poſſent. Nec dubito quin morbi gliſcentis difficultatem cõcitauerint ſtudij paulo contentius ſuſcepti vehementia, & dolor quidam iniuſta quadã ex contumelia contractus, quam vir quidam illiberalis mihi inuſſit, vt nunc præcipitantis feſtinationis & ſtultiſſimæ miſericordiæ pœnas dem grauiſſimas. Colligo tamen me ipſum, & tanquam ij, qui magnis fluctibus iactati, ex alto portum, in quem proſpiciunt, nimia vitæ cupiditate ſenſum omnem obiti periculi amittunt, ſic mihi modò viuere aliqua cum dignitate liceat, non moleſtiſſima eſt fortunæ amiſſio. De rerum mearum ſtatu, niſi ipſe hoc vt facerem, efflagitares, non arbitrarer ad te ſcribi oportere. Sunt enim per tenues atque obſcuræ, & partim nimia mea facilitate, quæ tamen in rebus amicorum augendis eſſe debet maxima, non mediocriter attritæ, partim etiam longæ ægritudinis moleſtia & acerbitate exhauſtæ. Quod minus libenter tibi, quem valde amo, in hac re ſatisfacio, non fit detrectatione officij, aut inhumanitate aliqua, ſed quod vereor, ne meorum malorum memoria animum effo-
diat

diat tuum, & acri quodam mœrore afficiat. quando tamen ita præcipis, & ego quoque magnam alleuationem ad deponendam mœrentis animi debilitationem habere ſemper exiſtimaui hanc conſolationem, qua amicus ſe promittit amico, ſcribam de rebus omnibus copioſius fortaſſe, quàm ſtudij tui magnitudo poſtulat, ſed tamen non frequentius quàm ipſe velis. Venit ad me Ioachimus Polites admirabili quodam fato & plus quã prodigioſo fortunæ ludibrio, in rerum ſuarum omnium diſcrimen adductus, & ſpoliato, de equo mea pecunia proſpexi, qua tamen ægrè admodum careo. Hic in Italiam profectus nihil interea ad me reſcripſit. Poſt hæc Calend. Decembrib. quòd res ſic meæ ferrent, hoſpitiſque voluntas, magno omnium conſenſu ac ſuffragatione adoptatus ſum in Iuriſperitorum collegium, vt prolyta eſſem, quo die, qui antea mihi ad ſuſcipiẽda legum ſtudia authores atque principes extitiſſent, eoſdem ſperatæ dignitatis fautores habui, magna nominis mei laude atq; commendatione. Nemo omnium diſputationibus meis interfuit, qui non de iure publicè reſpõdenti, ſiue amore ductus, ſiue iudicio, ad laudem ingenij doctrinæq; famam, ſummo, omnia concederet. Quod ſingulis debebatur, id mihi vniuerſa hominum memoria prædicandum, plerique quo maior exiſtimationis, ſtudijque mei ratio haberetur, admirabili benignitatis exemplo, publicè remiſerunt. In hoc

hoc tam læto ac ſperato partę dignitatis ſucceſſu, rurſum in nouum rapior infortunium, nimio humanitatis ſtudio lapſus. Conſuetudo mihi aliquot diebus fuit cum duobus Flādris, optimis iuuenibus, & omnibus rebus fortunæque ſubſidijs ad ius perdiſcendum inſtructiſſimis, horum commendatione in amicitiam ac familiaritatem admiſi quendam N. Mechlinienſem, qui ſe latronum inſidijs oppreſſum, fortuniſque ſpoliatum magna contentione & mendacij diſſimulatione, nobis probabat. Hic nos immodicis precibus partim fracti, partim etiam humanæ ſortis commiſeratione, quam patriæ communis charitas excitare ſolet, impulſi, in omnis for tunæ ac vitæ communitatem illum admittimus, germanorum fidem ſecuti. Præbuit ille primis aliquot diebus magnam nobis excellentis virtutis opinionem, quo ſimulata illi' vrbanitas, meam pietatem, animorumq́; beneuolentiam magis excitaret. Poſt mēſem quartum, magno iā ære alieno demerſus, quo ſuā apud nos fidem aliqua etiam beneuolentia liberare poſſet, falſis literis probat conſtitutam ſibi N. pecuniam eſſe, & nos promiſſis eò inuitat, vt in vſum itineris præter viaticum, pallium, pileum, ocreas, annulos aureos, quæ omnia mea erant, equum quoque conductitium, facta à nobis fiducia locatori, interpoſitaque fide noſtra, illius fidei permiſerimus. His rebus inſtructus ille perditiſſimus fraudator, fugitiuus bonorum decoctor, deſperatusq́ue nepos, quem natura ad omnem fraudem

dem peperit, fortuna fundauit, amicitiæ neceſſitatem, pietatis religionem, fidem ſuam, iura omnia officij humanitatisque violauit. Neque enim interim de illo quicquam reſciuimus, ac ſpoliati fortunis quoque noſtris, pro equo conductitio numerare legibus coacti ſumus ſeptẽdecim coronatos ſolares. Pudet me pigetque meæ nimiæ facilitatis, qua ille fraudator, qui omnia naturæ induſtriæq; inſtrumenta, ad noſtram perniciem nimis, quàm diſſimulanter conuertit, tam ſuperbè & impiè eſt abuſus. De illo ſi quicquam iſtic reſciueris, fidei erit tuæ, vt quàm citiſſimè moneas: facies autem me de rebus omnibus, quæ ad nos pertinent, certiorem. Quum ſtatueris ſub autumnum in patriam redire, adiungam me tibi itineris comitem. Nam mea me ætas & infirma valetudo admonet, vt certum vitæ genus, in cuius perpetuitate ſine magna offenſione conſtare mihi poſſim, de ſententia amicorũ deligam, ſi mediocris mihi in his rebus afflictis pecunia ſupereſſet, ac decem me aureis iuuare poſſes, fierẽ doctor, ne ad nugas hæſiſſe videri poſſim. Excuſabis deſertam meam egeſtatem, ſi importunè te admonuiſſe videar, & tu mihi, quæ rogo, præſtare nequeas. Qui has tibi adfert, magnã meorum habet conſuetudinem: proinde tu ad me ſcribito, aut etiam, ſi videbitur, pecuniam mittito, quod tamen tuo ſine incommodo fiat.

&c.

Gun-

GVNTERIO.

NOndum ſatis conſtitui, maiorem ne animi moleſtiam ex literarum tuarum intermiſſione conceperim, quàm voluptatem ex quotidiano illo ſermone; qui de multiplicis eruditionis tuæ laude, de facillimis moribus, de profeſſionis commendatione, clariſſimus honorificentiſſimusque habetur. Etenim multorum ſermonibus vſurpatur, vnum te eſſe, qui Germanus Ciuitate Romana Galenium donaueris. Romanam iuuẽtutem in Græcorum poſſeſſionem auitamque laudem quotidie magna auditorum affluentia atque admiratione reſtituas, nec induſtria ſolùm, aut ingenio cæteros omnes, qui in eruditionis gloria verſantur, facilè vincas, ſed interpretandi quoque fide & alta quadam magnarum diſciplinarum cognitione ſuperes. Magna profectò ingenij tui, immortaliſque hæc laus eſt, quam tibi ex optimarum artium vſurpatione toto ferè orbe ampliſſimam excitaſti, ſed tamen eam illuſtriorem faciet cùm reliquus ætatis tuæ decurſus, qui te ad ſperatum eruditionis finem propè detulit, tum quoque incredibilis humanitatis gratia, quam in te ſemper ſum admiratus. Eam mihi non inuidiſſe videberis, ſi animum meum, qui longo malorum vſu iam contabuit, pulcherrimis iucundiſſimiſque literis tuis alleuaueris, & quod in Epiſtola ad Gargarum ſcripta peto, pro tua in me ſingulari beneuolentia confici curaueris:

ris. Commendabis me officioſiſſimè vniuerſæ tuæ familiæ. Toloſæ 4. Idus Feb. Anno &c. 1536.

AD ZEBVDAEVM.

QVod rariores meæ ad te literæ perferantur, doctiſſime Zebudæe, certè ſuſpicare, illa tui obliuione aut etiam mea negligentia non fieri, ſed quod eiuſmodi ſcribendi officium, in hoc tam alto ſtudij mei ſeceſſu, cùm ipſis propè humanitatis literis, vel abalienarim vel intermiſerim. Nunc decurſo aliquo honoris ſpacio ad priſtinã me ſtudij officijque facilitatem referam, & quarum rerum gloriam à puero amaui, quibus ex ſtudijs parentur, ad ea me magnis conatibus conuertam. Tibi me chariſſimum eſſe, mirandum in modum gaudeo. Cupio enim tecum mihi conſtitutam ſemel gratiam perpetuam eſſe, quam ego iam inde à noſtra conſuetudine non ſeruare ſolum, ſed honorifica laudis eruditionisque tuæ prædicatione atque nobilitate, augere ſæpè ſum conatus. nec me vnquam abs te, cuiuſquam vel inuidia vel maledicentia abalienabit, nec fas eſſe putaui, vt meum de multiplici tua eruditione iudicium, leuiſſimorum hominum condonarem maleuolentiæ. Fit enim neſcio quomodo, vt florentiſſimis ingenijs facilius incumbat inuidia, & ipſa excellens virtutis admiratio, ſuam quoque habeat offenſionem: ſed nos, qui virtutis præſidio, præter hanc æquabilitatem, vitæ fortunam laudisq;

nobi-

nobilitatem , nihil magnoperè expetimus: concuti non oportet, aut labefactari aliorũ inuidia. Quod de rebus Ioachimi Politis ſcire cupis, ad te perſcribere ſine magna animi mei ægritudine non poſſum. Admiſi hic illũ, in omnis meæ fortunæ ac vitæ ſocietatẽ magna & grata optimorum hominum conſuetudine: abeuntemque æger & longa febri fractus, comitatus ſum ad tertium lapidem, ibi inter cœnandũ, admirabili fato & plus quàm prodigioſo atque ſuperbo fortunę ludibrio, equus illi furto ab eo aufertur, qui temere nos ſecutus, opinionem innocentiſſimi hominis de ſe cunctis præbuerat. Hoc infortunij, dolorisq; vulnere percuſſus Polites, tantam animi ægritudinem concepit, vt facilè ab illa ſollicitudine abduci non poſſet. Ego ne in rebus meis anguſtis & longo morbo attritis, amiciſſimi hominis neceſſitudinem intermori ſinerem ; alium hic ei equum mea pecunia proſpexi. Menſis iam quartus eſt, quod ille in Italiam profectus, nihil ad me perſcripſerit, quę res iuſtè mihi dolorem inijcit. Habes tragœdiæ argumentum, cætera ad te perſcribam, cùm aliâs dabitur ocium, nunc non licuit. Te oro ad me vt quàm ſæpiſſimè ſcribas.

S. P.

LIbenter amplector animum tuum N. cũ ea ſit voluntas, humanitas, amor erga me tuus, quem tecum mihi amicorum commendatio conciliauit, patriæ charitas attulit,

lit, ſumma vitæ neceſſitudo & quædam ſtudij naturæque ſimilitudo, vt ſpero, confirmabit. Nam ſi virtutis iſtud proprium ſit, optimorum hominum ſibi animos atque voluntates conciliare, ſperare licet, noſtram illam conſuetudinem, firmam perpetuamque fore, quæ nullis officijs, nulla ſpe futuri beneficij, ſed communi virtutis ſtudio, & quadam beneuoli animi propenſione eſt contracta. Vt eam quam de ingenij mei facilitate concepiſti opinionem retinere velis, maiorem in modũ à te peto. Salutat te Martinus Schoman & Daniel, quibus cum mihi gratiſſima vitę ſtudijque eſt ſocietas.

AD CROCALDVM CAL. FEBR.

CVm mihi amor erga me tuus, beneuolentię officiaque gratiſſima ſint, quæ tu, adductus commendatione mea, multa & magna in cõmunes amicos quotidie confers, tum inprimis gratum fuit, quod Roberti Britanni cauſam liberaliſſimè ſuſcepiſti. Adductus enim in eam fuit opinionem, vt tua te ſponte, quæ fides tua, vtilitasque poſtularet, facturum omnia liberaliſſimè confideret, atque ad voluntatem tuam magnum cumulum acceſſurum commendationis meæ. Quæ ſpes quòd illum falſum non habuerit, gratias habeo immortales. Negocium tuum pro mea ſumma & maxima in te beneuolentia iam diu confeciſſem, niſi me frangeret quorundam leuitas, inconſtantia, tarditas. Habes iſtic nepotem Domini de Tharrede;

cuius hic frater prothonotarius, ius ciuile profitetur præceptore D. Balbutio, apud eum tibi ad feſtum Paſchæ propectam opinor honeſtam & liberalem conditionem, quam ipſe repudiaui, quod ſic ſuſcepta dignitas referret mea. Excitaſti iſtic magnam eruditionis tuæ prædicationem famamque immortalem, quam ego mea commendatione hic facio illuſtriorem. Non dubito quin ad te, quod ita à me rogati eſſent, ſint perſcripturi. Incumbes tu quoque in eam fortunæ tuæ occaſionem, quod tibi, qui iuueni ſis præceptor chariſſimus, facilimum fuerit. Cùm hæc ſcriberem non dabatur eius prothonotarij, qui omnibus officijs mihi eſt coniunctiſſimus, conueniendi opportunitas, propterea quod diuerſorium nuper mutauerit. Eleemoſynarius ille Regis, de quo ſæpè ſumus locuti, omnino me expetit, nó tam animi iudicio, quod tamen illi magnum atque excelſum contigit, quàm amore meo nimio prolapſus. Ego quid faciam nõdum certò conſtitui, in his tantis malis, quibus nos oppreſſit incredibilis audacia, impudentia ac perfidia N. N. Et cùm nihil tam efficax eſt, ad mœrentis animi infractionem dimiſſionemque deponendam, quàm mutua amicorum conſolatio, ſcribam id quoque paucis, cum affectibus meis obſecutus, tum vero ne animi tui moderationem malorum recordatione atque memoria in ægritudinem atque mœrorem adducere videar voluiſſe, & à quo medicinam ſpero, eius animum graui de-

ni doloris affligam vulnere. Venit ad nos N. quem cùm apud te eſſem, vidiſti omnibus fortunæ opibus deſtitutum &c. vt ſupra &c.

S. D.

MIrificè me literæ tuæ delectauerunt, in quibus grata fuit memoria noſtri tua, gratior amor, qui te ad ſcribendum impulit, gratiſſima verò de ingenij mei moderatione opinio, quam & ſi tantæ laudis, quantam iſtic excitari de me ſcribis, commendatione ſuſtinere nequeam, libenter tamen officio atque ſedulitate amplector. Non agnoſco neque mereor, quam tu mihi amore mei nimio lapſus attribuis ingenij ſtudijque gloriam: iudicium certè de me tuum, ex abundanti quadam tuæ erga me beneuolentiæ copia profectum, & animum illum rectum ac nulla alienæ dignitatis inuidia ſuffuſum, colere ſatis atque amare non poſſum. Induxit opinor hunc affectum humanis ingenijs natura, vt omnes, qui poſteritatis ſenſu excitati, in aliqua ingenij gloria verſantur, eorũ afficiantur prædicatione atque nobilitate, qui ipſi omnem laudis pulchritudinem, virtute atq; honeſtate ſunt aſſecuti. ſolus enim is verus immortaliſq; honos haberi ſolet, qui a laudatiſſimis viris nulla ob ſpẽ futuri beneficij, ſed ſola animi virtutẽ defertur atq; datur. Itaque quanquam parem in te beneuolentiam nauare hoc tempore non poſſum, hoc tamen pro noſtra conſuetudine, quam voluntas vtriuſq; nuper coniũ-

xit, tibi polliceor ſemperq́; præſtabo, omnia mea me ſtudia ad dignitatem tuam vicißim amplificandam, libenter conuerſurum, neq; meam tibi voluntatem in officijs, neq; in negotijs fidem, neq; in rationibus tuis augendis beneuolentiam vnquã defuturam. D. Turſtinius tua apud me nõ eget cõmendatione, vir ad omnẽ humanitatis gratiam planè factus, eius conſuetudinem, quæ mihi propter ſingularẽ hominis modeſtia gratiſſima eſt, tibi acceptam libenter fero, vt quàm plurimos iſtiuſmodi amicos crebrioribꝰ tuis literis mihi conciliarem, maiorem in modum a te peto atq; gratia contendo. D. Guilhel. de Gonea, nomine meo officioſius ſalutem dices. D. Lahetum aduocatum Regium, vbiq; ferè in Germania, in Gallia doctiſſimis viris magno cũ eruditionis, tum verò authoritatis ſplendore commendare nõ deſtiti, quo magis doleo, ſic me illius gratia excidiſſe, vt nihil vnquã meis literis reſpondere, nihil totus mutatus ad me ſcribere voluerit. vale. Toloſæ ex ædibus noſtris. Calend. Febr. Anno 1536.

SCALIGERO. CAL. IVL.

ET antea iucundiſſimam ex ea, quæ tecum mihi cùm ſtudio meo, tum iudicio tuo atque incredibili humanitate conſtituta eſt, conſuetudine capiebam voluptatem, & nuper ex doctiſſimis tuis ad me literis nominis ac famæ æternitatem mihi videor accepiſſe. Cupiebam enim pro mea ſumma & perpetua in te veneratione ſtudia tibi

tibi mea omnia probare, & quem naſcentis laudis authorem atq; principem mihi propoſuiſſem, eundem quoque ſperatæ dignitatis fautorem aliquando habere. Cuius me deuotionis admirabili excellentis naturæ tuæ bonitate conuictum eſſe, vt ſeriò gaudeo atque triumpho, ita nihil mihi præclarius ad obſcuri nominis mei & nulla ingenij gratia illuſtris, vel prædicationem vel exiſtimationem accidere potuit, quàm vt tuo iudicio ad aliquam mei commendationem abuterer. Sic enim ſemper iudicaui, cùm multæ ſint artes, quibus laudis ac gloriæ admiratio paretur, nullam tamen aliam ad ſolidæ & omni ſeculorum memoria victuræ gloriæ amplitudinem eſſe viam, quam á ſapientibus viris & bene a natura conſtitutis, diligi atque obſeruari, nullam diuturniorem nominis nobilitatem, quàm quæ propter animi virtutem, ab iis nobis datur atque defertur, quorum præſtans ingenij, eruditionis, ac gloriæ admiratio cum omni poſteritate adæquatur. Sed graues me cogitationes perturbant, ne quem laude atque honoribus amplificandum mihi ſuſcepiſſem, eius iudicio propter eruditionis egeſtatē ſatisfacere nequeā. Emetiar tibi tamen animū meum, & ſtudij officij que diligentia fortaſſe aliquando cōſequar, vt beneficium referre videar voluiſſe. Ate vero maiorem in modum peto atque gratia contendo, vt tuum Omphalium, qui ſe totum ad nominis tui amplitudinem conuertit, quibus poſſis rebus ornes. Hoc certe a

te vix impetrare audeo, vt me in regiam profectioné, literis tuis iis commendes, quos in illuſtri apud Regẽ gratia eſſe arbitraris. Vale

GODEFRIDO RASSELLER EIDEM.

HAec eſt, ornatiſſime vir chariſſimeque fili, huius ſeculi labes, & quædam peſtis, vt nec vitia noſtra agnoſcere, nec eorum ſi agnoſcantur, remedia atque correctionem ferre queamus. Vterque noſtrum cùm hoc agat, vt concordiam inter N. conſtituamus, dilabimur in eorum hominum offenſionem, quorum agreſtis, ruſtica, barbara & quædam implacabilis naturæ acerbitas ex omni vitæ atq; morum inſolentia eſt concreta. Ex meo Colono in Vuinter hodiè domi meæ Coloniæ cognoui ineptum N. a te percuſſum, quod etſi propter naturæ tuæ moderationem factum eſſe nollẽ, tamen ſuſpicor ad eam animorũ percuſſionẽ, te hominis barbari conuicijs eſſe concitatum. Sed cauſſam omnem non cognoſco, neq; hactenꝰ reſciui. Agendum tamen quantũ officij ratio poſtulat moderatè, ne eiuſdem N. vxor hactenus impiè diuexata, in ſummum periculum pertrahatur. Ad quintũ diem Februarij, certũ habebis illuſtriſſimi principis mei beneficio à me impetrato N. N. in tuis ædibus honorẽ, vt inimici intelligant nos in aliqua adhuc principum virorum gratia illuſtri hærere. Non potero conuiuio adeſſe, vocatus ad præſulem Monaſterienſem, qui à meo principe, hanc quoq; operã exegit, qua deſtitui & tibi

ſue-

tuæque vxori adeſſe malum. Sed ita res ferũt, vt non ex meo arbitrio, ſed aliunde pẽdeam. Quod filius meus Iacobus iuris ſtudio eſt deſtinatus, rogo ne graueris a me acceptum ius Ciuile per tuum vel famulum vel ancillã re mittere, & ſimul cura e, vt aliquot perdices cum eadem ad te dentur, aliquot datę ſunt in vſum ſponſaliorum meæ cognatæ. Prouidebo interea quomodo aliũde ius ciuile habere queas. Expeto inter nos conſtare poſſe & animorum conſenſionem, & rerum communionẽ. Præceptor ſiue Pædagogus homo bonus, deſtitutus tamen patris præſidio, paruis libris Pãdectarum apud me vtitur, & neceſſe habet communia ſtudia conferre. Deus te cum vniuerſa familia conſeruet. Coloniæ 22. Ianuarij Anni 64.

EIDEM.

AD diem proximum Iouis aſcenſionis Domini adero vobis vna cum vxore, indè profecturus ad Archiepiſcopum Treuirenſem principem Electorẽ, vt illi auctam dignitatis amplitudinem gratuler illuſtriſſimi mei principis ducis Iuliacenſis nomine. Quare vir ornatiſſime, atq; dilecte fili, magnopere rogo, vt certiorem me facias, quo in loco Archiepiſcopũ conuenire queã, quando iam eius reſcire poteris, qua in re gratum mihi feceris. Quid Rector vniuerſitatis ſcripſerit mitto, rogoq́ue vt in hac grauiſſima communium temporũ commotione honori atq; tanquillitati ſtudeas, referasq́; ad i-

animi iudicium quàm parum præſidij apud eum habeas,qui res atque cauſas tuas in ſuam tutelam adſumere debebat. Et poteris ipſe iudicij tui magnitudine,etiam rerum vſu æſtimare, quàm mutabiles ſæpè eorum ſint mentes atque ſententiæ,qui Reip.gubernacula tractant, & quàm incerti ſint, etiam præſtantiſſimorum conſiliorum euentus atque ſucceſſus. Nobis etiam, qui varia hominum iudicia expectare neceſſe habemus, multa ſunt metuenda,præſertim in furioſi huius ſeculi grauiſſimis conuerſionibus.Reliqua coram. Vale vnà cum vxore atque liberis,vniuerſaque familia.Coloniæ 5. Maij Anni 67.

EIDEM.

IN noſtra congreſſione nuper mihi excidit,quod non curauerim meo filio Iacobo Omphalio, qui Argentorati agit, in vſum domeſtici victus pecuniam mittere, etiamſi ignorem,apud quem Argentorati agat. Sed magna me ſpes tenet, adfuturos fortè Frácofurti, qui allaturi ſint eius ad me literas,quas poteris ipſe aperire & legere.Si pecunia mihi detur a meis N. velim ad hoſpitem filij mei Argẽtorati 20. Iacobo verò duos thaleros mitti. Vtinã efficere poſſis, vt ſpecialis quædam hypotheta bonorum mihi conſtituatur. Equidem vniuerſam hanc cauſam, pro noſtra fide atque perpetua animorum coniunctione, tuæ induſtriæ committo. Mitto duo exemplaria, qu[illegible] alatero

tero fallendi tædij cauſa vti, alterum ad Iacobum filium meum dare poſſis. Deus te nobis ſaluum & incolumem reducat. Coloniæ 4. Septemb. Anni 62.

EIDEM.

ADhortatio tua facta liberis meis ampliſſime vir chariſſimeque fili, ideo mihi fuit gratiſſima, quod in eorum ſalutem & fidelem inſtitutionem ſit conuerſa. Aduenerunt ſub multam prope noctẽ, equis multo ac meruendo ſudore affluentibus, eóque accepti ſunt parum benigne. Expecto tuum aduentum, cuius deſiderio me huc pleriſque inuitis contuli. Has literas meo cognato tuo affini Ludouico Hilleſſemio ſcriptas, velim certo curares illi, quem magnoperè refert has accepiſſe, tradi. Si qua in re gratificari viciſſim potero, declarabo tibi meum officium. Hic peſtis inclementius quàm nuper ſæuit, in multorumq; corpora graſſatur, quam Deus auertere dignetur.

EIDEM.

QVID comes ab N. ad me perſcribat, ex his cognoſcere licebit, vereor autẽ ne verba fiat, cuius ſuſpicionis argumenta multa habeo, ſed pertentare hoc ipsũ, non poterit nocere. Quæſo chariſſime fili, mihi tuo conſilio in grauiori animi mei perturbatione adeſſe velis. ſi videbitur, præſtabit comiti ſcribere, vt ſi eius, quod ſcribit, ſpem certam habeat, diem conueniendi atq;

congrediendi mihi concidibat, vt aliorum quoque conſenſu adhibito, quorum authoritate opus erit conueniamus. Si hypotheca conſtitui mihi poſſit, agam æquis & honeſtis conditionibus, etiam ſi opus forte erit mille thaleris, hos addam reliquo mutuo. N. ſi infenſus mihi non foret, præſenti conſilio nobis adeſſe poſſit. Si res ſuccedat, declarabo in te & illum me gratum. Quæſo vt hæc in certa Epiſtola mihi reddatur tuto. Vale vna cum filia, Coloniæ 21. Iunij Anni 63.

EIDEM.

QVod inter nos conuenit, vir ampliſſime, hoc ipſum Deus pro ſua Clementia bene fortunet. De promiſſa fratris traditione rerum, in perpetuum tuum ac hæredum vſum nihil adhuc reſciui, etiamſi hunc ipſum ad diem Lunæ, qui præterijt, expectauerim. Erit autem inprimis conſtituendum, ne nobis illiberalis quædam varietas aut inconſtantia ſit metuenda, quòd mihi abeundum ſit ad Epiſcopum Monaſterienſem. Vellim te vnà cum fratre tuo, & quos alios habere poteris, ad diem proximam Iouis ſub horam fortè quartam pomeridianam in ædibus meis adeſſe poſſe, ad quod tempus neceſſarios aliquot amicos conuocabo, vt omnia ſolenni more & cum dignitate aliqua conſtituantur, cui ſemper nobis erit ſtudendum. Hæc mihi fuit cauſa, quare hunc ablegauerim, cui fidere ob eius in me voluntatem & taciturnitatem poteris. Expecto hic-

hic animi tui ſignificationem, ad quam meas rationes conformabo. Nolim ante noſtram & congreſſionem & diffinitam conſtitutionem quicquam in vulgus hominum diſpergi. Tibi conſtituendum vitæ genus reliquis negocijs nō nihil intermiſſis, in quo optima conſcientia & tranquillitate reliquum vitæ tuæ curriculum conſumere velis. Deus ſaluum te & incolumem conſeruet. Coloniæ, 1. Iulij. Anni 61.

EIDEM.

QVID ad me perſcribat Ducis VVolfgangi &c. Cancellarius, ex his, vir ornatiſſime chariſſimeq; fili, cognoſcere licebit, quas velim certo nuncio atque tuto ad me, oblata opportuna occaſione, remitti. Et quando præter omnem expectationem hoc manè ſubitò vocor Duſſeldorpiū ob magis metuendum quàm ardens belli vicinitæ, quæſo partes meas tibi ſuſcipias, & Comiti ſcribas, quo is & fratres eius mihi locum cōueniendi ſignare velint, acturum me eiuſmodi rationibus cum ijs eſſe, quarum non leuis commoditas ad illos ſit peruentura. Poſſe quoque me illis porrò proſpicere, vt agnituri ſint, me hominem gratificum futurum. Quicquid in hanc rem ſumptus feceris illum ad tuam ſignificationem libenter (vt rectum & æquum eſt,) item cum gratia rependam. Nouiſti illud Terentij, cùm rectè valeamus, maioribus animi perturbationib. exempti, melius & prudētius nos cōſulere

cæteris poſſe. Deus te vnà cum filia feliciter conſeruet. Coloniæ vlt. Iunij Anni 63.

EIDEM.

ET gratias ago & habeo, pro declarata tua in nos beneuolentia. De agrorū em-ptione placet tua mihi ſententia, velim tamen hoc vniuerſum latere vxorem donec res fuerit confecta, alioquin vt nimis auda-cis eſt confidentiæ, perturbabit totum nego-tium. Pertinebit autem ad locationem vinea-rum mearum in VVinter, vt hac vel ſpe, vel conſtituto agrorum vſu facilè inueniri con-ductor bonus, neq; omninò egens poſſit, ſcis deſerto pædagogo, præpoſita magna vitæ in-ſolentia liberos meos etiam quadam matris indulgentia corrumpi. Quo magis rogo, vt Bernhardus ad me redire poſſit. Si literas ti-ſignatas adferat, poteris illis ſolutis legere e-arum argumenta, vt tuā quoq; ſententiā cog-noſcam. Vale cū vxore & vniuerſa familia. Coloniæ 15. Nouemb. Anni 64.

EIDEM.

QVæ has literas adferunt ſorores deuotæ Colonienſes, negocium quoddam ha-bent in loco tibi vicino, cuius non pa-ruum præſidium in tua authoritate locantur-que ponunt: cùm & vxor tua & vxor mea in earū cœnobio in prima pueritia ſint edoca-tæ, neq; male inſtitutæ, dignæ mihi videntur honeſto officio, & quadam gratificandi beni-gnitate, quam vt illis pro more facilitatis & naturæ humanitate declarare velis, etiam atq; etiam rogo. Fredericus in Chriſto feliciter

dormit.

dormit.Externam familiam, qui cum nemo cōgredi ideo dignatur,quod filijs meis peſte morientibus adfuerint, cogor in prædio Buchliano alere, hic autem Coloniæ in reditū ablegari filij Bernhardi,donec is reuertatur, conſiſtere.Quando nulla vel præſtantior vel diuturnior liberis meis relinqui hæreditas poteſt, efficiā vt vterq; filius Bernhardus & Iacobus Omphalius alieno in loco rectè inſtituantur Iuris Ciuilis prudentia, atq; eius argumentum atq; ſignificationē altero quoque menſe habere queam.Qua re conſtituta, quæ & piam ſolicitudinem & ſumptū requirit,veniam recreandi animi cauſa,vnà cū vxore,relicta reliqua familia,ad te Bōnam,vbi tamen præter vnū diē non conſiſtā.Dominus Deus pro immenſa ipſius erga nos clementia dignetur omnes nos feliciter cōſeruare.Coloniæ 9.Nouemb. Anni 64.

EIDEM.

QVOD communis noſter affinis Petrus N. vllam pecuniā ratione citationis æditæ,eo tempore quo abfui, me inſcio acceperit,hoc ſanè permoleſtum eſt mihi:cupio enim chariſſime fili,inter nos animorum non ſolùm coniunctionem & ius neceſſariæ amicitiæ,ſed rerum quoq; commutationem conſtare.Rogo vt quod me inſcio factum eſt, ne hoc feras grauiter. Apud veſtrum,in quē multa & magna mea extāt officia, nihil præter aulicam & ſplendidā excuſationē ſum cōſecutus. Gratum in primis tuum mihi officium apud N.collocatum eſt, etiam ſi nullum

aut

aut exiguum eius fructum ſperem. Nō plane obticeſcunt & laborant multorum hominū grauiſsimis querelis. Deus pro ſua clementia fortunas meas augere & conſeruare dignetur, vos etiam incolumes retinere. Quod noſtræ ſorores ocio, oblectatione & peregrinatione affluāt & prope luxurientur, hoc illis vt non inuideo, ita in noſtris non probarem, ſed hæ petulatiæ naſcuntur nimia maritorum indulgētia, qua ſuarum vxorum affectibus blandiūtur, ꝙ tamen nec pudoris, nec grauitatis noſtrę eſſe debet. Equidem in hoc furore bellico miſerè diuexor varijs ſcriptorum generibus. Nuſquā in rerum natura deeſſe videtur, quod nō aliqua ex parte nos offendat: ſed noſtræ tamen magnanimitatis eſſe debet, omnia quæ vitari nequeunt, forti animo ferre. Quæ inſignia mea & vxoris ſculpi feci Andernaci, eius operis cauſa mitto hanc pecuniam, vna cum literis ad meum cognatum Ludouicum Hillesheimium ſcriptis. N. profecturus eſt ad Imperatoriam Maieſtatem, etiam Auguſtam Vindelicorū, vt ibi cauſam N. & quomodo proceſſus inſtituendus, cognoſcat: quæſo vt illum in magna animi mei perturbatione conſilio tuo iuuare, ſue etiam literas promotoriales ſiue potius commendatorias ad primarios aliquot ciues Auguſtanos dare, neq; vllam deponere grauiſsimæ huius cauſæ p ocurationē vel his. Mitto tibi meam po [illegible] perpetui & paterni amoris cauſa. Deus ſuo aſſit. Mihi ex omnibus aureis annulis, quorū vnū tu mihi dediſti, duo

ſunt neſcio quo fato, ſublati. Nulla calamitas ſola. Spero te breui pulchræ prolis futurũ parẽtẽ: cuius deuotionis meæ vt participes fiam, D. Ieſum Chriſtum rogo, qui te vnà cũ vxore filia mea feliciter conſeruet. Coloniæ, 21. Iulij Anni 63.

EIDEM.

EA eſt inter N. & me animorum coniunctio ſingulari beneuolentia confirmata, vir Ornatiſſime chariſſimeq; fili, vt nõ raro alter alterius vices in conſcribendis iuris reſponſis ſibi ſumat. Is vt de tua cauſa breui ſcripto reſponderet, ideo à me rogatus eſt, ne vlla ſuſpicione mala ſubuertere dici poſſim, quæ à me ſunt tranſacta: cùm alioqui magnopere cupiam meam tibi atque filiæ meæ in omni officiorum genere beneuolentiã declarare. Quæſo vt filium Fredericum ad me remittas, quem ego & moleſtum filiæ meæ & ad ſtudia ineptũ iudico. Eſt enim hoc mihi in primis gratum, & alioqui velim pro naturę tuæ bonitate atque moderatione, nulla re offendi vxorem tuam, quam magna animi lætitia audio eſſe grauidam. certum eſt, fœminã ventrem gerentem aut impactam fœtutam, plerumq; ad id, q oſtendit conformari, cuius exemplum domi ætate in minore filia Eliſabetha deprehẽdo, cuius oris deformitas planè concepta eſt, odio aut fuga eius oris, quod in famula N. non ſine aliqua turpificatione appareat. Vale vnà cum vxore. Coloniæ 28. Ianuarij Anni 63.

EIDEM.

NON ignoro, ampliſſime vir, chariſſime fili atque compater, cum liberorum noſtrorum amiſſione, animi menteſq; noſtræ perturbentur, non eſſe ad cõcepti doloris moleſtiam minuendã, eam conſolationem, quæ nobis ab ijs accedit, qui & quodam ſanguinis iure & perpetua animorum coniunctione ſunt conſtricti, leuis momenti. Nã & ſi magni & robuſti ſit hominis, etiã Dei benignitate prę fidentis, omnia, quę humanitus accidunt, benigno animo ferre, neq; eorum morte impotenter perturbari, qui ex hoc laborioſiſſimo ſeculo ad quietem, ex humano dolore, qui nuſquam deeſt, ad indolentiã, ex morbo cui omnis mortalitas eſt obnoxia, ad perpetuã ſanitatem, ab huius miſeræ & calamitoſæ vitæ exilio, ad beatiſſimã patriã pertendiſſe credũtur: Eorũ tamen grata eſt conſolatio, ad retinendam rerũ omniũ moderationem ac lenitatem, quæ ſemper laudata fuit, quos habere putamus, & mœſtitiæ noſtrę & communis voluntatis ſocios. Et ſola doloris leuatio ad iucunditatem quãdã, aut ſaltẽ ad adimendum luctus ſenſum, eumq; abſtergendum, ea mihi videtur, quæ à bonis viris proficiſcitur, quorum in numero te generũ & filium mihi chariſſimum habeo, etiamſi vel magnitudinis animi mei vel officij eſſe exiſtimẽ, recentem doloris mei ægritudinẽ, ſi ea ex rerũ natura, in vniuerſum euelli nequeat, ex animo tamẽ meo excidere, & hunc mœrorem, quo ferè omnes liberorum amiſſione

ſione permouemur, & Dei omnipotentis volũtati & cõmuni cuidam amicorum commiſerationi concedere. Equidem, cùm Chriſtiani ſit hominis, natura & doctrina bene cõſtituti, non aliundè aut extrinſecus propendere, ſed ſuas cogitationes, ſpem, expectationem, adeoq; omnes vitæ actiones in Dei voluntate habere poſitas atque defixas, temperanter atque leuiter ſuſtinebo, quicquid vel meis vel mihi ipſi humanitus accidere poſſit. Quod tu vir humaniſſimus ad omnem pietatis laudem contendens, & item tua vxor filia mihi iam vnica deſiderio mei, vxoris & liberorum permouearis, ea res & perpetua quædam amicitiæ coniunctio, magnã habet beneuolentiæ ſignificationẽ, quæ iam ante mihi ſatis eſt declarata. Error eſt, quem tamen pietati attribuo, quaſi aduectionem currus expectauerim, quando ſcriptæ literæ meę teſtimonio eſſe poterũt. Vbi vtrunq; filium Bernhardum & Iacobum, quorum ſalus & inſtitutio liberalis mihi magno ſtudio eſt, & meo & illorum commodo in vniuerſitatem iuridicam ablegauero, quod propediem futurum ſpero, poſtea me ad vtrũq; veſtrum inuiſendi cauſa venturũ. Nec aliter vel negocia vel vſus meus ferre poſſe videtur. Quare vtriq; veſtrũ ob declaratã pietatem gratias habeo magnas, currũ remitto, & rogo, vt mihi liceat in hac ætate declinante, more aliquo meo ſine vlla cuiuſq; offenſione agere, & vbi primùm res meæ ferant cum vtroq; veſtrum mœrorem leuando iucundè conuerſa-

ri. Rogo etiã ne filius meus Bernhardus Dei beneficio reuerſus, apud vos moram trahat, vt quod eius expectatione, frater Iacob. præter meã & ipſius voluntatẽ hic retinetur. Sũma & perpetua liberorũ hæreditas eſt, Chriſtiana & recta illorum inſtitutio. Vxor reliqua, quæ à me nec lecta nec audita ſunt, ſcribit, magis fortè tibi, cuius vſitato ingenio plurimum fidit, oneroſa, quã grata. Deus pro ſua Clementia ſaluum te cum coniuge & vniuerſa familia conſeruet. Coloniæ 19. Nouembr. Anni 64.

EIDEM.

QVod tua vxor pulchra te prole fecerit parentem, & ad infantis baptiſmũ principes & generoſos viros adhibueris, Chariſs. fili, ea vt res & baptizato puero felicitati & tibi honori & commodo eſſe poſſit, Deum rogo, cuius Clementia fiunt quæ rectè conſtituuntur. Equidem longa & periculoſa itineris contentione fractus & in corporis animique languorem demiſſus, etiam his noſtris comitijs regionis inferioris VVeſtphalicæ hîc diuexor, ex quibus auelli nulla poſſum ratione, vt vobiſcum pro mea voluntate eſſe queam. Multa quotidie in furioſo hoc ſeculo eueniunt, quæ vix fuerant metuenda. In magnis malis quæ nocentiſſimorum hominum immanis iniquitas obiecit, verſamur. Cauſam tuam ipſe diligentiſſimè egi hodie cum doctore N. qui noſtra in voluntate ſe futurum dixit atq; ſtipulatus eſt. Vxor hic reliquit moribũdum aut ſaltem perditum equũ,

quæ

quę minore ſumptu & periculo aliena vectu
ra vti poterat. Vale feliciter cum omnibus
tuis. Coloniæ in ipſo ſenatu, profeſto Bartho
lomæi Apoſtoli. Anni 63.

EIDEM.

QVam à me operam ac ſtudium deſideraſti, vir ornatiſſime chariſſimeque fili, illud hodie à me ſuſceptũ eſt cũ Doctore N. cui etiã, qui tui vſus in rebus gerendis eſſe poſsit, apertè declaraui. Eſt autem, vti certo confido & ſpes eius mihi eſt facta, in vtriuſq; noſtrum amica & gratificandi cupida voluntate futurus, cùm caſus euenerit. Tuæ prudentiæ erit hæc diſſimulare, & in eás quod ſedulò facis, rationes incũbere, quæ ad honeſtatẽ cõmòditateſq; tuas augendás pertinere videbuntur: conſtituendũ enim liberius quoddã vitæ officiorumq; genus tibi, in cuius perpetuitate, cum maiore animi placabilitate hęrere poſſis. Quã cogitationẽ quoq; mihi in hoc labẽtis ac fractæ ætatis meæ decurſu adſumo. Nunc pertrahor in aulã. Vbi multa & grauia obuerſãtur negocia. Angor ea re, quę tibi nòti eſt, neq; vllam is morbus medicinã, præter nimiam meã triſtẽ luctuoſamq; patientiã admittit. Quæſo cũ N. fideliſſimò amico, etiã viro prudente conferas de rationibus recuperandæ pecuniæ ex fratribus, vt non ſolùm damno, verùm etiam curis liberer: ſpem meam pono in Deo, & eorum fide, qui inuiti ſuſtinebunt, ignominiam bonorum ceſſionis ipſis inuri. Deus pro ſua in omnes

nos Clementia, te vnà cum vxore conſeruet. Coloniæ 24. Februar. Anni 62.

EIDEM.

LIteræ tuę, vir ampliſsime chariſsimeq́ue fili, etiam cõſilium N. mihi fuit gratum, etiamſi neſciam an meis rationibus conueniat, vt ad ſim ipſe Frãcoforti, ne mea pręſentia & varia hominum opinione res hæc in vulgus hominum ſpargatur, quod nollem, præſertim cùm magni aliquot viri iamdudũ pecuniam mutuam à me petierint, quorũ offenſio mihi nocere aliquando poſſet, ſed hæc coram pluribus tecum agam. Equidem conficior diſsimulato animi dolore, cuius ſolatium video nullum. Cum Doctore N. ſic tuam cauſſam pro mea in te voluntate perpetua egi, vt mihi ipſe dixerit, te debere certo tibi perſuadere, vbi caſus euenerit, neminem tibi præferendum fore, etiamſi & olim nõ defuerit, & hodie extet magnorum hominum inſignis eius rei ambitio etiam ſordibus quæſita. Sed hæc diſsimulanda. Eſt enim bonus & integer vir ille, totus in mea volũtate, ad quã cupit ſuas rationes conformare. Nos hic in magno laborum faſtidio atterimur. Deus efficiat, vt te propemodum pulchra prole parentem videam & familiæ propagatorẽ, qui & vos & nos feliciter conſeruet. Duiſſeldorpio 8. Maij, Anni 62.

EIDEM.

QVod Vir Ornatiſsime Chariſsimeq́ue fili, à me vt cum Doctore N. agam, amicè contendis, id faciam cùm tuo in me ſtudi-

ſtudio prouocatus, tum etiam inductus mea erga te voluntate paterna atq; amica. Et ſpero me tui voti compotem futurum. Cùm autem is ſub hoc tempus abſit, ad ipſius filiũ Soſatum profectus, feres libenter hãc expectationem, meque citiſſimè certiorẽ facies, ſi quid humanitus acciderit. In quãta difficultate hę reã apud negociatores N. cognitũ tibi eſt. Velim totã hanc cauſam perpendas cũ N. quem ſcio pro ſua in me fide atq; gratificãdi ſtudio mihi non defuturum. poſtulat autẽ cauſa, vt vel ipſe, vel tu, ſi id impetrari queat, adſis in Francofurdianis nundinis, aut N. plenum à me mandatum rei gerẽdæ habere queat. Res in hoc ſtatu verſatur, vt quoniam Conuentionis fides ſeruata non eſt, vniuerſa pecunia cũ penſione repetatur. Vel ſi hoc ipſum durum ac illiberale videri queat, vt conſeruãdæ ſortis cauſa, mihi pignora vel aurea vel argẽtea, vel alia æquiualentia dentur, numereturque penſio duorum terminorum. Hoc enim ius & æquitas poſtulat, ne fallar, & vt ſtetur conuentis. Expecto per occaſionem tuam etiã N. ſententiã, ad quã meas rationes facilè ſum cõformaturus. Equidem valdè perturbor eius nouitatis ſtudio, cuius mutationem hactenus impetrare non potui; intelligis mœrorem animi. Chriſtus te cum filia mea felicem conſeruet. Coloniæ, 22. Februarij, Anni 62.

EIDEM.

EIDEM.

QVAE has literas adfert, vir ornatiſſime chariſſimeq; fili, matrona mihi videtur honeſta omniſq́ue virtutis amãs. Cauſſam quam habet apud vos in iudicium deductã, eius cognitionem tu habere poteris. Legi documentũ cuius vi ac poteſtate, niſi quid legitimè excipi poſſit, ei quotãnis debentur N. floreni. Non adſumo huius cauſæ procurationem mihi vel aduocationem, neque aliud rogo, quàm quod pro tua integritate, officij religione, iure ac æquo efficere vel poſſis, vel cauſa poſtulat, id vt præſtes. Chara aũt omnibus nobis, qui iudicia ſuſtinemus, eſſe debet viduarum, quæ miſerè & contra ius diuexantur, propugnatio ad dirimendas lites. Quo in officij aut potius pietatis genere, cùm & naturæ bonitate, animi inductione, etiã ſtudij vehementia libenter verſeris, non detrectaui huic viduæ hanc meam ad te ſcribendi operam. Tui erit ingenij, induſtriæ ac iudicij ſpectare quid rectè definiri poſſit. Eſt enim moris humani & communis officij, qui noſtram operam in rebus honeſtis deſiderant, eorum ſtudijs præſertim rectis ac legitimis ſeruire: cũ hac tamen moderatione, quæ ſemper erit adhibenda, ne quid quod iuſtum non ſit, vel petamus, vel vt fiat expetamus. Quare velim tantũ operæ, ſtudij ac officij huic viduæ ſupplicanti tribuas, quãtum cauſæ æquitas & iudicij integritas poſtulat, facies in hoc, mihi rem gratam. Commoratus aliquot hebdomadibus in aula illuſtriſſimi principis mei, di-

uerti

uerti in prædiolum Buchelinum, vbi cum animi & grata aliarum rerum quaſi ablegatione per dies tres hæſi. De reditu noſtri principis, nihil certi hacten⁹ nobis eſt cognitum. Si ex comitijs certius quicquã habeas, quod ad nos perferri queat., fac quæſo cognoſcam. Optarem occaſionem tibi mihiq; dari poſſe vt ſine maiore incõmodo, vsũ thermarũ nobis adſumere poſſemus, etiãſi is, nõ tã tibi in optima valetudine, ſingulari Dei beneficio cõſtituto, q̃ fractæ ac lãguẽti valetudini meæ videatur neceſſari⁹. Habeo tibi vxoriq; tuæ gratias magnas, ꝙ vxorem liberoſq; meos honeſtè ac ſplendidè tractaueris. Deus te cum vxore liberiſq; ſaluos & incolumes conſeruet. Coloniæ, 17. Maij. Anni 66.

EIDEM.

TVAE literę ornatiſſime vir, chariſſimeq; fili, variè me adfecerũt, ſed hoc ipsũ perferendũ. De perdicibus miror, quod ſcribis: non enim rogaui vt mihi perdices mitteres, ſed eas tibi adferri curares, quas in vſum tui cõuiuij hactenus reſeruaui. Quare & nũc peto, operam des vt ex medijs ædibus, hacten⁹ tibi cuſtoditę perdices, tutò adferãtur, idq́; iuſto tempore, non te enim vlla re grauare, ſed tibi meæq; filiæ, ꝙ ſors aut fortuna dat, cõmune, cuiuſq; te participẽ eſſe cupio. Hoc pro noſtra vera amicitia, atq; affinitatis, etiã ſãguinis iure rogo, vt boni cõſulas hãc meorũ liberorũ ad te ablegationẽ, quam vxoris meæ ſingularis indulgẽtia etiam liberorum,

erga ſuam ſororē perpetua beneuolētia, quā & inter eas conſtare volo, impetrauit. De agris vendendis apud vicinum tuum nihil ex audio, niſi quod is cenſeatur hic Coloniæ apud alios licitationem facere, quod fieri ſanè nollem. Vale cum vxore filia mea, liberis atque vniuerſa familia. Colon. 28. Nouemb. Anni 64.

EIDEM.

QVod præter omnem expectationem ad illuſtriſſimum meū principem ſim raptus, ex conſiliario ſi dijs placet futurus miles, ampliſ. vir chariſſimeq́ue fili, commiſi vtriuſq; noſtrûm nomine cauſæ tuæ aduerſus fratrem hominem inſolentem & parum gratificum, aduocationem noſtro communi affini D. N. Iurium Doctori, ne quid me abſēte cauſa tua detrimenti capere poſſit. Hoc in maiori quadam animi perturbatione rogo, vt meas partes, quod in rebus tuis facturus ſum, nō magis viciſſim quā libenter, nūc ſuſcipias, atq; apud viduā colonā in Alſter, quæ mihi aliquot malderos ſiliginis ex præteritis annis debet, omnibus modis efficias, vt ad te mittātur quatuor malderi ſiliginis, & hi Bōnæ redditi, ſtatim nauigio obueniente tranſmittantur ad meum colonū in VVintern, cuius mihi neglecta & propè deſerta paupertas cognita eſt, eoq́ue dignus benigna & pia alleuatione: rependam omnem ſumptum in hanc rem factum, grata beneficij dati memoria. Et agendum omnibus nobis, qui poſteritatis fiducia certa commouemur, ſpecta-

ctamuſque æternitatis felicitatem, ne quas veræ pietatis partes vllo vel caſu, vel tempore deponamus, Vale feliciter vnà cum vxore dilecta mea filia. Buchelij 28. Iulij, Anni 63.

EIDEM.

QVod à me petis vir ornatiſſime, chariſſimeque fili, vt Bernhardus meus filiolũ tuam baptiſmo excipiat, id faciam, cũ Chriſtianę pietatis cauſa, tum etiam meæ erga te coniunctæ voluntatis, inductione perpetua commotus, libenter. Quod autem in flagranti ſæuientis peſtis incendio, Coloniæ hoc tempore eſſe, aut quæ iſtinc filiolæ dare cupiam, vti ſcis, habere nequeam, velim aliũde, aut potius ex tuis honoris cauſa, aliquem cyphum argenteum Bernhardo des commodato: in noſtra congreſſione, vbi primùm facultas facta fuerit vtendi mea ſupellectile argentea, exhibebo munus pro meis rationibus, quod nũc facere nequeo. vxor mea vtrũque veſtrum ſalutans, etiam felicem partum vobis gratulans, dolore capitis atque dentiũ ex incumbente catharro miſerè affligitur: & mihi hoc tẽpore multa, quæ nolim, eueniũt, abripiorque rurſus in aulam principis. Bernhardum meum ſcriptis ad te literis heri ablegaui, quem nunc tibi adeſſe ſpero. Niſi alia tua ſit ſententia, aut N. meliorem quam hactenus diligentiam, fidemque in cauſa mea declaret, velim illum à te tuiſque non diu retineri, ne mora mihi periculo eſſe poſſit. Dominus Deus te cum vniuerſa familia ſaluum

& incolumem conſeruet. Buchelij 22. Septemb. Anni 64.

EIDEM.

EX tuis ad me & item vxorem ſcriptis literis, quæ magnam & gratam tuæ erga me amicæ voluntatis ſignificationem retinent, cognoui te velle mea cauſa in acquirendo mutuo quod fratribus N. factum eſt, proficiſci Auguſtam, in eamque rem concipere equitem nuncium Archiepiſcopi Colonienſis, &c. Animus hic tuus quàm benignè in me deuitandi maioris incommodi cauſa affectus, non obſcurè conuincit arguitque, priores meas commoditates eſſe rebus tuis, vt non adæquare ſed vincere videaris, & naturæ & affinitatis ius inter nos conſtitutum atque confirmatum. Neque vel tempus vllum vbi caſus ſe offeret, quo non hanc tuam bene merendi voluntatem ſim agniturus, vt cætera ſilentio prætercam. Si tamen naturæ tuæ bonitas & vſus ferat, velim in deliberationem vnà mecum adhibeas, ſitne tantopere neceſſarium, hanc difficillimam profectionem in naſcenti ſolis tanquam incendio & ſtatim adſumere. Nam Henricum N. ante hebdomadas tres, ita dimiſi, vt Lipſiæ acturus cum Ioanne ab N. quæ eius ſit ſententia, quis rerum ſtatus, quæ ſolutionis ſpes certa aut infirmitas, certò, & ſi qua obrepere poſſit ſuſpicio mala, ad me ſit nuncio proprio & ſumptu meo perſcripturus, aut ſi nihil periculi metuendum, coram reuerſus dictu-

dictūrus bona fide mihi, cuius reditū nunc in ſingulos dies magno deſiderio expecto. Multi & magni viri, in quorum numero compatrem meum N. habeo, certo mihi hactenus adfirmauerūt, nullum eſſe periculum ceſſionis in fraudē creditorum apud fratres N. quod nuper confirmauit & affinis meus N. quantūuis ab hac cauſa, nimia priuati cōmodi ſit abalienatus. Monet hoc ipſum quoq; fratrū pater literis ad N. ſcriptis, quibus promittit, ſe velle ſuorum liberorum cauſſam, fidem datā, atq; res omnes in ſuam tutelam accipere, omnibusq; creditoribus ſatisfacere. Vt autē demus, omnia hæc nullius momenti fore, ſi fratres meditētur in fraudem creditorum ceſſionem, aut eorum pater malit illis infamiam inuri, quam detrahi fortunas omnes, & ſic Iuris cognitionē ſuſtinere, aut expectare rerum euētum, cuiuſnam vſus eſſe poterit, vehemens mea vel commonitio, vel petita alia hypotheca ſiue pignus, cùm eius cauſa iudiciū mecum ſuſcipere, re vniuerſa in omnia omnium ora ſparſa, poſſit? Si metu frangi, aut debilitari commonitione poſſit, multo magis vincetur, aut turpi ſtudio habendi, aut proſtitutione pudoris omniſque probitatis. Actum mecum multis & grauibus argumentis, ipſe vt adeſſe vellem in præteritis nundinis Frācofordianis, quod conſiliū mihi diſplicuit, eoq; amanuensē fruſtra & nullo meo cōmodo ablegaui Francofurtū. Quātus ludus & iocus erat futurus, cùm abfuerint N. ſi ipſe in con-

conſpectu omnium, vel obridendus, vel vituperandus, ob nimiam meam facilitatem ingreſſus fuiſſem Francofurtum? Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam, etiamſi vario motu & ſollicitudine & vario infortunatoque ſucceſſu miſerè afficiar. Eſt enim magna pecunia mutuo data, cuius amiſſio me in magnam animi & rerum debilitationem abijcere poſſit. In hac animi mei graui perturbatione etiam ætatis inclinatione, & quæ vni tibi cognita maximè eſt, religionis immutatione, nec mihi ac meis conſulere, aut magnam conſilij vim præſtare poſſum. Eoque vniuerſum hoc deliberandi genus, vni tibi, cuius mihi fides & induſtria eſt ſpectata, liberè permitto, vt quicquid in hac re prudenter & vtiliter, etiam honeſtè faciendum eſſe exiſtimes, idipſum adhibito N. conſilio agas meo ſumptu & periculo, ita tamen, vt intelligas, vni tibi hanc meam voluntatis ſignificationem factam eſſe, non autem cuicunque alij. Itaque ſi abeundum eſſe in meum vſum exiſtimes, quod vniuerſum tuo arbitrio relinquo, poteris ad me perſcribere, quantum pecuniæ tibi in vſum profectionis dari velis, maximè cùm hoc tempore non multum monetæ aureæ apud me habeam. Et poteris in eum caſū hanc obligationis copiam concipere, quam deſcribi curaui, etiam conſtitutionem Mandati, & item acceptilationis, quæ tamen à me in maiore quadam negociorum occurſatione concepta non eſt, ſed relicto ſpacio nudo,

adhi-

adhibita tantùm ſubſcriptione & ſigillo,vt qua forma conſtitutionis,item acceptilationis vti velis, eam libere conſcribere queas. Sum enim hoc tempore variè affectus & negocijs obrutus, etiam in mea cauſa propria parum proſpectus & prudens conſultor. Si meis rationibus conſulendum rectius ſit, nõ video alia media, quàm vt eximi omni obligatione poſſim, ſoluta ac reddita pecunia omni,cum reſtantibus penſionibus non ſolutis:quia fratres ab N. non ſteterunt dictæ legi conuentionis,vt ex eius annexa deſcriptione videre licet.Aut ſi hoc ipſum durius & inhumanius videatur, vt mihi aliud aut pignus aut hypotheca ſingularis detur,aut vt pater ſe ſuaque bona omnia mihi poſſit obligare, poterit in hanc rationem multò rectius & ingenioſius conſulere meus compater. Cui tamen hoc meum ſcriptum aut eius argumenta nolim dari legenda: ſed illi perſuaderi quicquid per vtrumque veſtrum in hac cauſa decerni poterit, hoc me ratũ habiturũ. Indue quęſo hanc meã naturam; meamq; cauſã,vt facis,prudẽter tibi & accuratè adſume. Agnoſces patris nõ ſoceri in te animũ & perpetuam voluntatem.Velim te abſente,filiam meam, tuam vxorem, cum familia meæ domus hærere,vt vxor mea illi eſſe poſſit & ſolatio & adiumẽto,qua in re mihi facis gratiſſimũ.Deus tuam valetudinẽ feliciter conſeruet.Nõ potui hæc relegere,quare rogo ignoſcas ſi quid offendit.Colonię 6.Maij.Anni 62.

EIDEM

EIDEM.

Literæ tuæ, vir Ornatiſſime chariſſimeq́; fili, quòd ſignificationem veræ & perpetuæ erga me voluntatis haberent, gratæ mihi fuerunt, etiamſi actio N. hominis verſuti planè mihi ſit ſuſpecta. Habet enim præter aucupationem ſimulati ſtudij, nihil integritatis, quod ipſum arguit; ipſa illa fuca diſſimulatio, ne quibuſcum res agatur cognoſci queat. Vulgares ſunt quæſtiones, quas mouet ille, vt ſi nihil præſtet, tamen cauſſam controuerſam viciſſe videatur. Pręter animi mei ſententiam ad illum ſcribo, & quæſtiones motas reſoluo. Dolet mihi, quod non mea, ſed tua opera abutatur, dum rem ſuam faciat. Ego tibi totam cauſam committo, vt ſi præter vnam ſpem & glorioſam oſtentationem nihil mihi expectandum ſit, liberer ſemel eius hominis ſollicitudine, cuius alioquin nullus futurus eſt effectus, ſed hæc vni tuæ fidei atq; taciturnitati cõcredo. Heri promouendæ cauſæ tuæ ſtudio congreſſus ſum cũ Doctore N. ex quo cognoui libelli tui aduerſus fratrem errorem aliquem & concluſionem parum conuenientem, adeò vt cuius rei nuper te ſollicitus cõmonuerã, declaratio libelli facienda, cum amplificatione eius concluſionis, etiamſi acta non legerim, quod hactenus factum non eſſe idem Doctor miratur. Dominus Deus pro ſua in nos Clementia ſaluos atque incolumes nos conſeruet: Coloniæ, 5. Iulij Anni 64.

Bern-

BERNHARDO OMPHALIO.

ANte dies aliquot, fili chariſſime, ſignificationem tibi feci, in bona ſpe me eſſe, me poſſe ad diem Iouis, qui futurus eſt viceſimus huius, adeſſe in prædio Buchelino. Cuius meæ voluntatis & intentionis meis quoque literis matrem feci certiorẽ. Quare velim matrem meo nomine commoneas, vt ad prædictum diem Iouis me in prædio expectare, atque in eam rem, quæ vſus poſtulat, & victus domeſticus, vnà cum vino cõferre velit. Et quando actio mea omnis in hac præcipuè aula fixa atque locata eſt, in multis & magnis laboribus neque vnus vario in loco multarum rerum procurationem mihi adſumere queo, hortor te atque admoneo, ſi qua commoditate fieri poteſt, cures diligenter: etiam officioſè præſtes vt paruus ille hortulus ante noſtras ædes priores in aliquem florentem ſplendorem herbarum deduci, atque exornari, etiam vites circunduci poſſint ei loco, in quo lapidea menſa eſt poſita, vt circumducta vmbra, ſeſſio eſſe queat & florentior & magis opaca. Poterit N. aliunde pro hominum cupiditate, eiuſmodi vites, quæ quidem præſtantiores ſint, comparare. Reliqua poteris pro tua ſedulitate efficere. Chriſtus pro ſua benignitate matrem filioſque omnes, & te conſeruet. Duiſſeldorpij 12. Martij Anni 67.

EIDEM.

EIDEM.

NE tua ſtudia fili chariſſime, vel deponãtur, vel negligantur, ſuſtinere poſſum, vt in Darmßwiler ante ferias, non autẽ rectà Coloniam venias, & vt id te feciſſe dicas, perpetua obſeruantia in affinem noſtrũ N. eiuſque coniugem, quæ non bene valet, cum hac commonitione, vt talem iſtuc te geras ac præſtes, qualem optimum iuuenem ad omnem ingenij ac honeſtatis laudem contendentem magnopere decet. præceptor dabit viaticum, quod illi reddam, vnà cum ijs quæ tuo nomine ſunt expoſita. Vale ac præclaris ſtudijs incũbe, Coloniæ 14. Martij Anni 1558.

D. IOANNI VOSS. LITERARVM profeſſori Duiſſeldorpij.

FIlium meum Bernhardum, vir ornatiſſime ſingularisque compater atque amice, vxor mea, quod diu abfuerim, diutius, quàm diſcendis literis cõueniat, hîc retinuit, cuius ſtudia atque educationem in tuam tutelam atque fidem dedo, habiturus ſpectatæ tuæ pietatis etiam beneuolentiæ rationem. Conuictus vxoris meæ, non tam lachrymis, quàm certorum hominum precibus, Iacobũ meum hic retineo, vt à ſcabie curetur vſu thermarum, quibus & ipſe valetudinis meæ cauſa ſum vſurus. Vxori meæ obnunciatur, induſia quædam eſſe amiſſa per vtrumque meum puerum, quæ res vt leuis momenti eſt, ita nihil te commouere debet, niſi obiter ex-

citare

citare curam & ſollicitudinem filij mei, in rebus ſuis retinendis, pro admirabili naturæ tuæ pietate velis. Mitto in vſum alimentorum coronatos 12. quæſo vt expenſi atque accepti rationem per primam occaſionem atq; ocium conſcribas. vbi Duiſſeldorpium appulero, quod propediem aut non longo poſt tempore futurum eſt; conferemus reliqua, cupio ſiquidem in omni officiorum genere tibi ac tuis inprimis gratificari, quem Dominus Deus pro immenſa ſua erga omnes nos Clementia conſeruare dignetur. Coloniæ, 10. Maij Anni 37.

IOANNI DARD.

QVòd vir Ornatiſſime, affinis etiam cognati atque neceſſarij amici moribundi caſus infeſtus ſubitò mihi obnunciaretur, neceſſe habui vnà cum vtroq; filio meo Bernhardo & Iacobo ad diem Dominicum 20. huius, ſummo mane abire, quod illorum quoque interſuerit adeſſe ſuo affini magnopere hoc expetenti. Quòd ideo pro voluntate noſtra mutua ſcribo, ne filij mei voluntate non tantùm mea, ſed & cognati efflagitationi obſecuti cenſeri poſſint vllam moram commiſiſſe; cùm alioquin valde expetam vtrumque filium omnibus diſputationibus publicis intereſſe poſſe.

D. N. N.

QVod vir Ornatiſſime,nuper cùm Duiſ-ſeldorpio diſcederem , rogaueram , vt ratione ordinum VVeſtphalicæ regionis honorarium debitum habere poſſem,idē nunc rogo,ea de cauſa poſt paucos dies miſſurus ad te amanuenſem vnà cum acceptilatione:ſi nec moleſtum foret aut negocia mea ſuſtinerent,optarem nos pro veteri conſuetudine congredi,conſiliaq; noſtra amica volūtate conferre poſſe,cupio enim inprimis res tuas omnes florentes & in dignitate publica conſtitutas eſſe, præcipuè verò concordiam & pietatem inter te atque tuos conſtare,quæ ſine crimine ac omnipotentis Dei læſione conuelli non poteſt : obnunciatum ſiquidem mihi eſt , à quodam noſtri ordinis magno viro, inclementius paulo,quàm naturæ tuæ moderatio , aut etiam vſus poſtulat, prioris tui matrimonij liberos præter illorū culpam haberi , quorum cauſa languens ac propè deſerta ideo viros tui amantiſſimos cômouet, quod eiuſmodi indignitatem non videantur commeruiſſe. Nolo hic quicquam durius dicere,aut etiam ſeuerius, quā noſtra amicitia atq; conſuetudo ſuſtinet, te commonere debitæ erga liberos pietatis. Tātum rogo,humanitatis tuæ fiducia inductus, ſpectare perpetuò vt velis pietatem & clemētiam, qua Dij immortales nihil dederunt homini vel præſtantius vel præclarius. Fit enim , vt parentum acerbitas adferat languorē & quā-

dam

dā deſperationem, cuius exitus plerunq; metuendus & periculoſus. Nō habeo neceſſe, te virum doctrina, rerum vſu, & prudentia præſtantem, vllius officij admonere. Quod à me hic factum eſt, id videbatur animorum noſtrorum amica coniunctio poſtulare. Ethnici homines non ſunt paſſi vt inæquali iure etiā in iudicio familiæ herciſcundæ liberi cenſerentur. Nos Chriſtianos homines in pia officiorū religione retinere debet cogitatio æternitatis & iudicij diuini, in quo nos oportet omnes actiones noſtras habere poſitas atque defixas. Dominus Deus pro ſua clementia conſeruet te in placabili vitę coniunctione atque integritate. Coloniæ ex ædibus meis, quæ hactenus à contagione peſtis fuerunt immunes. 18. Nouemb. Anni 64.

ORNATISSIMO ERVDITISSIMOque Franciſco Fabricio Marcodurano ſcholæ Duiſſeldorpienſis Rectori &c.

PRo noſtra conſuetudine & amica voluntate, vir Ornatiſſime, ex te cognoſcere cupio, quo in ſtatu proceſſus meus iuridicus aduerſus N. inſtitutus verſetur. Deinde magnopere abs te peto, vt filio meo Theodorico iam annum decimum quartum ætatis ingreſſo, ſtudij ac victus cauſa proſpicere commodum aliquē locum velis. ſunt enim ſcholæ publicæ propter eruditas cōgreſſiones & mutuas diſputationes priuatis vtiliores, ſi

qua in re ſtudijs tuis ac rebus gratificari viciſſim potero, non deſiderabis vllam in me beneuolentiam. Vale.

BERNHARDO ET IACOBO OMphalio fratribus &c.

EX literis veſtris, etiam vidua N. mea affine, quæ iam Coloniæ conſiſtit, cognoui, tantam rerum omnium caritatem & quãdam veluti annonæ deſertam paupertatem eſſe, quantam ſuſpicari plerique non ſunt auſi. Magis me in magna animi rerumq; perturbatione, in quam perfidia quorundam negociatorum, etiam lãguentis ætatis triſti ſenio conijcior, commouet frigoris inclementia, qua ſuperiori hyeme vterque veſter conuulſus prope dicitur. Eoque omnino volo & iubeo, vt Louanio relicto, vos ad me Coloniam ſtatim conferatis, curetisque certo veſtros libros atque ſupellectilem omnem huc ad me transferri, quod commodè fieri poſſe planè confido. Et ſi autem magnum ſcholæ iuridicæ frigus ſit Coloniæ, & qui iuris ſcientia præſtant, ij ſua ſtudia ad praxin conuertant, quod tamen ſpes me bona teneat, à vobis ſtudiorum progreſſum aliquem factum eſſe, malo nunc vos apud me domi eſſe, quàm in neglectam inopiam pertrahi. quicunque ſumptus in transferendis rebus veſtris ſit faciendus, cum hic rependam. Agam hic cum publicis aliquot iuris prudentiæ profeſſoribus, vt veſtra ſtudia non malè poſſitis locare.

re. Deus vos incolumes atq; ſaluos reducat, omneſque actiones veſtras feliciter fortunet. Coloniæ vlt. Septemb. Anni 65.

IISDEM.

QVod hactenus nihil literarum ad me dederitis, filij chariſſimi, id valde miror. Inuitus autem reſciui Bernhardum fuiſſe Antuerpiæ. Nos Dei benignitate mortuo Theodorico, rectè valemus. Cùm hoc noſtro affine Adriano poteritis rem omnem ad me perſcribere. Et habet à me mandatum, de rebus atque ſtudijs veſtris conſtituendi, quod res poſtulat. Coloniæ, 7. Febr. Anni 65.

IISDEM.

IN quantis animi ac rerum perturbationibus hoc tempore hæream, ſcribi non poteſt, chariſſimi filij, quibus cum noſtro affine in vſum victus atque ſtudiorum mitto decem thaleros Philippicos & coronas aureas tres amplius, itemq; ſeptem florenos aureos, iuſti ponderis, Deum orans, vt quanto labore, ſollicitudine, ac cura hęc pecunia mihi ſit acquiſita, tanto ſtudiorum progreſſu per vos impendi rectè poſſit. Ego iſtius ætatis cùm eſſem, victum meo labore quęritaui, deſtitutus omni parentum præſidio, vobis in eam animi curam incumbendum, ne immoderato veſtro victu mea benignitas vel exhauriri, vel prorſus claudi poſſit. Permulta mihi quotidiè, quæ nolim, etiam non

commereor, accidunt, quorum tamen vel alleuationem vel remiſſionem aliquam ex præclaris veſtris ſtudijs expecto. Liber Commentariorum, qui hic relictus eſt, per hunc qui eques ſine famulo abijt, mitti non potuit: curabo tamen, vt commoda aliqua vectura hũc & alios libros, etiam veſtes & quædam alia habere poſſitis. Hoc veſtræ induſtriæ, ſtudij atque operæ erit, non aliundè quàm ſolo Iuriſprudentiæ ſtudio propendere, & pro fortunæ mediocritate ſic viuere, vt naturæ ſatis ſit, nihil autem luxuriæ detur, quando vtrique veſtrum annuatìm præter centum thaleros vulgaris monetæ nihil ſim daturus: quibus tamen addentur neceſſariæ veſtes atque libri. Deus vos ſaluos atque incolumes conſeruet, cùm & nos omnes eiuſdem benignitate rectè valeamus. Coloniæ, 8. Martij. Anni 65.

IISDEM.

CVm à me dimiſſi Louanium appuleritis, chariſſimi filij, ex quo frequentes tabelliones Coloniam ingrediuntur, valde miror, etiam non ſine moleſtia, quæ cauſa ſit quamobrem nullam mihi hactenus ſignificationem feceritis de adſumpta veſtra profectione, de parto ac conſtituto hoſpitio, de excepto vaſe in quod libros veſtros impingi & illud vobis tradi curaui, de ratione victus quotidiani, & quanti eſſe ille poſſit, de ratione ſtudiorum, qua gratia accepti ſitis

à D.Alberto Leonino, cui veſtra ſtudia commendaui,& quę amplius ſunt huius argumēti,vt quid porrò mihi vel conſtituēdùm,vel faciundum ſit,planè cognoſcere queam.Fuerat hoc ipſum veſtræ obedientiæ,quam Deus tanquam parentibus debitam requirit, & negligi,multo minus deponi non oportuit.Cõmentarij & reliqua ſupellex,quæ comiti in N.fuerat relicta,ante paucos dies mihi eſt aduecta,pluris fortè,quam ea fuit empta, atque vtinā Bernharde, quam operam in pulſanda caua teſtudine poſuiſti, eam collocaſſes diſcendo iuri Ciuili, cuius vſus & præſtans & inprimis eſt vtilis.M.T.Cic.vetat magnā operam poni in colendis agris,quorum nulla eſſe poteſt vtilitas:tu ineptius tua ſtudia ad eas res ſiue artes conuertis, quarum & vis & voluptas vnà cum ipſo ſonitu perit. Deſcriptos commētarios vbi primùm per vecturam licuerit,& alia quędam tranſmittam,vos grauiter commoneo & adhortor,ne vel inchoatā ſtudia vllo tempore deponatis,vel honori & honeſtati publicæ ſeruire deſinatis, aut meam de vobis conceptam exiſtimationem fallatis.Fallere certè me viuo, non niſi inſigni veſtro damno, & publica deformitate poteritis. Deus pro immenſa ſua miſericordia, in qua nunc mortuus Theodoricus frater veſter acquieſcit, veſtra ſtudia actionesque bene & feliciter fortunet,atque vos incolumes conſeruet.Coloniæ 27. Decemb.Anni 64.&c.

BERNHARDO OMPHALIO.

QVos à me petijſti in meum tamen vſum ſingulari ſtudio comparatos libros pãdectarum, noua editione emendatos, & item in vſum ſumptus domeſtici, mitto octo & viginti thaleros, nullus eſt finis petendi in magnis rerum mearum perturbationibus, vndique nunc in declinante mea ætate deprimor, miſerè & afflictim diuexatus. Deus vos conſeruet, ſtudiaque augeat. Nolo autem vllum à vobis antequam de ſtudiorum veſtrorum progreſſu ipſe cognoſcam, gradum dignitatis adſumi, quod præſtet iuris doctum ſcholaſticum hominem, quàm ineptum Baccalaureum agere.

EIDEM.

EX petacibus tuis literis nihil cognoui de ea pecunia, quam ad quintũ diem Martij huius anni &c. 65. per N. in vſum ſtudiorum tranſmiſi. Et qui à te ſunt petiti, libros muſicos & item commentarios in ius Ciuile editos tranſmiſi. Suſpicor eam pecuniam apud N. eſſe neglectam, qui cùm hic Coloniæ ſit, monebo vt eam pecuniam, vnà cum datis libris tibi reddat: & cùm hoc tempore pecuniam non habeam, curabo, ne vobis vſus neceſſarius deſit, modò intelligam magnum ſtudiorum progreſſum, quem virili animo & diligentia, vt adſumere velitis, maiorem in modum moneo atque exhortor. Et cùm

mihi

mihi incertum ſit, quo in loco aut vicu, & apud quem habites, & tabelliones aliquotiens iſtuc abituri mihi offerantur, miror quamobrem liquidò hoc mihi non deſcribas, etiam barbaro nomine vtaris, obſeruandiſſime, cùm rectius ſcribendum fuerat, pater ſumma pietate atque obſequio obſeruande. Coloniæ, 26. Iulij, Anni 65.

EIDEM.

QVod filiæ meæ ſuſceptor ſis deſignatus, fili chariſſime, ſcripſi ad generum, vt iſtic honoris cauſa apud illum argenteo cypho in vim donationis vti poſſis. Vbi primùm Coloniam redire liceat, efficiam vt filia mea tuo nomine honorarium accipiat: velis etiam ex ea pecunia, quam tibi dedi, ſumere in vſum obſtetricis, baptiſmi & pauperũ, ſi ſuſpiceris, datum viaticum tibi non ſuffecturum, poteris tanquam me ignorante ex filia mutuò accipere aliquot thaleros, quos tibi reuerſo reſtituam, ne vlla maiore admonitione ſit opus. Ages autem, ne iſtuc abeundi moram committas. Quicquid honeſtatis conſequẽdæ cauſa laborioſè fit, labor diffluit, honeſtas ſemel parta ſuam retinet æternitatem: econtra quicquid vitioſè per voluptatem turpiterque fit, voluptas conci dit, turpitudo manet. Deus te conſeruet.

EIDEM.

CAVſſam affinis noſtri N. vt in officium ſoceri ſui ſubſtitui poſſit, apud primarios aliquot conſiliarios, quorum authoritas mihi neceſſaria videtur, diligenter egi, poteriſq; hoc ipſum ſignificare clariſſimo viro Doctori N. vt de ſententia ſui patris & cōſilio aliorum porrò agat, quod cauſæ profuturum exiſtimet. Et quoniam hæc res ratione coniunctiſſimi pertinere quoq; videtur ad commendationem præfecti in N. poterit ab eo quoq; literas commendatitias exigere vel ad principem vel ad cancellarium curiæ prę fectum & generalem reddituarium cōſcriptas. Mihi ſanè nullum commendationis ſtudium eſt defuturum, eruntque nobis pertentanda omnia, quæ noſtris cum rationibus & vſu videbuntur coniuncta. Saluta officioſè matrem & filium, & cura ne quid nouæ turbæ in graui hominum ſuſpicione & calumnia excitetur ratione prædij Buchelini. Nam ſicut omnibus, qui iuſtum Dei iudicium metuímus, officioſè prouidendum, vt actionū noſtrarum ratio nobis conſtare poſſit, ita quoq; in varijs hominum ſuſpicionibus cauendum diligenter nobis erit, ne in aliorū reprehenſionem incurramus. Dominus Deus pro immenſa ſua in nos miſericordia & benignitate res noſtras omnes atque valetudinem bonam conſeruet. Duiſſeldorpij 28. Iunij Anni 66.

EIDEM

EIDEM.

SI fili chariſſime gener meus vnà cum vxore filia mea dilecta, negocij mei cauſa ſe Guinterium ad vindemias contulerit, gratias habeo maximas. Equidem hoc tempore adeſſe non potero grauibus illuſtriſſimi mei principis actis perlegendis, concipiendisq; ſcriptis quibuſdam, impeditus. Vxor hęſit Bucheliij, vt quæ iſtuc delata ſunt, rurſus curet Coloniam transferri, ne quod nobis abſentibus furtum committatur. Agnoſco nimis magnum & frequens ſtudium mei ſoceri, cum ſingulari beneuolentia coniunctum, cui gratias aliquando referam. Quòd is vocatus ſit, vt contra aduerſarios Cleros Coloniæ ad 6. Octobris adeſſe velit, id mihi valdè improbatur, maximè cùm gener nondum ſit abſolutus, qui præcipuo ſtudio conſeruandi iuris Archiepiſcopi Colonienſis in has turbas imprudenter conijcitur. Adfert quoque ſuſpicionem mihi eiuſmodi dies tractationis indictus Coloniæ, quaſi Archiepiſcopo non probetur, quod actū eſt, eoque nunc primùm adhibere velit cauſæ cognitionem, cuius euentus futurus planè eſt incertus. Noui horum hominum, qui libertate Eccleſiaſtica abutuntur, & quorum ex arbitrio in hac munerum Ordinariorum & extraordinariorū diſtributione princeps dependet, inſolentem arrogantiam, vehimque vt prius abſolui omninò poſſit, antequam vllam tractationem ingrediatur,

poſſetq;

poſſetq́ue hæc cauſa ſatis magna videri, quà-obrem non niſi abſolutus auſus ſit vllam tractationem Coloniæ adſumere. Nam ſi quicquam contra eum ſtatui aduerſariorum inſolentia poſſit, non erit ſperãda abſolutio, quæ ſi tractationem præceſſerit, præiudicio erit aduerſarijs quaſi iam ante Archiepiſcopus, quod conſeruandi iuris cauſa actum ſit, ratũ habuerit, futurumq́ue vt quocunque modo res agatur, ille ſit tutus, etiam inimicorum rixæ exemptus. Poterit autẽ gener pro ſua prudentia longo rerum vſu conſeruata, iudicare ipſe, quid rectè atque vtiliter ſit agẽdum. Te rogo cura diligenter, quæcunque vindemiarum ratio poſtulat. Si vinum album ſit excipiendum, agam vt vnà cum matre breui tempore adeſſe Guinterij queam. Vale, meumq́; generum mihi inprimis dilectum vnà cum filia diligẽter meo nomine ſaluta. Coloniæ, vlt. Septemb. Anni *66.*

EIDEM.

CAuſſam nullam video, Chariſſime Bernharde, cur ad meas literas non reſpõderis. Scribo ad matrem vt proximo die Iouis fortè ad horã prandij cũ pauca admodũ familia adeſſe mihi velit in prædio Buchelino, propterea quod res & cauſæ hoc ipſum poſtulant, neq; amplius tribus diebus in prædio hærebo, & curabo matrem curru noſtro pro ipſius arbitrio reduci. Has literas ad cognatum N. ſcriptas, curabis illi dari. efficito vt mater concipiat aliquot vites optimas in

vſum

vſum parui horti circa lapidem ad inferendam vmbram, & ſi quas alias herbas habere poterit, exornando horto aptas. velim quoque piſcarium rete ad me in prædio dari, non piſcandi cauſa hoc tépore, ſed eo vt vtamur cùm ocium, quod raro mihi datur, aliquãdo contigerit. Poterit fortè matri vna ancilla & vnus puer ſufficere in ipſius itinere, quam tamen rem ipſius arbitrio committo. Subeũdi mihi multi & graues labores altero die quaſimodo geniti, & fortaſſis durior ablegatio, cuius ſocietas fortè tibi, ſi videbitur, adſumenda. Etiamſi nihil ſim omiſſurus, quod ad Ciuilem & humanam eius detrectationẽ pertinebit, incumbamq; in eam rationem vt aulicis negocijs eximar commódè. Vale vnà cũ fratribus feliciter, Duiſſeldorpij ex principis Cancellaria 17. Martij Anni 67.

BERNHARDO ET IACOBO Omphalijs.

MITTO chariſſimi filij libros aliquot atque commentarios iuris Ciuilis, etiã muſicos, vt ijs ad gloriam Dei, ad honeſtam voluptatem, ad dignitatem publicam vti aliquãdo poſſitis ſine intermiſſione grauiorum ſtudiorũ, ad quæ natura nos procreauit. Significaui iam ante nihil vos præter centum Ioachimicos annuatim à me, qui hoc tempore multis modis atq; damnis premor, habituros. Exhæres mihi erit, qui ſuam operam in perdiſcendo iure malè collocauerit. Opto enim illũ mihi diem illuceſcere poſſe,

quo vtrumq; veſtrum videre poſſem in collegium Doctorũ Iuris Ciuilis cooptari. Quã meã ſpem atq; expectationem ne fallatis magnoperè cauẽdum vobis erit; quos Deus pro ſua clemẽtia præclaro ſtudiorũ progreſſu cõſeruare dignetur. Coloniæ. 28. Maij Anni 65.

PETITORIA, CVIVS IN ciuilibus negocijs ampliſsimus eſt vſus.

VEreor ne ingenij parum verecundi videri poſſit, vt cuius mihi gratiam, nullo hacten⁹ fuerim officio demeritus, ab eo tantum petere beneficium, quàm ſperare non ſim auſus. Nulla enim in hunc vſque diẽ à te mihi data eſt occaſio, qua voluntatem tibi probarem meam. Et quando plura tua in me humanitatis, amicitiæ atque beneuolentiæ extant officia, mea contra in te nulla, tanto maiorem mihi tui, nouis precibus fatigandi induo ſollicitudinem. Me tamen vt pudorem meum neceſſitati condonem, hortatur cùm naturæ tuæ moderatio, tum incredibilis quædam morum facilitas, qua tibi optimum quenque mirificè habes deuinctum. Faciliorem que huius meæ Ruſticitatis veniam, vel inde ſpero, quod noſtra facultas agendis rebus ſufficere ſemper non poſſit, eoqué amicitiæ parentur, vt commune commodum mutuis gubernetur officijs. Quare velim, quicquid eius eſt quod petimus, in eam partem quam mea in te obſeruantia tuaque erga me humanitas poſtulat, accipias:

as: *Subiungitur narratio petitionis*. Pari autem animi benignitate ac beneuolentia, qua officium peto, omnia pro tua dignitate ac gratia ſum facturus. Cuius mei erga te animi ſi quando periculum facere voles, intelliges, cùm beneuoli, tum diligentis amici officium tibi non defuiſſe, modò eiuſmodi ſit, vt præſtare queam. His meis rationibus, ſi pro tua voluntate ac beneuolentia gratificari & poſſis & velis, confirmo me totum in poteſtate tua fore, ſin præſtare per occaſionem aut citra magnam rei priuatæ iacturam, quod efflagito, non poteris, ignoſcam lubenter, nullo nec amicitiæ, nec venerationis ſtudio remiſſo. Eritque æquè grata mihi rationum tuarum commoditas, atque gratificandi voluntas, quando beneficium qui ex animo benefactum amico cupit, iam præſtitit.

RESPONSIO AD PETITIONEM.

EQuidem tibi me beneficium nòn præſtitiſſe, ſed à te petente accepiſſe me puto, qui tam opportunam tui mihi conciliãdi occaſionem obtuleris, qua meum erga te amorem, ſtudium ac beneuolentiam perſpicere poſſis. Nam cùm omnibus ijs, quorum induſtria in aliqua ingenij laude ac virtute verſatur, meam probare cupio voluntatem, tum verò te, cùm ſtudio tum amore prouocatus tuo, vnicè amare propter ſummam animi moderationem, & diligere, pro ea quam tecum habeo, officij neceſſitudine debere me profiteor. Neque enim vel amicitia

noſtra

noſtra vllam officij exceptionem patitur, vel ignoſci mihi ſine graui illiberalitatis reprehenſione poſſe exiſtimo, ſi amico homini & honeſta præſertim petenti, meum præcluderē beneficiũ, qui ſollicitã mihi omniũ ſtudia demerēdi curã mihi impoſuerim. Quæ ſi cauſa te mihi nõ tecũ conciliaret, tamē vel dignitas tua, vel neceſſaria illa vitę officiorũq; cõmunitas ſuperbiæ mihi famã inurere poſſet, ſi volũtatem tuã petitionemq; repudiarē. Quare tibi velim perſuadeas, nihil tibi tã cõiunctũ fore, quàm domũ, res & facultates meas, nihil eſſe quod tua in cauſa non libenter ſim facturus.

INVITAT AMICVM AD COMMVnem voluntatis officijq; rationem.

NISI ea apud me eſſet, cùm ſingularis humanitatis tum modeſtię tuę opinio, vel potius iudicium, vt planè mihi perſuadeam, neminem omnium, qui honeſtatis laudem amplectatur, à te reijci poſſe, continerē me potius priſtino in ſilentio, quàm meis te prouocarem literis. Nunc cum cæteris animi tui præclaris virtutibus ſingularem vitæ ſtudiorumq; communitatem conſociationemq; adieceris, eiusq; communionem nulli prorſus inuideas, temperare mihi non potui, quò minus ipſe me tuæ commendarem humanitati. Neq; hic velim incuſes temeritatem meã, quod nũc primùm ambiam tuam amicitiam: neq; negligentiã, quod nõ anteà ſcripſerim. Nam obrepere ad tuam familiaritatem nulla præſer-

præſertim vitæ dignitate aut ingenij gratiâ commendatus,non fui auſus, quod omnia in te auguſtiora illuſtrioraque animo cernebã,quã meus vt conatus ad ea adſpirare poſſet.Et à ſcribendo me exiſtimatio deterrebat tua,cuius magnitudine obteri meam tenuitatem non ignorarem. Fecit tamen experta mihi humanitas clementiaque tua, incredibili morum liberalitate coniuncta,vt excuſſo pudore ſubruſtico per epiſtolas tecum agerem, cuius rei peropportunam occaſionem attulit. *Hic adſcribetur occaſio.* De meo erga te animo hanc velim cogitationem habeas, omnia mea ſtudia, curas & ſenſus, cum tua voluntate coniuncta eſſe, nihilque in omni omniũ officiorum generefore, in quo tibi diligentiam fidemque meam probare non cupiam.Quod ſi occaſionem mihi dederis, quã tuæ morem geram voluntati, agnoſces eandem animi mei propenſionem ac conſtantiam in præſtando officio fuiſſe, quam nunc in pollicendo præ me fero.

INDEX RERVM
SECVNDVM ORDINEM
Alphabeti digeſtus, vt eorum, quæ in hoc libro vniuerſo continentur, facilis ſit inuentio.

A.

ABalienandi formula pag. 180.
Actio omnis negligentia & temeritate vacare debet 40.
Accuſandi formula 218.
Accuſatio 260.
Adoleſcentis laus 93. & ſeq.
Aduerbia 121.
AEmulatio & ſpes, duo acerrimi maximarum rerum ſtimuli. 15.
AEmulatione & exemplis ad laudis & gloria amplitudinem maximè incitamur 4.
Affectiones quid 142.
Affectionum genera 143.
Affectionum loci vnde ſumantur 143.
Affectiones magnā vim habēt in deliberationib. 141.
Ageſilaus rex Lacedæmoniorum 161. 182.
Agis rex 183.
Agricola laus 94.
Alabadenſis Apollonius 43.
Alexander 258.
Amicitia quibus rebus conſeruentur 112.
Amplificatio elocutionis 116.

Ange-

Angelus Politianus 34.
Angeli Politiani epiſtola ibid. & ſeq.
Animorum ardor rectis ſtudijs, tum conſtantiam, tum dignitatem adfert 2.
Animus omnium magnarum rerum excellentia delectatur 20.
Animus earum rerum, quæ ſemel didicit, tenaciſſimus eſt 21.
Antitheſis 130.
Apelles pictor 8.46.
Artis perfectio nulla ſine imitatione eſſe poteſt 8.
Artes omnes cum ætate accreuerunt 16.
Autores omnes legendi, non tamen imitandi 59.
Audaciam in fabricandis verbis abeſſe oportere 14.
Aurelia & Accia primam liberorum infantiam eloquentia inſtituerunt 9.
Auxeſis 117.

B.

Bellum inferre 231.
Benignitatis fontem profuſa largitio exhaurit 169.
Benignitas noſtra nunquam maior eſſe debet, quàm facultas. 170.
Beneuolentiam qui agnoſcit, retuliſſe videtur 112.
Brutus 53.

C.

CAElius 52.
C. Iul. Caſ. 52.78 & 157.
Calumniandi cupiditas illiberalis 222.
Calumniandi formula 222.

Caluus 52.
Catilinariam coniurationem quanta animi magnitudine extinxerit Cicero 35.
Chryſippus 9.
Cicero præter cæteros imitandus 32.58.
Ciceronis in ſcriptis omnium magnarum virtutum præclara extant exempla 32.62.& 70.
Cicero Verrem accuſaturus diligenti exordio, ad officij ſui commendationem facto, ſe excuſauit 27.& ſeq.
Ciceronis lectionem non ad parandam eloquentiam ſolùm, ſed mores etiam inſtituendos vtilem eſſe 35.
Cicero magno dicendi artificio vſus eſt in oratione pro A.Cluentio 37.
Ciceroni Demoſthenes non ſatisfecit 49.
Cicero quare non ſit imitandus 51.& ſeq.53.
Ciceronem qui imitatur, reliquos omnes imitatur & legit 60.
Ciceronem vnum imitandum eſſe parta optimarum rerum cognitione 69.
Ciconiæ pietas 229
Clauſulæ aliquot epiſtolarum, quibus gratias agimus 255.& ſeq.
Κλίμαξ 129.
Colligere animum 210.
Commendatio rei noſtræ 187.
Commendatio alterius 189.
Commendationis formulæ 289.

Comminari 230.
Commenta 143.
Conatus arduis in rebus pro virtute habetur 59.
Conatus magni & fortes ſua nunquam laude caruerunt 39.250.
Conciliandi elocutiones 174.
Congeries 129
Conſilium nos cuiuſque, non naturam ſequi ac exprimere poſſe 57.
Conſolatio 194.
Conſolandi formulæ 201.& ſeq.
Conuitium omne intolerabilem reprehenſionis aculeum habet 222.
Cornelia Gracchorum mater 9.
Cornelius Celſus 53.
Correctio 117.

D.

Decipere 221.
Decorum 26.
Defendendi elocutiones 232.
Defenſio 262.
Deferre ſtudium 174.177.
Deliberatiui generis præceptiones 144.
Deliberatiui generis exordium 257.
Demonſtratiui generis vſus 81.
Demonſtratiui generis præceptiones 82.
Demoſthenes Ciceroni non ſatisfecit 49.
Deprecandi formulæ 264.
Dictio quibus lineamentis ſit intingenda 18.

Dictio quo primùm rudimento ſit imbuenda, nondum ſatis conſtat 18.
Dictio qualis paranda 19.
Dies inuidiam mitigat 223.
Dies ſequens conſiliorum parens 150.
Diligenter peruidendum, quem nos in imitationem tueri oportet 26.
Diminutio 117.
Diſſuadendi formula 149.
D. Eraſ. Roterod. 77.116.123.
Domitius Afer 52.
Dux in rebus agendis deligendus 5.

E.

EDucationem parentum, liberorum eloquentia maximè profuiſſe 9.
ἐγκυκλοπαιδεία 13.
Elocutio ſocietatis humanæ conciliatrix 1.
Elocutionis imitatio neglecta maximam rebus obſcuritatem attulit 6.
Elocutionis imitatio qualis. 73.
Elocutionum optimarū apparatus eſt colligendus 78
Eloquentiæ dignitas 10.
Eloquentia olim appellata ſapientia 23.
Eloquentiæ bonis qui abutuntur, illiberaliter faciunt 24.
Eloquentia pulcherrimum naturæ munus 27.
Eloquentia, quæ cum animi innocentia pugnat, perniciosa & obſcura eſt 38.
ἐπανόρθωσις 117.

Epi-

Epitheta 117.
Exemplum omnium magnarum rerum eſt exordium 7.
ἕξις 49.57.
Exordiendi loci aliquot communes 238.
Exordium epiſtolæ ad amicum 241.
Exordium declamationis 242.
Exordium ab inſtitutis veterum 244.248.
Exordium ab officio & cauſæ magnitudine 245.
Exordiendi loci, in genere demonſtratiuo, rerum & factorum 247.
Exordium à rei dignitate atque vtilitate 247.
Exordium à circunſtantijs loci vel temporis, per quandam querelam 248.
Exordium per prolepſin 238.& ſeq.
Exordium in genere deliberatiuo 257.
Exordium ab apophthegmate ſumptum 258.
Exordiendi ratio in genere iudiciali 259.
Exprobrandi formula 226.
Expurgandi formula 234.& ſeq.

F.

FAlſam laudem quærere 173.
Feruens literarum ſtudium plurimam habet miſeriam. 60.
Fortunatum eſſe 196.
Fœminæ laus 95.
Franciſcus Picus Mirandula 49.

G.

GAneo 102.& ſeq.
Gloria ſtyli æternitatem ſequitur 6.

Gloria amplitudine omnes trahimur 7.
Gloria vita breuitatem compenſat 244.
Gradatio 129.
Gratias agendi formulæ 112.
Gratiam bene meritis agendam 112.
Gratias agendi ratio 252.
Gratias agendi exordium 254.
Gratulandi formulæ 269.

H.

HEracleotes Zeuxis pictor inſignis 8.
Horatij ſententia 21.
Homerus 46.
Hortandi formulæ 152.

I.

IMitationis vtilitas 1.
Imitatio quid 72.
Imitatio qualis eſſe debeat 12.
Imitationis partes. 140
Imitationem in paranda eloquentia negligi non oportere 2.
Imitatione omnium magnarum rerum amplitudinem contineri 3.
Imitatio proximè ad naturam accedit 5.
Imitatio duplex 72.
Imitatio optimarum rerum quanto ſtudio maioribus fuerit. 8.
Imitatio Romani ſermonis neceſſaria eſt,&c. 10.
Imitatione nihil creſcit 12.
Imitatione ſola contentum eſſe, tardi eſt ingenij 126.

Imi-

Imitationis abiecta cura magnos ſtudiorũ progreſſus eſt remorata 21
Imitatio non ſolùm in eloquentia, ſed cæteris etiam artibus neceſſaria 66.
Incrementum & eius forma 126.
Infamis 104. & ſeq.
Infamiam contrahere 170.
Inuentis alienis quomodo vti debeamus 15.
Inuidia florentibus ingenijs facilius incumbit 110.
Ioannes Guinterius Medicus 53.
Iudicis laus 86. & ſeq.
Iudicis vituperatio 104.
Iudicialis generis tractatio 213.
Iudicialis generis exordia. 259. & ſeq.
Iulius Africanus 52.

L.

Laborem perferre 163.
Labor & induſtria difficultatem omnem ſuperant. 45. & ſeq.
Laudandi formulæ 82. & ſeq.
Laus viri ſumma exiſtimatione præditi ibid.
Laus eruditi viri 88.
Laus humani & moderati viri 92.
Lenonis vituperatio 106.
Liberalitate populi animus ad gratiam & fauorem pellicitur 35.
Linguæ & cordis diſsidium 23.
Lingua maledica & petulans ciuilis vitæ ſocietatem atq; amicitias extinguit 31.
Literæ delectationis ſenſum excitant 13.

Liuius ab Aſinio reprehenſus 9.
Locorum laus vnde petatur 96.
Loci communes exordiendi 238.
Loci exordiendi in genere demonſtratiuo factorum & rerum 247.

M.

Magiſtratus munus proprium quod 133.
Maiores noſtri, non niſi magnis & iuſtis cauſis impulſi quenquam accuſarunt 27.
Maiores quibus virtutibus ſempiternam ſibi laudem, ciuiumq́ beneuolentiam conciliauerint 34.
Maiores omnia ad Reip. dignitatem referebant 37.
Materia ſcribendi duplex. 141.
Mediocritas 40.
Medicina 75.
Memoria oppreſſæ dignitatis diuturna eſſe ſolet 31.
Memoria & pronunciatio, duo propria naturæ munera 51.
Mentis mala incommoda 34.
Mens autorum copia diſtrahitur 70.
Metaphora 122. & ſeq.
Miſer & calamitoſus 194.
Monendi formula 145. & ſeq.
Mœror obſcuritatem claro ingenio adfert 200.
Mortem obire 270.
Mulieris laus vnde petatur 95.
Mulieris vituperatio 105. & ſeq.

N.

Natura humana nihil difficile eſt aut inimitabile 39.

Natu-

Naturam franges citius, quã immutaueris 41.
Natura vis magna 41.
Natura ſua cunctis diſtribuit munera 49.
Nemo alteri per omnia ſimilis ibid.
Nihil eſt ab omni parte felix 74.
Nominis immortalitatem adipiſci 161.
Non oportere animos noſtros magnarum rerum deſperatione debilitari 14.
Non eſſe excellentium virtutum ſtudia propter animi imbecillitatem abijcienda 45.

O.

Obtrectator 110.
Obliqua exordiendi ratio 255.
Officij noſtri cõſilijq́ rationem omnibus in cauſis neceſſariam 234.
Omnia ad laudem referre 161.
Oratio, ſenſuum atq; animi eſt index 22.
Orationem ſobriam eſſe oportere 23.
Oratione modeſta nihil admirabilius fingi poteſt 31.
Orationis in imitatione quæ ſint effugienda 74.
Oratio obſcœna vitæ turpitudinem arguit 76.
Otium cum dignitate complectendum 157.

P.

Patientia malorum victrix 164.
Pauli Corteſij epiſtola 63.
Pericles 31.
Perditus homo 109.
Perturbari 198.
Petitio qualis eſſe debeat 182.
Petitionis formula 183.

petitoria epiſtola 284.
Phaeton 39.
Phidias pictor 8.
Philoſophia. 75.
Photion 150.
Pigritia exurgentem laudem retundit 13.
Placabilitate & clementia nihil laudabilius, nihil magno viro dignius 91.
Plato 46.
Platonis ſententia de affectionibus 143.
Polycletus pictor 8.
Popularis aura ſæpè iuſtam laudem corrumpit 26.
Præſtantia quæ ſunt, eadem & perrara 40.
Præuaricator 104.
Prolepſis 193. 234. & 249.
Pronunciatio & memoria, duo propria naturæ munera 51.
Prudentia 34.

Q.

Quem præcipuè imitari debeamus 148.
Quæ in rebus præclarè agendis adeſſe oporteat 17.
Quæ ſunt cauſæ, quamobrem Cicero non omnibus credatur imitandus 51.
Quæ in orationis imitatione ſunt effugienda 74.
Quæ vitæ ſocietas firmiſſima 240.
Quæ vitanda in vituperatione 96. & ſeq.
Quæ in petitione obſeruanda 192.
Quæ in exordijs obſeruanda 238.
Qui Ciceronẽ imitatur, oẽs imitatur & legit 60.

R. Rebus

R.

Rebus ſuis conſulere 164.
Rem domeſticam decoquere 167.
Rhetorice 75.
Refutatio eorum, quæ propoſita ſunt 56.
Rerum geſtarum gloria nihil excellentius 161. & ſeq.
Reſponſio ad petitionem 285.
Res ſecundas immoderatè ferre, leuitatis eſt 107.
Reſpublica quando beata 137.
Rom. populus quare illuſtrium virorum res præclarè geſtas triumphis & ſtatuis erectis illuſtrarit 4.

S.

Scribendi materia duplex 141.
Senectus virium inops & abiecta eſt 226.
Sententia quæ illuſtris 132.
Sermo impurus morū integritatem violat 24. & ſ.
Seruius 52.
Seruire laudi atq; gloriæ 154.
Seruire impuro, intollerabile eſt 136.
Sequens dies conſiliorum parens 150.
Spes & æmulatio, duo acerrimi maximarum rerū ſtimuli 15.
Spes fortium virorum mentes ſuſtentat 212.
Studij cōiūctione nulla amicitiæ cauſa grauior 240.
Studij deferendi clauſulæ 177.
Studio ſemper aliquid conſequimur. 40.
Studij informandi prudens conſilium 42.
Studiorū delectus intermiſſus magnam ingenij s per niciem adfert 44.
Suadendi & monendi formulæ 145.

Super-

Superbus & arrogans 111.
Synonymia 128.

T.

Ταπείνωσις 117.
Temperantia quaſi moderatrix omnium commotionum 135.
Tempus ſpes confirmat 212.
Trachallus 52.
Tranquillitas animi ſtudijs adfert cùm magnitudinem, tum constantiam 47.
Turpitudine nihil quicquam magis contra naturam 136.

V.

Verba aptè ſtruere in oratione, ingenij praſtantis eſt 279. & ſeq.
Verba quæ legenda 281.
Verborum & rerum rectum vſum facere, praſtantis eſt 279. & ſeq.
Veteres quanta modeſtia omnibus in rebus fuerint vſi 36.
Vibius Criſpus 53.
Virorum excellentiũ laude maximè homines ad amplectendam vitæ dignitatẽ excitantur 244.
Virtus optimorum hominum animos conciliat 240.
Vitæ breuitas qua re compenſetur 244.
Vitæ conciliatio maxima vnde petatur 174.
Vitam agere 269.
Vitia virtutibus proxima 75.
Vituperandi & laudandi vis vnde ſumatur 181.
Vituperationis formula 96. & ſeq.

Vitu-

Vituperatio nefarij hominis 102.
Vituperatio ignobilis, inepti & perditi hominis 108.
in Vituperatione quæ vitanda 56.
Vocabula non ſunt temerè ſingenda 75.
Vocabulorum deformitas in ciuili oratione fugienda 76.
Vtilitas honeſtati blanditur 37.
Vtilis præceptio. 47.
Vulgus rećti iudicij egeſtate laborat 20.
Z.
Z*Enocrates philoſophus* 258.

FINIS.